
D. FRANZ VOLKM. REINHARD
Potentiss. Reg. Sax. Concionator aulicus Primarius,
et in Senatu ecclesiast. et Consistorio supr. Consiliarius

Francisci Volkmari Reinhardi,

Phil. et Theologiae Doctoris,

Potentiss. Reg. Saxon. Concionatoris aulici primarii et

Consiliarii in Senatu ecclesiastico et Consistorio

supremo,

Opuscula academica.

Volumen I.

Lipsiae,

apud I. Conr. Hinrichs.

1808.

Praefatio.

Quum libelli, a doctoribus publicis Academiis potius et ſcholis, quam orbi literato ſcripti, raro ad publicum omnium uſum veniant, et deliteſcant ſaepe intra locorum, quibus emittuntur, anguſtias; magnam profecto a lectoribus cupidis gratiam iniiſſe videntur, qui de colligendis eiusmodi libellis, et typis denuo exſcribendis, hic illic cogitarent. Ita quidem, ut de Theologis potiſſimum dicam, commodo multorum factum eſt, ut *Erneſtii*, *Tittmanni*, *Mori*, *Storrii*, *Noeſſelti*, *Leſſii*, *Seileri*, aliorumque opuſcula academica collecta, emendata, aucta prodirent, et ad utilitatem communem transferrentur.

Quare qui literis bene cupiunt, ut *Reinhardi* quoque, Viri ſummi, libelli academici in unum corpus cogerentur, vehementer optarunt. Nec temere. Nam primum neceſſaria eſt

eiusmodi libellorum *Reinhardianorum* collectio, ut qui eum auctorem habeant libelli, qui non, intelligatur. Moderatus est *Reinhardus*, quamdiu Academiam Vitebergensem ornaret, dicendi et scribendi exercitationes, Eoque Praeside iuvenes nonnulli, scholarum istarum participes, dissertationes aut ab ipsis, aut a *Reinhardo* conscriptas publice defenderunt. Ita factum est, ut multi aut ignorarent libellos nonnullos, a *Reinhardo* profectos, aut, ut ipse *Meusselius*, Vir Cel., in editione quinta operis, quod inscribitur: *das gelehrte Teutschland*, falso ei tribuerent dissertationes nonnullas, a discipulis eius conscriptas. Huc accedit, quod libellorum a *Reinhardo* editorum alii ita distracti et dispersi sunt, ut non facile eorum copia detur, alii collectioni commentationum theologicarum a *Velthusenio*, *Iuimoelio* et *Ruperti* adornatae, quae non exiguo pretio venit, inserti sunt.

Quae quum ita essent, petii, imo flagitavi a S. V. *Reinhardo*, ut lucu-

orationes ſuas academicas colligeret et communi omnium uſui traderet. *Reinhardus* autem, quae eſt modeſtia eius, alias diſſertationum ſuarum, ut eam *de verſione Alexandrina*, parum dignas iudicavit, quae demuo typis exſcriberentur, alias velle ſe ſcripſit reſingere, ſi modo tempus ſibi ſuppeteret. At quum idem mihi ſignificaſſet, multa ſe in promptu habere, quae libellis ſuis addi poſſint, denuo eum rogavi, ut communicatis mecum, quae addenda et ſupplenda haberet, libellorum ſuorum in unum corpus cogendorum munus mihi traderet. Neque negavit *Reinhardus* quod flagitaveram, neque libellorum ſuorum collectionem ita adornare iuſſit, ut ſecus ſibi de huius collectionis utilitate videri, ac mihi viſum fuiſſet, Lectores monerem. At, hac quidem in re, *Noſter* neminem facile conſentientem habebit. Ita enim, quod dudum viderunt idonei harum rerum arbitri, hi libelli comparati ſunt, ut doctrinam ſolidiorem egregie augeant, ſubtilitate, rerum copia et dicendi genere comto

et ornato ſummopere commendentur. et pro fonte uberrimo, ad quem iuvenes maxime deducendi ſint, recte habeantur. —

Ego vero, muneri meo ſatisfacturus, libellos omnes, quos *Reinhardus* ſuos agnovit, collegi, accurate eos exſcribi curavi, addidi et mutavi, quae Auctor addi mutarique iuſſerat, et ſubiunxi denique Indicem, ut, qui libelli recogniti fuerint, qui non, quo anno, quaque data occaſione ſinguli in lucem prodierint, Lectorem docerem.

Quod reliquum eſt, Deum O. M. pie veneror, ut *Reinhardum*, literarum in terris Saxonicis ſtatorem, egregium patriae ornamentum, ſalvum diu et incolumem conſervet!

Dab. in Univerſitate Literarum Vitebergenſi, d. XXI Sept. 1808.

Carolus Henricus Ludovicus Poelitz.

Index.

1. *De Verſionis Alexandrinae auctoritate et uſu in conſtituenda librorum hebraicorum lectione genuina.* Diſputatio hiſtorico-critica (pro venia docendi in Academia Vitebergenſi. Menſe Mart. 1777.) Part. I et II. . . . . Pag. 1

2. *De morte voluntaria quid et quam clare praecipiat philoſophia, ad locum Platonis in Phaed. Sect. VI.* — Diſputatio philoſophica, (pro loco inter Adiunctos facultatis philoſophicae. D. VI April. 1778). 67

3. *Symbola ad interpretationem Pſalmi ſexageſimi octavi.* Diſputationis theologicae *Specimen I.* (pro impetrandis Baccalaureatus theologici iuribus, Menſ. Nov. 1778), et *Spec. II* (quod Praeſide

Reinhardo beneficii Thilemanniani conflo e numero eorum, qui privatim scribendo se ac differendo exercent, publice defendebat Aug. Guil. *Hilefeldt*, d. XVII Nov 1779): — iam recognita, multisque augmentis locupletata. (Conf. Commentat. theol. editae a Velthusen etc. Vol. 2. p. 1 segg.) - - - - Pag. 93

4. *Utrum ad indicium de miraculis requiratur universae naturae accurata cognitio.* (Disputatio philosophica, quam Praeside *Reinhardo* publice defendebat Franc. Iacob. Theodor. *Meyer*, ad d. 30 Sept. 1779.) — - - - - - 145

5. *De locis quibusdam, qui in sermonibus Domini temere putantur communes.* (Disputatio philologica, Specimen I, quod Praeside *Reinhardo*, e numero eorum, qui privatim scribendo se ac differendo exercent, publice defendebat Car. Adolph. *Bentler*; ad d. 15 Martii 1780.): iam nonnullis additamentis aucta. - - - 191

6. *De veterum inductione ad locum Diogenis Laertii L. III. Segm.* 53-56. — (Programma, editum Mens. Iul. 1780, *ad* sollemnia conferendae utriusque laureae indicenda.) - - - 210

7. *Conflium bene merendi de universo humano genere ingens supra hominem elati documentum.* — (Prolusio, qua ad Orationem auspicalem Professionis Philosophiae Extraordinariae Mens. Iul. 1780 publice recitandam invitabat.) - - 251

8. *Carmina poetarum cur placeant confidentiae, quam ſapientiae doctorum philoſophumena.* — (Diſputatio philoſophica, quam Praeſide *Reinhardo* ad d. XIV. Octob. 1780, e numero eorum, qui privatim ſcribendo ſe ac differendo exercent, publice defendebat M. Ioſ. Frider. *Thierfeldt.*) — Scholia nonnulla acceſſerunt. - - Pag. 268

9. *De coniungenda cum tradendis philoſophiae placitis eorundem hiſtoria.* (Oratio, praemiſſa vitis virorum doctiſſimorum, quibus ſummi in philoſophia honores d. XVII Octobris 1780 in Academia Vitebergenſi tributi ſunt.) - - - 295

10. *De ratione docendi ſocratica in inſtitutis philoſophiae academicis imitanda* (Oratiuncula). *Cum additamento de methodo docendi ſocratica.* Viteb. 1780.— Iam recuſa, multis notis ſcholiisque aucta. 349

11. *De notione felicitatis humanae ad iudicium de placitis chriſtianae religionis parum idonea.* (Diſſertatio, quam ex auctoritate ſummae Venerandi Theologorum Ordinis *pro Licentia* ſummorum in Theologia honorum rite conſequendorum in Academia Vitebergenſi d. XV Novemb. 1782 defendebat.) - - - - - - 391

12. *Utrum et quando poſſint oratores divini in adminiſtrando munere ſuo demittere ſe ad vanas hominum opiniones.* (Commentationis theologicae pars prior. Prolusio, qua ad Orationem auſpicalem Profeſſionis Theologiae Ordinariae ad d. XI Dec.

1782 publice recitandam invitabat.) — Multis additamentis, scholiisque aucta. . . Pag. 175

15. *De prudentia theologi, in comparanda et augenda eruditione theologica aetatis suae rationem habentis.* (Oratio, d. XI Dec. 1782 dicta, cum munus Theologiam publice docendi auspicaretur.—) Ex Manuscripto edita. . . . 511

1.

De verſionis Alexandrinae auctoritate et uſu in conſtituenda librorum Hebraicorum lectione genuina.

I.

Quae noſtro potiſſimam ſeculo de libris N. T. bene merita eſt criticorum induſtria, etſi excuſſis et diligenter cognitis tot codicibus vetuſtis, et ingenti congeſta lectionis varietate, nondum ita omnia complexa eſt, ut nihil addendum reliquerit aut emendandum; quod, ut alios taceam, nuper demum Ill. *Michaëlis* monuit in bibliotheca orientali: aliquam tamen poſt tot *Millii*, *Bengelii*, *Wetſtenii*, aliorum labores maturitatem adepta videtur. Eandem vero criticam curam, quae non ſine magnis et interpretationis, et univerſae doctrinae incrementis, libros N. T. pertractavit, alteram quoque codicis ſacri partem, Hebraicam, amplecti, quis eſt, qui ignoret, aut reprehendat? Novi quidem teſtamenti per artem criticam

emendatio etſi ſummis impedita difficultatibus eſt, cum non ſolum late pateat et multas cautiones habeat; ſed et ſummam accuratamque doctrinam, eamque longo comparatam uſu requirat: vix tamen, ſi difficultatem ſpectes, comparari poteſt cum ea, quam in perpoliendis libris V. T. a viris doctis adhiberi coeptam videmus. Nam ut taceam, libros Hebraeos ſpiſſiores eſſe libris novi foederis, hosque varietate argumenti, dictionis obſcuritate, ac vetuſtate denique facile vincere: nonne teſtes, qui in iudicanda lectione Hebraica ſententiam rogandi ſunt, et plures eſſe, conſtat, et auctoritatis tam dubiae, ut, quid cuique tribuas, ad iudicandum difficillimum ſit? Accedit, codicem Hebraeum impreſſum, quem Iudaeorum manibus traditum adhuc ſecuti ſumus, etſi totius gentis Iudaicae auctoritate munitus, ſuaque vetuſtate venerabilis ſit, a multis, qui emendandi ſcilicet impotenti quodam amore abrepti, in contemnenda Iudaeorum cura vehementer ſibi placent, ita accuſari, ut, quidquid vel verſio quaedam antiqua, vel codex MS. obſcurior offerat, ei paſſim audacter praeferri videamus. Quo magis optandum eſt, ut criticorum ſtudia, quae nunc ubique fervent, modeſtiae ac ſobriae critices legibus regantur, ne, qui libris Hebraicis medicinam afferre volunt,

etiam in ea ſaeviant, quae ſana ſunt. Quod cum ab iis potiſſimum fieri videmus, qui, recte quidem, modo cauti eſſent, verſionibus antiquis, inprimis Alexandrina, ad indagandam codicis Hebraei lectionem veram utuntur: putavimus, nos non omnem perdituros operam eſſe, ſi *de huius verſionis auctoritate et uſu in conſtituenda librorum Hebraicorum lectione genuina* nonnulla diſſeramus.

II.

Ac poſſumus quidem multis videri actum agere, qui argumentum a viris doctiſſimis, *Hubigantio*, *Kennicoto*, *Fiſchero*, *Starkio* noſtris temporibus, et a multis aliis ſeculo ſuperiori iam vere exhauſtum, denuo nobis pertractandum ſumamus, adeoque poſt Homerum ſcribere conemur Iliada. Sed excuſatio in promtu eſt. Haud parum enim differt hoc noſtrum inſtitum ab illo doctiſſimorum virorum conſilio. Nos, non totum locum de auctoritate huius verſionis et eius uſu perſequemur, quam disputationem non caperent huius ſcriptionis anguſtiae; ſed primo quidem obſervationes quasdam, maximam partem ad hiſtoriam verſionis Alexandrinae pertinentes, proponemus, quarum quidem magnam vim eſſe putamus ad ferendam de eius auctoritate in re

critica ſententiam. Deinde cautiones quasdam, a recentioribus maxime in uſu ipſo neglectas, commemorabimus, et exemplis nonnullis oſtendemus, ubi errandi locus ſit, aut iam erratum fuerit. Et cum diu exſpectatum illud, et multis multorum votis expetitum, *Kennicoti* opus in conſilium adhibendi copiam mihi fecerit S. R. *Dresde*, ut in aliis omnibus, ita etiam in hoc optime de me meritus: nonnulla, ſpero, dictum iri, quae legiſſe non plane poeniteat. At ſi quid dictum fuerit, quod verſioni Alexandrinae non ſatis honorificum videatur, facile praevidemus, fore, ut eorum incurramus reprehenſionem, qui putant, ut quisque maxime teneatur ſuperſtitione, quam dicunt, Iudaica de integritate codicis Hebraei, ita diligentiſſime in eo elaborare, ut verſionibus antiquis ius neget, ſententiam de lectione librorum Hebraicorum ferendi. Quorum clamoribus etſi non deſunt, quae reſponderi poſſint: iam haec tantum monenda putamus, nos eos non eſſe, qui omnem criticam a libris V. T. abeſſe iubeamus; laudare potius eorum conſilia, qui ad inveſtigandam lectionis Hebraeae veritatem antiquarum maxime verſionum auctoritatibus utantur. Sed cum videamus, omnia a viris doctis anquiri, (recte quidem, modo omnis abeſſet invidia,) quae codici Maſſorethico quodammodo poſſint

vitio verti, eumque a nonnullis quaſi in quaeſtionem poſtulari: putavimus, harum rerum peritum fore neminem, qui vituperandum exiſtimet, ſi quis oſtendat, a noſtris hominibus plerumque nimium tribui verſionibus antiquis, inprimis Alexandrinae, eiusque antiquiſſimis temporibus tantam auctoritatem non fuiſſe, quanta plerumque putatur. Sed iam ſingula diſputationis noſtrae capita ordine perſequamur.

III.

I) *Tempore Ptolemaei Philadelphi, Aegyptiorum regis, non niſi lex Moſaica in Graecum ſermonem verſa eſt; reliqui V. T. libri ſeverioribus temporibus diverſos nacti ſunt et obſcuros interpretes.* Sunt, qui hanc verſionem iam eo tempore inchoatam eſſe putent, quo Ptolemaeus Philadelphus a patre, Lagi filio, in conſortium regni adſcitus eſſet, ut *Valeſius* ad Euſebium, et *Petavius* ad Epiphanium. Sed quidquid ſit, ſumimus iam, quod neminem negaturum eſſe putamus, ſacrorum librorum iſtis temporibus aliquam confectam eſſe verſionem Graecam; eam vero non niſi legem Moſaicam complexam eſſe, id, cum ſcriptores antiqui diſſentiant, accuratius docendum eſt. Otium ex parte nobis fecit *Humphr. Hodius*, etiam

a *Kennicoto* laudatus [1]), qui in opere doctiſſimo *de bibliorum textibus originalibus, verſionibus Graecis et Latina vulgata*, oſtendit, verſionem, quam dicimus, Alexandrinam Iudaeorum Alexandrinorum conſilio factam eſſe, et falli eos, qui totam eodem tempore ſcriptam exiſtiment; pentateuchum enim CCLXXXV. circiter ante C. N. annis verſam, poſtea, Antiochi Epiphanis tempore, Ieſaiam cum aliis prophetis additum, reliquos denique libros diverſis temporibus, nec eadem interpretum adhibita diligentia, Graece factos eſſe. Sed quoniam non omnia, quae ab *Hodio* diſputata ſunt, probamus, et iis, quae poſtea dicentur, lucem affundi putamus, ſi paullo copioſius hac de re egerimus: proferenda duximus veterum teſtimonia, quae legem Moſaicam ſolam Ptolemaei tempore, et iuſſu publico, translatam eſſe, demonſtrent. Atque ipſe quidem auctor fabulae de facta Ptolemaei Philadelphi ſumtibus atque iuſſu verſione ſacrorum librorum Graeca, *Ariſteas* ille, nonniſi legem Moſaicam verſam eſſe tradit; regem ab Eleazaro, ſummo pontifice, petiiſſe τὸν νόμον; Eleazarum miſiſſe ſeniores ἔχοντας τὸν νόμον. Equidem non ignoro, quid

1) In diſſert. ſecunda ſuper rat. textus Hebr. p. 309. ſeqq. Verſ. Lat.

contra dici ſoleat ab his, qui iſtam Ptolemaei tempore factam verſionem omnes libros ſacros complexam eſſe contendunt; vocabulum νόμου, putant, eam apud *Ariſteam* aliosque ſcriptores antiquos habere vim, quam ſcriptores ſacri ei nonnunquam tribuunt, ut, e conſuetudine dicendi Hebraica, omnem notet a Deo patefactam doctrinam, adeoque de tota ſcriptura dicatur. Sed monuit iam *Rich. Simonius* [2]) contra *Morinum*, qui hanc opinionem inprimis ornavit, ſequacibus *Druſio* [3]), *Valeſio* [4]), *Hottingero* [5]), aliis, perperam hoc dici, quamvis ab uberiori confutatione ſe abſtineret. Veriſſimam vero *Simonii* ſententiam eſſe, ex *Ariſtea* ipſo poteſt doceri. Etenim Demetrius, in epiſtola ad regem, de νομοθεσίᾳ Iudaeorum loquitur, et poſtea traditur, ſeniores, ab Eleazaro miſſos, veniſſe σὺν ταῖς διφθέραις διφθέραις, ἐν αἷς ἡ νομοθεσία, γεγραμμένη χρυσογραφίᾳ. Ac multis aliis locis oſtendi poſſet, *Ariſteam* vocabulis νόμου et νομοθεσίας ita uti, ut prorſus eandem vim ac poteſtatem ipſis ſubiiciat. Iam vero nemo facile docuerit, νομοθεσίας vocabulum aeque late de omnibus libris ſacris dici;

2) *Hiſtor. Crit. V. Teſt.* L. II. cap. 2.

3) *In Reſponſ. ad Minerual Serarii* cap. 2.

4) *In animadverſſ. ad Euſeb. Hiſtor. eccleſ.* L. V. cap. 8.

5) *In theſ. philol.* L. I. cap. 3. p. 311. ſeqq.

ſemper enim anguſtior, et ad legem, quae proprie dicitur, reſtricta eius ſignificatio eſt. Sic v. c. ipſe *Epiphanius*, qui nobis ceteroquin non favet, veram huius vocabuli poteſtatem docet. Commemorans enim aliquo loco [6]) libros Moſis, addit: ἄυτη ἡ πεντάτευχος καὶ ἡ νομοθεσία. Atque ex his clarum eſt, quod volumus, de lege Moſaica cogitandum eſſe, ſi apud *Ariſteam* legatur vocabulum νόμος. Sed certiora haec fiunt omnia, ſi *Ariſteae* hac in re et epitomatorem et interpretem inſpexeris, *Ioſephum*, qui, cum profiteatur, *Ariſteae* ſe auctoritatem ſequi, et, ut infra docebitur, negare videatur, usque ad ſua tempora reliquorum librorum ex Hebraeo verſionem factam eſſe, optime ſane docere poterit, quid ab eo verſum dicatur. Atqui *Ioſephus* [7]) ἐδὲ γὰρ, inquit, πᾶσαν ἐκεῖνος (Ptolemaeus) ἔφθη λαβεῖν τὴν ἀναγραφήν, ἀλλ' αὐτὰ μένα τὰ τῶ νόμω παρέδοσαν οἱ πεμφθέντες ἐπὶ τὴν ἐξήγησιν εἰς τὴν Ἀλεξάνδρειαν. Diſtinguit igitur τὸν νόμον a reliqua ἀναγραφῇ, adeoque vocabulo poteſtatem ſubiicit, quam diximus, anguſtiorem; reliqua ſcripta, negat, Ptolemaeum accepiſſe. Addit deinde, multas reipubl.

6) *In libro de menſ. et ponder. Tom. II. p.* 161. *Ed. Petau.* Sic etiam eſt *Rom. IX*, 4.

7) *In prooem. Antiquitt. Iud.* §. 3. pag. 2. *Ed. Havere.*

Iudaicae converſiones, et innumera alia memoriae prodita eſſe in his libris, quos Ptolemaeus non viderit, ſeque iſta omnia iam ordine expoſiturum. Etiam *Philonem* de lege Moſis ſola loqui [8]), tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Nam ut taceam, eum vocabulis νόμος et νομοθεσία promiſcue uti; quis, quaeſo, dubitaverit, de lege Moſaica ſermonem eſſe, ſi inter alias interpretum laudes etiam hanc inveniat, ipſis contigiſſe συνδρομεῖν λογισμοῖς εἰλικρινέσι τῷ Μωσέως καθαρωτάτῳ πνεύματι. Addo et hoc, eum, paucis interiectis, de legislatore Iudaeorum ſolo loqui, cuius vitam et res geſtas ſcribere inſtituerat, atque deinde ea commemorare, quae his Moſis libris contineantur, reliquos tacere. Sed haec pluribus perſequi, inutile foret. Idem confirmari *Ariſtobuli* apud *Euſebium* teſtimonio [9]), illi ipſi, qui alteri ſententiae favent, non inficiantur, ut *Valeſius*

---

8) *De vita Moſis* L. II. p. 509. ſeqq. *Ed. Colon.* Liceat enim mihi diſcedere a ſententia S. R. *Schmidii*, qui *in hiſt. antiqua Canonis Veteris Novique Teſtamenti* p. 130. hunc Philonis locum de toto Hebraeorum codice intelligere videtur. Quam interpretationem profecto non patitur ſcriptoris oratio. Neque ſic perit vis argumenti, quo Vir ſummus ibi utitur; Philonem enim etiam reliquos Hebraeorum libros putaſſe divinos, loci docent, quos paſſim ex illis profert.

9) *Praeparat. Evangel.* L. XIII. c. 12. p. 664. *Ed. Colon.*

ad *Euſebii hiſtoriam eccleſ.* in loco, quem ſupra laudavimus. Accedit denique magiſtrorum Iudaicorum ſententia, qui Ptolemaeum interpretibus dixiſſe tradunt [10]), כתבו לי תירת משה רבכם, ſcribite mihi legem Moſis, magiſtri veſtri; imo traditio eſt R. Iehudae [11]), magiſtros nonniſi legem permiſiſſe in linguam Graecam transſcribi, idque propter illud, quod Ptolemaei regis iuſſu factum ſit, משום מעשה רתלמי המלך. Ex quo ſequitur, ut nonniſi lex Moſaica permittentibus Synedrii doctoribus verſa fuerit; cetera iplis vel inſciis, vel invitis. Antiquiſſima igitur ipſorum Iudaeorum teſtimonia, qui, ſi quis alius, hac in re inprimis audiendi ſunt, hoc docent, verſionem, Ptolemaei temporibus factam, ſolos Moſis libros complexam eſſe. Nemo mihi dixerit, *Ariſteae*, fabularum auctori, quem ceteri fere ſecuti ſint, nullam deberi fidem. Potuiſſet enim in hac fingendi licentia, quod de Moſis libris tradit, de univerſa ſcriptura praedicare, ſi univerſam translatam eſſe ſciviſſet; iam cum tantum opus ac tam praeclarum, tot ſumtibus effectum, cuius et ipſe auctor videri volebat, ad ſolam Moſis legem pertinuiſſe dicat, eius, credo, fides per

10) *Maſſ. Sopher.* cap. I.
11) *Megillah* fol. 9.

hanc modeſtiam augetur. Reliqui vero, qui hunc ſequuntur, ut *Philo* et *Ioſephus*, id non temere feciſſe exiſtimandi ſunt, cum non ignorare poſſent, quae ſit communis et antiquiſſima gentis ſuae hac de re ſententia. Nec quisquam teſtem ex Iudaeis producat, nobisque opponat, ineptiſſimum illum, impudentiſſimumque nugatorem, *Ioſephum Gorionidem*, qui Ptolemaeum, ait, ex Illyria, ubi multas tribus tunc temporis sedem fixiſſe tradit; libros ſacros accepiſſe, ac deinde Hieroſolymis arceſſiviſſe interpretem, qui omnes Iudaeorum libros ex Iudaica in Graecam linguam verteret [12]). Nam ut ſolitam hominis mentiendi licentiam ſtultitiamque praetermittam: recentiſſimus eſt, adeoque vix dignus, qui ſententiam rogetur. Ac dudum obſervarunt viri docti, et in his litteris exercitatiſſimi, tantam eſſe orationis in ſingulis libris, et omnino interpretandi rationis diverſitatem, ut longe diverſiſſimos et doctrina, et cura auctores habuiſſe hanc verſionem, nemo negaverit, qui mediocrem cum ea familiaritatem

12) L. II. cap. 23. p. 155. *Ed. Breithaupt.* Eleazarum ipſum, contra omnium ſcriptorum auctoritatem, libros ſacros interpretatum eſſe, nugatur; verba ſunt: אל ירושלם אז שלח הוא (ſc. Ptolemaeus) ויקח משם את אלעזר הכהן אחד משמון הכהן החכם ויפתר לו את כל ספרי היהודים מלשון היהודית אל לשון יונית

contraxerit [13]). Sed hoc uberius enarrandi hic non eſt locus. Quaeri autem poteſt, an Ptolemaei tempore facta legis Moſaicae verſio ea ſit, quam etiamnum legimus? qua de re nobis quidem non ſatis conſtat. Nam cum ea huius verſionis indoles ſit, ut cum Pentateucho, quam dicimus, Samaritana per omnia fere conſpiret; quid impedit, quominus credamus, eam, quae Ptolemaei iuſſu ac ſumtibus e codice Palaeſtino ducta perhibetur, non emanaſſe in vulgus, ac poſtea, ipſorum Iudaeorum conſilio confectam aliam eſſe e codice Samaritanis litteris ſcripto; quales fere eſſe ſolebant ii, quibus Alexandrini utebantur. Haec vero copiolius diſſerendi hic non eſt locus.

IV.

Sed antequam hunc locum dimitto, fatendum nec diſſimulandum eſt, longe aliam fuiſſe, ſi *Hieronymum* excipias, patrum, qui dicuntur, eccleſiaſticorum ſententiam. *Hieronymus* quidem, Iudaeos ſecutus, non uno loco haud obſcure ſignificat, Ptolemaei temporibus nonniſi legem Moſaicam eſſe converſam [14]). At reliqui

---

13) Videantur *Lamb. Bonii prolegomena* ad editionem huius verſionis cap. I.

14) Vid. v. c. *praefat. ad Paralip. et Comment. ad Ezech.* cap. V. cet.

omnes, *Iuſtinus Martyr* [15]), *Irenaeus* [16]), *Clemens Alexandrinus* [17]), *Euſebius Pamphili* [18]), *Epiphanius* [19]), *Theodoretus* [20]), *Auguſtinus* [21]), cet. uno ore dicunt, univerſam ſcripturam Ptolemaei iuſſu Graece factam eſſe. Longum foret, ſingulorum verba proferre; ſolent enim plerumque paullo copioſiores eſſe in commemoranda hac re. Itaque breviter tantum cauſſas enumerabimus, quibus inducti tot ſcriptorum auctoritate non movcamur. Ac primo quidem a temporibus, quibus facta dicitur verſio Graeca, nimis remoti ſunt, quam ut eius rei teſtes eſſe poſſint idonei; et quamvis hoc etiam in *Philone* et *Ioſepho* reprehendi poſſit, nemo tamen negaverit, hos multo antiquiores eſſe, et ut omni doctrina, ita et rerum Iudaicarum peritia admodum excultos, ut hac quidem in cauſſa patribus eccleſiae facile praeferendi videantur; et cum ipſorum temporibus omnes libri ſacri Graece lecti fuerint; graviſſimis

15) In *dialogo cum Tryph. Iudaeo* pag. 297. *et in Apol. I.* pag. 72. ed. Par.

16) *Apud Euſebium Hiſtor. eccleſ.* L. V. cap. 8. pag. 220. ſeq. *Ed. Reading.*

17) *L. I. Strom.*

18) *Hiſtor. eccleſ.* L. V. cap. 8.

19) *In lib. de menſ. et ponder. Tom. II.* pag. 161. *Ed. Petav.*

20) *In praefat. comment. in Pſalmos.*

21) *De civit. Dei* L. XV. cap. 11. pag. 824. *Ed. Baſil.*

profecto cauſſis inducti, non totum illud verſionis Alexandrinae corpus Ptolemaei curae et munificentiae, ſed Pentateuchi tantum verſionem tribuere. Deinde patrum nonnulli ſatis dubitanter loquuntur, ut rem omnem incertis rumoribus tribuere videantur, ut *Clemens Alexandrinus*, qui ἑρμηνευθῆναι, inquit, τὰς γραφὰς, τάς τε τῷ νόμῳ, καὶ τὰς προφητικὰς, ἐκ τῆς τῶν Ἑβραίων διαλέκτου εἰς τὴν τῶν Ἑλλήνων γλῶτταν ΦΑΣΙΝ ἐπὶ βασιλέως Πτολεμαίου. Alii rem ita narrant, ut vix digni videantur, quos audias, ut *Juſtinus Martyr*, qui Ptolemaeum ab Herode, Iudaeorum rege, libros ſacros accepiſſe narrat. Talia vero quis crediderit, aut eum, qui tantam rerum geſtarum inſcitiam prodit, teſtem fide dignum putaverit? Accedit, patres, qui haec narrant, fere omnes fuiſſe litterarum Hebraicarum rudes; *Epiphanius* enim quam fuerit harum rerum peritus, eius libri ſatis loquuntur; reliquos aut plane imperitos fuiſſe, aut ultra verba quaedam vix ſapuiſſe, conſtat. Fuerunt denique teſtes corrupti, et verſioni Graecae ſtudentes. Hebraica enim cum ignorarent, e ſola pendere cogebantur Alexandrinorum interpretatione, cuius auctoritati atque exiſtimationi, ne et ipſi peritorum reprehenſionem incurrerent, quovis modo conſulebant, eamque totam Ptolemaei regis iuſſu factam

dicebant, quod hae origines ſatis videbantur honorificae, quamvis ſcriptor antiquus, qui id tradat, proferri poſſit nullus. Atque hinc provenere, et ab Helleniſtis maxime deſumtae, in eccleſiam irrepſere illa opinionum portenta de miro interpretum conſenſu, ac θεοπνευσίᾳ adeo, quam fabulam inprimis ornat *Epiphanius*. Sed de his poſtea plura dicentur.

V.

Iam cum recte ſumi poſſe videatur, tempore Ptolemaei Philadelphi nonniſi Moſis legem verſam eſſe: ſponte ſequitur, ut reliquis libris *ſeriori tempore* id contigerit. Legem enim primam fuiſſe librorum ſacrorum partem, quae Graece legeretur, de eo, quod ſciam, nemo unquam dubitavit. Sed quo circiter tempore id factum ſit, cum hiſtoria nos deſtituat, a viris doctis quaeri video. *Humphr. Hodius* quidem, ut iam monui, Ieſaiam et reliquos prophetas, cenſet, Antiochi Epiphanis tempore verſos eſſe, propterea, quod Iudaeis per hunc regem non liceret legem Moſaicam publice legere, in cuius locum e prophetis eas ſibi delegiſſe dicuntur ſectiones, quae Hebraeo vocabulo Haphtharoth vocantur, quasque Domini temporibus in Palaeſtina lectas eſſe, et a Iudaeis etiamnum legi, conſtat. Hanc ob cauſſam

iſto tempore, putat, opus fuiſſe verſione Graeca prophetarum, cuius publicus eſſet uſus in ſynagogis, habetque in eo conſentientes multos viros doctos; de reliquis libris nihil definit. Sed vereor, ut haec hiſtoriae ſatis conſentanea ſint. Nolo iam iis uti, incertioribus quippe, quae *Lightfootus* monuit [22]), non heterodoxum admodum eſſe, ſic enim ait, ſi quis ſtatuat, verſionem Graecam ab Helleniſtis in ſynagogis lectam non fuiſſe. Largior hoc, nec tamen credo, cauſſam ſatis idoneam, cur prophetarum libri verſi ſint, reperiri in Antiochi Epiphanis crudelitate, qua Iudaeis legis uſu interdictum eſt. Concedam tantisper, de quo tamen iure dubitari poteſt, interdictum illud etiam Iudaeis Alexandrinis fuiſſe propoſitum: *Vitringa* tamen iam vidit [23]), non legis tantum, ſed *omnium* omnino librorum ſacrorum lectionem ab Antiocho prohibitam fuiſſe; quod, ſi *Ioſephum* audias, veriſſimum eſſe videtur. Aliquo enim loco [24]) ἠφανίζετο, inquit, ὅπου βίβλος εὑρεθείη ἱερὰ καὶ νόμος, καὶ πᾶς εἰς εὑρεθείη καὶ ὅτοι κακοὶ κακῶς ἀπώλοντο. Βίβλος ἱερὰ autem, ſi a νόμῳ diſtinguitur, *Ioſepho* ſemper notat unum e reliquis libris ſacris, a lege diverſum;

22) *In append.* ad 1 Cor. XIV. *p.* m. 863 *ſeqq.*

23) *In obſervatt. ſacr.* Cap. VII.

24) *Antiquitt.* L. XII. cap. V. §. 4.

quis igitur non videt, etiam in reliquos ſcripturae libros tunc temporis ſaevitum fuiſſe? Auctor quidem libri primi Maccabaeorum videtur ille de lege tantum loqui [25]); ſed ſine dubio propterea, quod legis volumina frequentiora erant, adeoque ſaepius cremabantur; niſi forte formula, qua utitur, *βιβλίον διαθήκης* idem notet, quod *Joſephus* per *βίβλον ἱερὰν* ſignificat. Quae ſi vera ſunt, ſequitur, ut vexationis iſtius tempore propheticorum librorum uſus aeque nullus fuerit, ac legis Moſaicae. Cur itaque translati fuiſſent, cum verſione ne uti quidem licuiſſet? Cur Antiochus legem tantum tollendam cenſuiſſet, reliquorum librorum lectionem, qui et ipſi ſacri eſſent, et cum lege coniunctiſſimi, non impediviſſet? Quis denique in communi illa calamitate et rerum Iudaicarum ſumma perturbatione de vertendis libris ſacris cogitaſſet, cum aut patria ſacra eiuranda, aut vitae metuendum eſſet? Atque ſi quis dicat, Antiochum primo quidem legem, deinde, cum vidiſſet, Iudaeos Prophetas legere, etiam hos ipſis eripuiſſe; tantum abeſt, ut id negemus, ut eam ſententiam ſatis probabilem eſſe putemus. Sed quis crediderit, tam celeriter potuiſſe prophetarum verſionem quaſi protrudi, ut iam

25) Cap. I, §. 57.

conſecta eſſet, antequam etiam horum librorum lectio prohiberetur? Sed ne probabile quidem eſt, Antiochum Iudaeis in Aegypto, et inprimis Alexandriae degentibus, libros ſacros eripere potuiſſe. Etſi enim Aegypto bellum bis intulit: factum tamen id eſſe conſtat, antequam captis Hieroſolymis Iudaeos Palaeſtinenſes vexaret. Deinde, quamquam parum abfuit, quin omnem Aegyptum in poteſtatem redigeret: tamen nec diu ibi haerere, nec Alexandriam, quam in prima expeditione iam tentaverat [26]), expugnare potuit, a Romanis diſcedere iuſſus [27]). Quae cum ita ſe habeant, ab ea calamitate, quae Iudaeos in Palaeſtina afflixit, Alexandrini immunes fuerint, neceſſe eſt, adeoque nec ad deligendas Haphtharoth coacti. Nec ullum omnino vidi teſtimonium auctoris antiqui, ex quo pateat, Antiochum etiam in Iudaeos extra Palaeſtinam habitantes aut ſaeviiſſe, aut omnino potuiſſe ſaevire. Auctor contra libri Maccabaeorum, atque cum illo *Ioſephus* Palaeſtinae finibus circumſcriptam fuiſſe iliam afflictionem, diſerte tradunt [28]). Valde itaque

---

26) Vid. *Liv.* l. XLV. cap. 11.

27) Vid. *Ioſeph. Antiquitatt.* l. XII. cap. 5. §. 2. et *Liv.* l. XLV. cap. 12.

28) Vid. 1 *Maccab.* I, 44. ſeqq. et *Ioſephus Antiquitatt.* l. XII. cap. 5. §. 2. ſeqq.

dubium eſt, an iſtae e prophetis deſumtae ſectiones apud Aegyptios et extra Palaeſtinam antiquiſſimis temporibus lectae fuerint. Equidem non ignoro, apoſtolorum tempore Antiochiae in Piſidia id eſſe factum [29]), ac ſine dubio etiam in aliis Iudaeorum per Aſiam ſynagogis. Sed nondum confectum eſt, lectam ibi eſſe verſionem Graecam, et concedi etiam poteſt, illam ſectiones prophetarum legendi conſuetudinem ſenſim in aliis regionibus invaluiſſe. Hoc vero non impedit, quominus credamus, iſtam Antiochi in Iudaeos Palaeſtinenſes ſaevitiam, ad vertendos prophetarum libros Alexandrinos Iudaeos non potuiſſe cogere. Ceterum hoc certum eſt, anno A. C. N. circiter CXXX. omnes libros V. T. Graece in Aegypto fuiſſe. Docet hoc locus in praefatione libri *Siracidis* [30]), ubi *Ieſus*, Sirachi filius, ſuam in interpretando avi libro induſtriam et commendaturus, et apud peritos rerum aeſtimatores excuſaturus, negat, Hebraica ita poſſe in linguam Graecam transferri, ut vera eorum vis integra maneat; deinde addit haec: ὃ μόνον δὲ ταῦτα, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ὁ νόμος, καὶ αἱ προφητεῖαι, καὶ τὰ λοιπὰ τῶν

29) *Actor.* XIII, 14. 15.

30) Attulerunt hunc locum iam *Hodius*, *Kennicotus*, et alii. Videnda etiam, quae de eo notarunt *Scaliger* et *Petavius*.

βιβλίων ἃ μικρὰν ἔχει τὴν διαφορὰν ἐν ἑαυτοῖς λεγόμενα. ἐν γὰρ τῷ ἑβδόῳ καὶ τριακοστῷ ἔτει ἐπὶ τῆ Εὐεργέτα βασιλέως, παραγενηθεις εἰς Αἴγυπτον καὶ συγχρονίσας, κ τ λ' Iam vero Evergetes, cuius tempore in Aegyptum delatus eſt *Siracides*, ſecundus eſt: octo vero illi et triginta anni non ab aera Philadelphi Dionyſiana repetendi, quod contra *Scaligerum* docet *Petavius* in animadverſionibus ad *Epiphanium*[31]); ſed aut ab illo tempore, quo *Ieſus* in Aegyptum profectus eſt, aut ab eo, quo avus ipſius librum ſuum Hebraice edidit, quod poſterius probabilius videtur. Ptolemaeus autem ille A. M. 3859[32]) regnum adeptus, per XXIX annos ei praefuit: ex quo cogitur, ut *Siracides* CXI. aut CXXX circiter ante Chriſtum natum annis omnes libros ſacros in linguam Graecam translatos, in Aegypto viderit. Ex his omnibus itaque probabile eſt, iam ante Antiochi Epiphanis tempore reliquos libros divinos Graece factos, nec eius rei cauſam in prohibita per eum legis Moſaicae lectione quaerendam eſſe. Atque ſic etiam concidunt, quae addit *Hodius*, Ieſaiam et reliquos prophetas in uſum templi Heliopolitani et ſynagogarum Alexandrinarum verſos

31) *Ad librum de menſ. et ponderib.* pag. 383.

32) E computatione *Uſſerii.*

eſſe. Etenim ſi *Siracidis* tempore, qui fere eſt Oniae aequalis, omnes libri non modo verſi, verum etiam, ut videtur, in corpus redacti fuere: verſio non poteſt non iam antea confecta eſſe. Fuit etiam iſtius templi fere ſemper conditio tenuis, *Ioſephus* μικρότερον καὶ πενιχρότερον vocat, ut maxima Iudaeorum, qui Aegyptum colebant, inprimis Alexandrinorum pars illud deteſtata videatur. Hoc non obſcure ſignificat *Ioſephus*. Narrat enim [35]), inter Samaritanos et Iudaeos Alexandrinos eodem fere tempore exortam eſſe disputationem, ac fere ſeditionem, cum illi auctoritatem templi in monte Garizim exſtructi, hi aedis Hieroſolymitanae ſanctitatem tuerentur, utraque vero pars ex lege Moſaica litem dirimendam eſſe contenderet. Forſitan novum in praefectura Heliopolitana conditum templum concertationi anſam dedit. At quam fancte Iudaei Alexandrini aedem Hieroſolymitanam iſto tempore coluerint, ex eo patet, quod magnopere metuiſſe dicuntur iis, quibus iura templi Hieroſolymitani coram rege Ptolemaeo, qui litis iudex ſedebat, tueri contigiſſet; aegre enim ferebant, ſi quis templi adeo antiqui, et toto terrarum orbe celeberrimi auctoritatem labefactatum iret. Tanta igitur ſi iſto

35) *Antiquitatt.* l. XIII. cap. 7. §. 4.

tempore fuit Alexandrinorum religio in aedem Hieroſolymitanam, credibile non eſt, iisdem inſtituta ſua probaſſe Oniam, quae cum lege Moſaica manifeſte pugnarent. Ex quo ſequitur etiam hoc, ut, ſi verſio prophetarum Graeca Alexandriae facta ſit, de quo nemo dubitat, illa non ſcripta ſit eo conſilio, ut in aede profana ac deteſtabili praelegeretur. Si denique recte ſe habent, quae iam monuimus, prophetarum libros in ſynagogis legendi conſuetudinem, apud Helleniſtas certe, recentiorem eſſe: ruit etiam illud, quod *Hodius* de Synagogis Alexandrinis addidit. Sine dubio enim prophetarum Graeca verſio ante fuit confecta, quam Alexandrini de iis publice legendis cogitarent.

VI.

His itaque confectis, haud iniqui iudices videbimur, ſi horum librorum interpretes homines *obſcuros* fuiſſe dicamus. Legem ex auctoritate publica verſam eſſe, certum eſt, ſive id Ptolemaei regis iuſſu, ſive Alexandrinorum Iudeorum conſilio factum ſit. Quod qui negare vellet, is vero auctoribus vetuſtis omnibus, qui quidem hanc rem tetigere, repugnaret. De reliquis vero libris idem dici non poteſt; diceretur enim perperam, cum idoneus auctor non adſit, qui tradat. Patribus enim eccleſiae

hac quidem in re nullam deberi fidem, ſupra iam monuimus, et mox addemus plura. Atque ſi probabile eſt, ut certe eſt, apud Helleniſtas antiquis temporibus non lectas eſſe ſectiones prophetarum; cur quaeſo reliqui libri ſacri publice vertendi fuiſſent, praeſertim cum id ſine ſumtibus magnis non potuiſſet fieri? Deindo Iudaei ex plebe, lucro plerumque dediti, ſolent illi etiamnum ſola lege contenti eſſe; quod Helleniſtas feciſſe, in rebus, ad cultum divinum pertinentibus, paullo negligentiores, quis mirabitur? Doctiores autem Alexandrini, qui Hebraice ſciebant, verſione facile caruere. Ex quibus colligitur, libros ſacros, praeter legem Moſaicam, privata induſtria translatos eſſe, et hominibus deberi obſcuris, qui, poſtquam lex Moſaica verſa erat, reliquos libros interpretandi periculum facerent in uſus domeſticos; quae diverſae et magnopere diſſimiles verſiones poſtea in unum corpus collectae, magis, ut ſit, celebrari coeperunt.

VII.

II) *Codices, e quibus librorum V. T. verſio Graeca manavit, fuere privati, nec admodum boni.* Hoc ex iis, quae hactenus diſputata ſunt, quodammodo ſequitur; ſed dignum eſt, quod copioſius differamus. Longum foret,

ſi, quid nobis de lite videatur, ſuper his codicibus inter Ill. *Tychſenium*, et complures Viros doctos nuper exorta, iam vellemus exponere. Non enim iam quaeritur, quo litterarum genere codices illi ſcripti fuerint, ſed quae fuerit eorum indoles. Sumamus igitur, quod plerique lubenter largientur, fuiſſe codices Hebraeos, aut Chaldaicis, aut Samaritanis (hoc enim ambigi poteſt) litteris ſcriptos: nemo tamen negaverit, cum interpretes homines fuerint privati, nulla vel auctoritate, vel iuſſu publico ad interpretandum excitati, etiam codices ipſorum tales fuiſſe, quales tum in Aegypto eſſe ſolerent. Atqui ſi Demetrio credimus apud *Ariſteam*, negligentius ſcripti fuerunt, qui illo tempore circumferebantur, codices Hebraei, ut is regi auctor eſſet, melioribus libris et interpretibus e Palaeſtina arceſſendis: τυγχάνει γάρ, inquit, ἐβραικοῖς γράμμασι καὶ φωνῇ λεγόμενα· (ſc. τῶν Ἰουδαίων βιβλία) ἀμελέστερον δὲ, καὶ οὐχ ὡς ὑπάρχει [34]), σεσήμανθαι, καθὼς ὑπὸ τῶν εἰδότων προσαναφέρεται. προνοίας γὰρ βασιλικῆς οὐ τέτευχε. Lubenter damus, *Ariſteae* narrationem eſſe opus ſuppoſititium, et fabulis refertum; at antiquum eſſe, et ita conſectum, ut temporibus aliisque

34) *Meibomius* hunc locum ſic emendat: καὶ οὐχ ὡς ὑπ' ἀρχὴν σαφῆ, quae fane melior videtur lectio eſſe.

περισσόσιον accommodatum eſſet, quis negaverit? Accedit *Ioſephi* teſtimonium, qui Demetrii ad regem litteras paullo aliter commemorat, et ea de re haec habet: συμβέβηκε δ' αὐτὰ καὶ ἀμελέστερον, ἢ ἔχει, σεσήμανθαι, διὰ τὸ βασιλικῆς ὕπω τετυχηκέναι πραγματείας. ἔτι δ' ἀναγκαῖον, εἶναι καὶ ταῦτα παρὰ σοὶ διηρμηνευμένα. Non ignoro, varie hos loços a viris doctis explicari, inprimis illud σεσήμανθαι, quod alii de verſione intelligunt, negligentius facta; alii, ut *Meibomius*, de conſonis litteris abſque vocalibus; alii denique non ſatis accurate ſcriptos libros intelligunt, quae interpretatio poſterior facile praeferenda reliquis eſt, cum conſtet, quae de verſione librorum Moſis Graeca ante Ptolemaei tempora e locis nonnullis patrum eliciuntur, ut appareat ſcilicet, quomodo Plato et alii Graecorum philoſophi Moſi aliquid ſuſſurari potuerint, valde dubia eſſe atque incerta; *Meibomii* vero interpretationem facile contemnent, qui de vocalium antiquitate aliter ſentiunt, quos non paucos eſſe ſcimus. Recte igitur ex his locis colligitur, Iudaeorum, in Aegypto viventium, codices negligentius ſcriptos fuiſſe. Quod quidem nemini, credo, mirum videbitur, qui cogitet, paucos tantum e tanta multitudine Hebraice ſciviſſe, variis quoque calamitatibus iactatos, litteris et ſacrorum librorum ſtudio parum

temporis potuisse tribuere. Nec dicat aliquis, meliores libros secum attulisse Oniam. Nam ut taceam, neminem fore, qui id satis ex historia demonstret, graves contra causae sunt, quae suadeant, nullum fere Alexandrinorum cum Onia et eius aede fuisse commercium, id quod iam monuimus. Atque haec de codicibus, e quibus ductae videntur reliquorum librorum versiones, ex historia nata suspicio, quantopere, bone Deus, augetur, si legantur ipsae et examinentur diligentius. Non ignoro, eas multa pati esse per librariorum negligentiam ofcitantiamque; non infitior, eas passim interpolatorum expertas esse manus impias; fateor ac lubenter largior, eas criticorum industriam et accuratiorem curam postulare, atque adeo flagitare; scio denique, et exempla ipse proferam, eas a multis non satis intelligi, cum magnae eruditionis Graecae et Hebraicae opes ad veram earum intelligentiam afferendae sint: at difficiliores prophetarum, ut Iesaiae, Hoseae, Habacuci, Zachariae, aliorum, libros Graece ita legi, ut multis in locis, qui nec corrupti nec interpolati sunt, ne sententia quidem elicientur, aut lectores assequi possint, quid tandem viri sancti sibi velint, quis est, qui ignoret, aut negare ausit? Nisi itaque fumere velis, horum interpretum codices deteriores fuisse, interpretibus

ipſis aut ſupina negligentia, aut ſumma inſcitia vitio danda erit. Cogitent quaeſo, qui verſionem Alexandrinam ſi non praeferendam, at certe aequiparandam cenſent codici Iudaeorum, quid ſentiendum cogitandumve eſſet de ſanctorum virorum oraculis, quot eorum loci aut plane non intelligi poſſent, aut obſcuri, hiuleі, nullo apto ordine cohaerentes, frigidi, ac tantum non abſurdi eſſent, ſi non niſi Graeca verſio aetatem tuliſſet, codex vero Hebraeus, quem hodie multi tantopere vituperant, ac reſingendum cenſent, aut periiſſet, aut tanta Iudaeorum religione non fuiſſet ſervatus? Nonne etiamnum frigidas iſtas et ineptas explicationes allegoricas late dominantes videremus, quae patribus eccleſiaſticis tantopere placuere? Scilicet boni viri ſaepe meliora proferre vix potuere, cum, Hebraica non edocti, pendere cogerentur e verſione, quae viros ſanctos ipſis ſiſteret obſcuris aenigmatibus et inextricabilibus difficultatibus plenos. Quae cum ſcribimus, ut oſtendamus, non admodum bonos fuiſſe libros, e quibus oraculorum ſacrorum, excepta lege Moſaica, verſio ducta ſit: non inficiamur, multa in iis bona fuiſſe, cum conſtet, etiam vitioſos codices paſſim probabiles lectiones habere. Eorum vero licentiam reprimi volumus, qui omnia e verſione Alexandrina corradentes, quicquid

aut facilius, aut domesticis opinionibus accommodatius videtur, Hebraeo codici obtrudere conantur. Ac profecto etiam de versione Alexandrina dici potest, quod Ill. *Michaelis*, graviter sane et docte monuit contra lectionis varietatem e codicibus MSS. a *Kennicoto* prolatam[22]); *verae lectiones*, inquit, *quae vitio librariorum criticorumque perierunt, aliquid plerumque difficultatis ad intelligendum habent; quae enim librarius, quae audax ac semidoctus criticus — non intelligit* (addi etiam potest, interpres) *illa mutat omittitve — At ne unicam quidem huius generis lectionem in Kennicottiana collectione invenimus*; (et quot quaeso e versione Alexandrina lectiones difficiliores adhuc prolatae sunt?) *nullam, quae non facilior, sit communi editionum lectione, nullam, quam non ex lexicographis grammaticisque vulgaribus — Hebraica edoctus, aeque bene intelliges, ac si omni philologiae orientalis apparatu instructus, ad eam accedas* — Haec non minus vera sunt, si ad versiones antiquas transferantur, tenendaque imprimis, cum iis maxime in locis libros Hebraicos e versionibus refingi videamus, ubi aqua haeret, facilior autem lectio ab his offertur.

---

22) In Gelat. de libr. mss. Gottingens. tom. III. pag. 11.

VIII.

III) *Verſionis Alexandrinae apud Iudaeos ante Chriſtum natum ſemper parva fuit auctoritas, honorem vero ſuum maximam partem Chriſtianis debet.* De lege Moſaica non loquimur, quod ex iis, quae hactenus disputata ſunt, ſatis clarum eſſe putamus. Hanc enim ab Hellenistis publice lectam, iisque cariſſimam fuiſſe, nemo negaverit; quin tota illa *Ariſteae* fabula inde manavit. At reliquorum librorum verſioni a Iudaeis tantam nec auctoritatem tributam, nec honores habitos eſſe, iam docebimus. Omnia, quae ab antiquis Iudaeis de verſione Graeca honorifice dicuntur, *ad libros Moſis* pertinent. Horum verſionem laudibus proſequitur *Ariſteas*, *Ariſtobulus*, *Philo*, *Ioſephus*; ac *Thalmudici* adeo eius mentionem non ſine laude faciunt. De ſola legis verſione intelligenda ſunt, quae de miro interpretum conſenſu [56]), de ſumtibus a Ptolemaeo in eam rem factis, et de publica approbatione traduntur, quam conſecuta eſt, cum Ptolemaei iuſſu publice praelegeretur. Reliquorum vero librorum verſionem

---

56) Fallitur Veter. *Semlerus*, qui de *omnibus* V. T. libris hanc Hellenistarum opinionem fuiſſe putat; quod nullo ſcriptoris antiqui teſtimonio docere poteſt. Vid. eius liber *de Canone Part. II.* pag. 83. 84.

Ariſteas prorſus tacet; *Philo*, etſi ea uſus eſt, cum aut nullam, aut ſatis exiguam linguae Hebraicae peritiam habuiſſe videatur, fecit id caute, cum meliora non eſſent in promtu. At quam parce id factum ſit, ſciunt, qui *Philonem* legerunt; totus enim eſt in explicanda et commendanda lege Moſaica, ut raro e reliquis libris aliquid adſpergat; quod ipſum argumento eſſe poteſt, legis verſionem ab Hellenistis diligenter et lectam eſſe, et maximi factam, reliquorum librorum non item. *Ioſephus* vero, graviſſimus ſane hac in cauſa ſcriptor, eius non modo nullibi mentionem iniecit, verum etiam parum honorifice de ea cogitaſſe videtur. Etenim ſi certa ſunt, quae ſupra oſtendimus, et ex ipſo *Ioſepho* docuimus, Ptolemaei temporibus ſolam Moſis legem translatam eſſe: manifeſtum eſt, per omnes *Ioſephi* libros reliquarum verſionis Graecae partium ne mentionem quidem fieri. Nam quae vulgo dicunt, *Ioſephum* ſua fere omnia huic verſioni debere, ea ita comparata ſunt, ut aut vana cenſenda, aut de viri fide et doctrina dubitandum ſit. Adſcribam locum, quantumvis longiorem, ex quo colligi poterit, quid *Ioſephus*, cum ſcriberet, maxime ſecutus, quibusve auxiliis uſus ſit. In eadem praefatione, quam iam aliquoties laudavi, ſe hanc ob cauſam ſcripſiſſe

profitetur [37]), ut Graeci possent, si vellent, gentis Iudaicae res cognoscere: seque id fecisse eo lubentius, cum et maiores sua cum exteris benigne communicaverint; deinde haec addit [38]): ἔυρον τοίνυν, ὅτι Πτολεμαίων μὲν ὁ δεύτερος, μάλιστα δὴ βασιλεὺς περὶ παιδείαν καὶ βιβλίων συναγωγὴν σπουδάσας, ἐξαιρέτως ἐφιλοτιμήθη τὸν ἡμέτερον νόμον, καὶ τὴν κατ' αὐτὸν διάταξιν τῆς πολιτείας, εἰς τὴν Ελλάδα φωνὴν μεταβαλεῖν· ὁ δὲ τῶν παρ' ἡμῖν ἀρχιερέων οὐδενὸς ἀρετῇ δεύτερος Ελεάζαρος, τῷ προειρημένῳ βασιλεῖ τάυτης ἀπολαῦσαι τῆς ὠφελείας οὐκ ἐφθόνησε· πάντως αντειπὼν ἄν, εἰ μὴ πάτριον ἦν ἡμῖν, τὸ μηδὲν ἔχειν τῶν καλῶν ἀπόρρητον. καὶ ἐμαυτῷ δὴ πρέπειν ἐνόμισα, τοῦ μὲν ἀρχιερέως μιμήσασθαι τὸ μεγαλόψυχον· τῷ βασιλεῖ δὲ πολλοὺς ὁμοίως ὑπολαβεῖν καὶ νῦν εἶναι φιλομαθεῖς· οὐδὲ γὰρ πᾶσαν ἐκεῖνος ἐφθη λαβεῖν τὴν ἀναγραφὴν, ἀλλ' αὐτὰ μόνα τὰ τοῦ νόμου παρέδοσαν οἱ πεμφθέντες ἐπὶ τὴν ἐξήγησιν εἰς τὴν Αλεξάνδρειαν· μυρία δέ ἐστιν τὰ δηλούμενα διὰ τῶν ἱερῶν γραμμάτων, ἅτε δὴ πεντακισχιλίων ἐτῶν ἱστορίας ἐν αὐτοῖς περιειλημμένης [39]). Ex his colligitur

---

37) §. 2. *extr.*

38) §. 3.

39) *Hudsonus* haec ita vertit: *Comperiebam utique, quod Ptolemaeorum Secundus, rex maxime disciplinis librisque colligendis deditus, magnopere contenderit legem nostram reique publicae ex ea constitutionem in Graecum sermonem transferri; quodque Eleazarus, qui virtute non inferior erat, quam quisque nostrorum pontificum, hanc regi*

primo quidem hoc, *Iosephum*, cum commentarios suos scriberet, libros Hebraicos secutum esse; alias enim vana esset illa cum Eleazaro comparatio; et quorsum excusatio, ab istius exemplo desumta, nisi animo quasi praevidisset, se, ex ipsis libris Hebraicis Iudaeorum res gestas Graecis expositurum, Pharisaeis instituta sua vix probare posse? Ac prorsus dubitari nequit, *Iosephum* libros Hebraeos, eosque haud vulgares, habuisse, si alium locum addideris, qui est in eius vita, ubi narrat[40]), Titum sibi concessisse potestatem, ut, quicquid vellet, ex patriae excidio sibi sumeret; ἐγὼ δὲ, pergit, τῆς πατρίδος πεσούσης, μηδὲν ἔχων τιμιώτερον, ὁ τῶν ἐμαυτοῦ συμφορῶν εἰς παραμυθίαν λαβὼν φυλάξαιμι, σωμάτων ἐλευθέρων τὴν αἴτησιν ἐποιούμην Τῖτον, καὶ βιβλίων ἱερῶν ἔλαβον χαρισαμένου Τίτου. Iam quis crediderit, libros sacros, quos ex praeda sibi delegit, non fuisse Hebraicos? Non enim

---

isti non inviderit utilitatem: reclamaturus omnino, nisi mos patrius nobis exstitisset, res bonas et honestas celare neminem. Proinde et mihimet convenire putavi, ut et pontificis nostri imitarer magnanimitatem, et hodie quoque premultos discendi cupiditate regis illius similes esse existimarem. Neque enim totam scripturam accipere illi contigit, sed legem solam ei tradiderunt, qui ad eam interpretandam missi fuerant Alexandriam. Sunt autem innumera sacris litteris prodita, ut quae quinque millium annorum historiam in se complectantur.

40) §. 75. pag. 33. *Ed. Havers.*

audiendi ſunt, qui negant, *Ioſephum* Hebraice ſciviſſe, cum et ſacerdos eſſet non infimae ſortis, et linguam Graecam ſibi peregrinam appellet [41]). Si vero ſcivit, nonne data a Tito poteſtate optimos libros ſibi delegiſſe cenſendus eſt? Et cum gentis ſuae hiſtoriam componere vellet, quis credat, eum, relictis fontibus, rivulos conſectatum? Profitetur denique et alio loco [42]), ſe μόνην μεταφράζειν τὰς Ἑβραϊκὰς βίβλους εἰς τὴν Ἑλληνίδα γλῶτταν, et ea in ſcriptis ſuis referre, quae in antiquis libris invenerit. Sed ſcio, fore multos, qui dicant, re ipſa comprobari, quantum verſioni Alexandrinae tribuerit *Ioſephus;* ſaepe enim cum ea conſentire contra Hebraeum, qualis nunc eſt, codicem. Quod etſi minime negari poteſt, multa tamen ſunt, quae reſponderi poſſint. Ac primo quidem lubenter largimur, hanc verſionem ipſi notam fuiſſe, fortaſſe etiam in conſilium adhibitam;

41) *In praefat. antiquitatt.* §. 2. Adſcribam *Relandi* ad hunc locum verba: *Si itaque*, inquit, *Graeca lingua ipſi ξένη* fuit διάλεκτος, *quae lingua patria ipſi et domeſtica eſſe potuit, niſi Hebraeorum ſermo, qualis tunc erat. Unde accedere illis non poſſumus, qui Ioſephum linguae Hebraeae imperitum fuiſſe exiſtimant, quoniam videlicet in vocibus Hebraicis convertendis in Graecum ſermonem errare nonnunquam dicitur.*

42) *Antiquitatt.* l. X. cap. 10. §. 6. *et praefat. Antiquitt.* §. 2.

ignorare certe eam non potuit, cum ipse Alexandriae fuisset [43]). Ac legis quidem versione, quam ipse multis laudibus prosequitur, si usus sit, quis miretur? At nemo, qui *Iosephum* diligenter cognoverit, negabit, eundem saepe cum Hebraeo consentire contra versionem Graecam; ex quo patet, eum non e sola versione pependisse, sed libris Hebraeis usum esse. Deinde demum viderunt viri docti, cum passim ex hac versione interpolatum esse, quod saeculis post C. N. primis facile fieri potuit ab iis, qui Hebraea ignorarent, *Iosephum* vero ab Alexandrinorum versione discrepare viderent. Cum denique constet, eum multum dedisse Graecis et Romanis, et sedulo cavisse, ne quid in libris suis esset, quod his ridiculum, incredibile aut molestum videri posset: nemini mirum videbitur, eum illis in locis, ubi Alexandrini iam peperciisset delicatiori Graecorum palato, cum his consentire. Ceterum in loco, quem supra posuimus, haud obscure significat, versionem Alexandrinam sibi parum probari. Etenim nonne crederes, qui ista legis, nisi aliunde constaret, omnes libros sacros *Iosephi* tempore in Graecum sermonem translatos fuisse, eiusmodi versionem nunquam factam esse? Ita se

43) Vid. *eius vita* §. 75. pag. 38.

excuſat, ita ſe tuetur Eleazari exemplo, ut putares, ipſum opus aggredi, de quo ante cogitaverit nemo. Quorſum haec omnia, ſi ſcivit, verſionem Graecam e codicibus bonis factam, et dignam eſſe, e qua res Iudaicae cognoſcantur? Nonne ipſi viliſſima videri debebat, cum eius ne mentionem quidem iniiceret? Si quis autem putet, *Ioſephum* inſtituta ſua propterea excuſare, quod elegantiae Graecae ſtuderet, qua ſacra ſua contaminari putabant Iudaei: quaero, quomodo Eleazari exemplo factum purgare poſſit? Interpretes enim, ab eo miſſi, uti omnes fatentur, qui hanc, quam nunc legimus, legis verſionem ipſis tribuunt, elegantiae Graecae ſtudioſi non fuerunt. Nec poteſt *Ioſepho* ſuperſtitio vitio verti Phariſaica, quae omnes omnino verſiones librorum ſacrorum deteſtari ſolebat; a qua quam alienus fuerit, omnia eius ſcripta loquuntur. Relinquitur itaque, niſi locum iſtum ineptum putare velimus et frigidum, ut, *Ioſephum* non admodum benigne de hac verſione ſenſiſſe, fateamur, quaecunque tandem eius ſententiae cauſa fuerit; quam quidem in eo mihi deprehendiſſe videor, quod ſciret, eam aut non ſatis accuratam, aut e libris deterioribus ductam eſſe. Quo etiam factum puto, ut et in libris contra Apionem altum de ea ſilentium ſit; quamvis verſionem legis non taceat, ſed,

ad refellendam Apionis inſcitiam, in maximis regum Aegyptiorum beneficiis, et benevolentiae erga Iudaeos documentis ponat**). His addi poteſt Thalmuditarum auctoritas, qui legis Moſaicae verſionem commemorant, nusquam vero verſionem reliquorum librorum; quibus tamen ſi cui hac in re parum tribuendum videatur, non admodum repugnamus. Sed ex his omnibus quis non videt, legis Moſaicae verſionem communi antiquitatis teſtimonio commendari, reliquarum verſionum vix mentionem fieri, quod partim obſcuris earum originibus, partim indoli non ſatis bonae tribuendum videtur. Cui non repugnat, quod Helleniſtis ſcriptoribus paſſim uſurpatas eſſe ſcimus: melioribus enim dum carerent, delebant ſane iis uti, quae in promtu eſſent. Sufficit, legis verſionem reliquis ſemper manifeſte praeferri.

IX.

Sequitur nunc, ut oſtendamus, totum corpus verſionis Alexandrinae *Chriſtianis maxime honorem ſuum atque famam debere.* Supra iam monuimus, patres, qui dicuntur, eccleſiae copioſos eſſe in commendanda verſione Graeca, quod quia ſatis notum eſt, non docebimus

**) *Contra Apion.* l. II. pag. 472.

prolatis ſingulorum verbis. Pauca monebimus. Excogitata fuerat ab Helleniſtis, et ab ipſis Hebraeis non prorſus vituperata, fabula illa de mira origine verſionis legum Moſaicarum eo conſilio, ut maior ipſi auctoritas conciliaretur, quippe quae publice legi deberet in Synagogis. Patres vero eccleſiaſtici haec ad *omnium* librorum verſionem traduxerunt, ut, cum Hebraica ignorarent, ſub huius certe auctoritate delitescere poſſent; imo ulterius progreſſi, θεοπνευστίαν adeo tribuerunt his interpretibus, quod ex Iudaeis fere nemo fecerat, quam *Philo*, ſed de lege tantum locutus Moſaica, et admodum modeſtus, ſi comparetur cum *Epiphanio* et aliis [45]). Deinde cum viderent, Iudaeos eam

45) Ex his patet, quam vana ſint, quae *Kennicotus* Vir S. R. in diſſert. II. ſup. rat. text. Hebr. notavit. *Obſervandum eſt*, inquit, *Iudaeos a primo ſtatim ſecundi ſeculi initio Graecam verſionem, quod minus exacta ſit, et plurimum ab Hebraeo textu recedat, reprehendere coepiſſe.* (Atqui id dudum ante, imo ſemper fecerant, ſi hiſtoriam audire velimus.) *Duae in promtu ſunt rationes, cur haec verſio, quam patres eorum tantis laudibus extulerant* (de verſione legis Moſaicae hoc verum eſt, de reliquis non item, uti ſatis docuimus) *hoc tempore apud eos tam male audiebat. Etenim primum ſi Graecam verſionem amplius pro exacta approbare et ſequi voluiſſent; coacti fuiſſent Hebraeum ſuum textum reiicere, qui plurimas iam tam mutationes ſubierat.* (Pro exacta nunquam habuerunt, ergo nec tunc habere potuerunt.) *Deinde cum Chriſtiani ex hac Graeca verſione, qua plurimum utebantur,*

ut interpolatam accusare, et ab Hebraicis libris vehementer abhorrentem; ad vituperandam Iudaeorum perfidiam conversi, codicem Hebraeum, quem ne legere quidem possent, vitiosum, mutatum, corruptum esse clamabant. Quod quisque eo diligentius fecit et copiosius, quo fuit Hebraeae linguae imperitior; *Origenem* certe et *Hieronymum*, unicos hac in re testes fide dignos, ab ista opinione alienos fuisse, quis nescit? Hinc itaque orta illa Iudaeorum vituperatio, quam hodie nonnulli repetunt atque adeo augent, non cogitantes, eam inscitiae deberi, et desperationi cuidam patrum, qui cum Iudaeis ex hac versione disputantes, cum nescirent, quo se verterent, eo tandem adacti sunt, ut libros Hebraeos corruptos esse dicerent; quos tamen Iudaei semper tanta pietate coluerunt, ut frequenter et tormenta, et omnis generis mortem in theatris sustinere conspecti sint, ne ullum verbum contra leges admitterent [46]). Patrum

---

sua adversus Iudaeos argumenta promerent; suis rebus optime consulere arbitrabantur, si omnino hanc versionem condemnarent, quasi vel a primis suis initiis adeo negligenter et imperite confectam, vel ex eo inde tempore tanta vitiorum labe contaminatam, ut secure illi considere non liceret. (In quo illi non inique iudicarunt, cum eius nec auctores, nec libri noti essent, e quibus ducta esset.)

46) Τοιούτα γὰρ αἰῶνος ἤδη παρῳχηκότος, οὔτε προσθῆναί τις ἀδὲν, οὔτε ἀφελεῖν αὐτῶν, οὔτε μεταθεῖναι τετόλμηκεν. πᾶσι

contra tanta fuit cupiditas, et versionis Graecae tuendae studium, ut *Grabius* ipse viderit ac fassus sit[47]), obelos aliquando omissos, ut honori τῶν *LXX.* consuleretur. Atqui hoc pessimam arguit patrum et Alexandrinae versionis causam. Doctiores et erectioris ingenii viri hoc nec ignorarunt, nec dissimularunt, ut *Origenes* et *Hieronymus*, quantumvis modesti et cautiores, ne versionem Graecam, quae tot cultores nacta erat ac defensores, reprehendendo, imperitorum in se concitarent invidiam, quam tamen non potuerunt prorsus vitare. Eam vero ad libros Hebraeorum, tanquam ad normam, exigendam esse, saepe et professi sunt, et factis ostenderunt. Nec obscurum est, quid reliquos doctores ecclesiae impulerit, ut nihil non tentarent, quod ad commendandam versionem Graecam pertinere videretur. Primo enim, *Apostolos*, cum vidissent, ea usos esse in excitandis locis V. T., facile eo perducti sunt, ut summam auctoritatem tribuendam censerent versioni, quam tantorum virorum approbatione nobilitatam viderent. Id vero a viris sanctis

---

δὲ σύμφυτόν ἐστιν ἐυθὺς ἐκ τῆς πρώτης γενέσεως Ἰουδαίοις τὸ νομίζειν αὐτὰ θεοῦ δέγματα, καὶ τούτοις ἐμμένειν, καὶ ὑπὲρ αὐτῶν, εἰ δέοι, θνήσκειν ἡδέως. *Iosephus contra Apion.* l. l. pag. 442.

47) *De Vitiis LXX. Interpr.* pag. 108.

factum eſſe, nemo mirabitur, qui cogitet, eos, cum Graece ſcriberent, alia verſione uti non potuiſſe, et animo facile praevidiſſe, apud ſuos, quorum pauci Hebraice ſcirent, in poſterum frequentem fore eius uſum. Nec tuentur quaſi auctoritate ſua eius vitia: ſolent enim ab ea paſſim discedere et Hebraica ſequi, ubi, quod efficere volunt, e verſione Graeca non poſſunt. Hoc iam viderunt doctiſſimi patres *Origenes* et *Hieronymus*; quorum ille: ἐπημειώσαμεν δὲ, inquit, ὅτι ἐπί τινων οἱ Ἀπόστολοι τὸ Ἑβραϊκὸν, καὶ ἐν τῷ κοινῷ τεθείκασι; et hic: *crebro*, ait, *Euſtochium, dixiſſe me novi, Apoſtolos et Evangeliſtas, ubicunque de veteri inſtrumento ponunt teſtimonia, ſi inter Hebraicum et LXX. nulla diverſitas ſit, vel ſuis, vel LXX. interpretum verbis uti ſolitos. Sin autem aliter in Hebraico, aliter in veteri editione ſenſus eſt, Hebraicum magis, quam LXX. ſequi.* Deinde poſt *Apoſtolorum* aetatem omnes fere eccleſiarum praeſules e gentibus ad ſacra Chriſtiana perducti, adeoque linguae Hebraicae imperiti fuerunt; ſuam itaque quodammodo auctoritatem concidere videbant, ſi laboraret verſionis Alexandrinae fama, e qua, quidquid vel ipſi ſciebant, vel alios docebant, unice manarat. Denique etiam opus erat verſione aliqua Graeca, cuius publicus uſus eſſet in coetibus Chriſtianorum,

ut Alexandrina non modo ob vetuſtatem adoptanda, ſed adoptatae etiam tuenda eſſet auctoritas. Sed haec hactenus.

X.

Supereſt, ut ex his, quae a nobis disputata ſunt, definiamus, quid in conſtituenda codicis Hebraei lectione Graecae Alexandrinorum verſioni tribuendum ſit? Videntur omnia redire ad ſententias, quae ſequuntur. 1) Verſio Alexandrina cum ſit *vetuſtiſſima*, ſuo quodam iure poſtulare poteſt, ut inter *reliquos teſtes prima ſententiam rogetur*. 2) Sed vehementer falluntur, *qui eius lectionibus per omnes libros idem tribuunt;* quae e Pentateucho ducuntur, univerſe ſpectatae, inprimis dignae ſunt, quarum habeatur ratio; de reliquorum librorum verſionibus varie iudicandum eſt, cum et aetate et interpretum ſollertia magnopere differant. 3) Accuratius igitur definiendum eſt, quam adhuc factum, *quae ſit cuiusque verſionis vera indoles*, ut certius iudicari poſſit, quid de quovis interprete, et de codice ſperandum ſit, quo uſus eſſe videtur. 4) Commendatio lectionum verſionis Alexandrinae, quae ab earum *antiquitate* ducitur, *vehementer minuitur*, ſi cogites, *eam factam eſſe e codicibus negligenter ſcriptis*. 5) Ergo non poteſt *codici Iudaeorum*

Hebraeo inferior non eſſe, qui ſemper publice lectus, adeoque publica auctoritate munitus est; illa vero iam antiquiſſimis temporibus ab hoc abhorruit, eamque ob cauſam *ſemper vitioſa habita eſt.* 6) Ceterum iis in locis, ubi a libris impreſſis et ea lectione discrepat, quae communi Iudaeorum conſenſu probatur, facile ab ea *vincitur omne codicum MSS. a Kennicoto inſpectorum, agmen*, qui non modo ſatis vitioſi, ſed etiam, ſi vetuſtatem ſpectes, ad eius antiquitatem pro recentiſſimis habendi ſunt. 7) Reliquae autem verſiones Graecae, *Aquilae, Symmachi*, et *Theodotionis*, cum auctores habuerint doctiſſimos, et codicibus Palaeſtinis uſos, verſioni Alexandrinae *ſi non praeferendae, at certe acquiparandae ſunt.* 8) *Ioſephi* denique, *in re critica maior auctoritas eſt*, quam Alexandrinorum; fuit enim et doctiſſimus, et bonis libris e praeda, ut monuimus, Hieroſolymitana delectis, inſtructus.

XI.

Duo maxime, ut in omnibus omnino verſionibus antiquis, ita et in Alexandrina, obſervanda ſunt, ſi quis libris Hebraeis ex ea medicinam afferre velit, quorum alterum ad colligendas et emendas lectiones diverſas pertinet; ad comparandas cum lectione Hebraica et

iudicandas alterum. Primo enim videndum eſt, *an interpretes antiqui, ut Alexandrini, lectionem ſecuti ſint a libris noſtris vulgaribus vere diverſam;* deinde, ſi quam expreſſiſſe deprehendantur, *iudicandum, qualis ſit, et an digna videatur, quam lectioni vulgari praeferamus.* In utroque vehementer peccarunt vel ii, quibus in his litteris plurimum tribuendum eſt. Primum enim illud tot impeditum difficultatibus eſt, atque, ſi errandi periculum abeſſe debeat, tantae minutarum ſaepe obſervationum opes afferendae, praeſertim in verſione Alexandrina, ſunt, ut, niſi omnia accurate circumſpiciantur, facile lectionis varietatem iis in locis videas, in quibus Alexandrini aut a librariis corrupti ſint, aut cum Hebraicis amice conſpirent. In altero autem inprimis cavendum, ne iudicium praecipitetur, maxime in iis lectionibus, quae aut elegantiae quadam ſpecie, aut facilitatis concinnitatisque venuſtate legentes facile capiunt, et in errorem abducunt. De his igitur iam accuratius praecipiendum eſt. Sed ut omnis a diſputatione noſtra abſit invidia, duo monenda ſunt; primo, ne quis putet, nos argumentum, quod infinitis fere obſervationibus conſtat, in hac brevitate totum nobis pertractandum ſumere, quod ineptum foret; nonnullas tantum praeceptiones, quas plerumque

neglectas vidimus, commemorare, nobis propoſitum eſt; deinde, ſi quis exempla, e ſcriptis ſummorum virorum petita, hic legat, rogamus, ne id rixandi quodam ſtudio a nobis factum exiſtimet; vanum enim eſſet, tantorum virorum magnitudinem allatrare, aut, ſi quid humani, ut ſit, paſſi fuerint, ex eo ſibi laudis materiam quaerere. Eo enim conſilio id a nobis ſuſceptum eſt, ut tantorum virorum exemplis monerentur critici minutiores, qui, quidquid aut non intelligunt, aut delicatiori ſcilicet palato non blanditur, id e verſionibus, maxime Alexandrina, refingendum cenſent, et obtrudendum libris Hebraicis. Iam ad rem ipſam accedo.

XII.

Atque de cautionibus, quae in congerenda lectionis varietate e verſionibus Graecis, nominatim Alexandrina, obſervandae ſunt critico diligenti, ut vetuſtiores mittam, nuper demum praeceperunt viri celeberrimi, *Fiſcherus* [48]), *Starkius* [49]), *Knappius* [50]). Nos, ut iam

48) *In probationibus de verſſ. Graecis librorum V. T. litterarum Hebr. magiſtris:* prol. 7. tot.

49) *In Pſalmor. volum. I.* p. 105. ſeqq.

50) *In diſput. de Verſione Alexandrina in emendanda lectionis textus Hebr. cauto adhibenda.*

profeſſi ſumus, pauca tantum delibaturi, iis, quibus hoc argumentum plenius cognoſcere lubuerit, illa doctiſſimorum virorum ſcripta commendamus. Ac prima quidem lex, qua regi debet eorum induſtria, qui verſione Alexandrina uti voluerint ad indagandam nativam codicis Hebraei indolem, ea eſt, ut *diligenter quaeratur, an verba, quae nunc in ea aut leguntur, aut deſiderantur, ab ipſis auctoribus profecta, aut omiſſa ſint.* Etenim quot et quantis vitiis haec verſio contaminata ſit, poſt *Grabium, Boſium, Semlerum*, alios, docere, ſupervacaneum eſſet. Hoc autem non modo de ſingulis verbis aut ſectionibus parvis obſervari velim; ſed etiam de longioribus ῥήσεσι, quae aut additae ſint, aut fruſtra in ea quaerantur. Illuſtri exemplo utar, quod nuper propoſuit *Kennicotus*[51]), Vir Cel. Locum aliquem codicis Hebraei, quo et *Hubigantius* iam offenſus fuerat, 1 Sam. XVII, 11 – 32. additamentum eſſe cenſet, a recentiori quodam Iudaeo, poſt *Ioſephi* tempora, margini, ut ſit, adſcriptum, ac ſenſim in textum illatum. Argumentum, quo inprimis utitur, deſumtum eſt a codice verſionis Alexandrinae Vaticano, qui totam illam pericopam omittit, et comma 11 cum comm. 32

51) *In diſſert. II. ſuper rat. textus Hebr.* pag. 403. ſeqq.

ita coniungit, ut poſt verba: καὶ ἐφοβήθησαν σφόδρα, ſtatim pergat: καὶ εἶπε Δαυὶδ πρὸς Σαδλ κ. τ. λ. His addit, in ipſo codice huius verſionis Alexandrino haud obſcura veſtigia deprehendi, quae innuant, hunc locum non exſtitiſſe in libro, ex quo iſte codex ductus ſit, ſed a librario additum eſſe; duodecimum enim comma incipi verbis: καὶ εἶπε Δαυὶδ, quae cum ſint prima verba comm. 32, patere, exemplar, quo librarius uſus ſit, hunc locum non expreſſiſſe, ſcribam vero, cum animadverſiſſet, hic aliquid deſiderari, poſt prima comm. 32. verba iamiam ſcripta, illud additamentum aut ex alio codice, aut e margine inſarſiſſe. Denique huius ῥήσεως particulas ſingulas abſurditatibus, ſic enim ait, premi, adeoque interpolatoris ingenium ſapere. Hinc etiam factum, ut in editione, ab ipſo nuper curata, *Hubigantium* ſecutus, hanc pericopam uncis a reliqua oratione ſeiungeret — Sed fruſtra elaborare virum Cel. in eo, ut ſuſpectum reddat hunc codicis Hebraei locum, ſoli ignoratum codici verſionis Alexandrinae Vaticano, atque hunc potius corruptum eſſe, facile doceri poteſt. Primo enim codicum, quotquot ſunt, Hebraeorum omnium ſuffragio et auctoritate firmatur iſta pericopa, ut *Kennicotus* ipſe, e tot codicibus vetuſtis ne unum quidem protulerit, qui cum codice verſionis Graecae

Vaticano conſentiret. Notat quidem, codicem, quem numero 409. ſignat, verba comm. 19. בן איש אפרתי הזה exprimere ſupra raſuram ſpatii duodeviginti litterarum; ex quo oriri poſſet ſuſpicio, librarium verba comm. 32 ſcribere coepiſſe, et deinde, cum intellexiſſet, aliquid deeſſe, ſcripta deleviſſe, et pericopam addidiſſe, de qua quaeritur. Sed ut taceam, haec admodum incerta eſſe, ex ipſo illo codice doceri poteſt, raſuram illam non eo, quo diximus, modo ortam eſſe. Etenim verſiculus 32 verbis incipit: ויאמר דוד; iam ſi librarius ſic ſcribere coepiſſet, deinde vero eadem deleviſſet, ſequeretur, ut etiam raſura ויאמר adeſſe deberet; quae cum nulla ſit, cogitur nec initium verſiculi 32 olim ibi expreſſum fuiſſe. Iam cum hoc recte ſumi poſſit, omnibus codicibus Hebraeis hanc pericopam contineri; codicis Vaticani auctoritatem ad tantam teſtium tam diverſorum fidem ſatis tenuem eſſe, quis non videt? Accedit *Ioſephi* teſtimonium, quem in ſuis codicibus hunc locum legiſſe, tam certum eſt, quam quod certiſſimum; ut mirer, quomodo *Kennicotus* doctiſſimus eo progredi potuerit, ut fateretur quidem, *Ioſephum quaedam momenta huius inconcinnae narrationis, tamen ne dimidiam quidem eorum partem habere, quae hodie in hiſtoria ſacra reperiantur.* Quo futilius

nihil dici poterat. Nam qui frequenti lectione *Ioſephi* didicit, quomodo codicis ſacri hiſtorias eleganter ſoleat ac brevius commemorare, omiſſis, quae indolem Hebraicam ſapiant, aut ſuperflua videri poſſint: is vero hac in re parum deſiderabit. Ut taceam, in his, quae Vir doctiſſimus a Ioſepho praetermiſſa dicit, nonnulla manifeſte falſa deprehendi, veluti illud, *Ioſephum nihil dicere de exercitu prodeunte, atque ad arma conclamante;* at quid tandem ſignificant verba: παρετάσσοντο μὲν ὡς εἰς μάχην, ὠκ ἤρχοντο δὲ εἰς χεῖρας. Et nihilo minus *ipſi perſuaſum eſt, horum verſuum inſertionem primum ſuum ortum iis debere, quae Ioſephus ad variandam et amplificandam hanc hiſtoriam in ſua narratione addidit, iisdem tamen plura ſuperaddita fuiſſe;* quod quia prorſus temere ſumitur, non moramur. Etiam reliquos interpretes Graecos, *Aquilam*, *Theodotionem* et *Symmachum* hunc locum legiſſe, non inficiatur, nec potuit inficiari, cum nonnulla fragmenta etiamnum ſuperſint. Addi poſſunt *Chaldaeus*, *Syrus*, *Vulgatus* et *Arabs*, quorum duo poſteriores propterea inprimis notandi ſunt, quod e verſione Alexandrina interpretati docent, antiquitus hunc locum in ea lectum eſſe. Denique editiones verſionis Alexandrinae *Complutenſis* et *Aldina* etiam exhibent, quae ſimul

oſtendunt, quomodo lapſus ſit librarius, qui codicem MS. Alexandrinum confecit. Nam quod hic comm. 12 habet: καὶ εἶπε Δαυὶδ, illae exprimunt: καὶ ἦν Δαυὶδ, in quo quam facile errare potuerit librarius, pro ΚΑΙΗΝΔΑΥΙΔ ſcribens ΚΑΙΕΙΠΕΔΑΥΙΔ, quis non videt? Quid igitur? unius codicis Vaticani auctoritate moti, cui tot alii verſionis Alexandrinae codices, et ex ea ductae verſiones antiquae, cui, ut breviter multa complectar, *omnes*, quotquot ſunt, *teſtes vetuſti* repugnant, hunc locum inducendum cenſebimus? Ut taceam, difficultates, quibus impeditus dicitur, eas eſſe, quae facile ſolvi poſſint: cum contra, ſi vera eſſe ſtatuas, quae *Kennicotus* cum *Pilkingtono* [52]) probat, Davidem iſto tempore inter ſatellites regios militaſſe, plane intelligi nequeat, quomodo tandem, abiectis armis ad certamen prodierit veſtibus et inſtrumentis paſtoritiis inſtructus? Ex quibus ſatis patet, codicem verſionis Alexandrinae Vaticanum corruptum eſſe, ac vehementer falli, qui ex hac verſione libros Hebraeos emendare, vel potius urere et ſecare ante velint, quam de ipſius verſionis vulneribus cogitarint. Poſſemus ex hoc genere etiam alia exempla proferre,

52) Qui in libro: *Remarks upon ſeveral paſſages of Scripture*, hunc locum primus impugnavit.

ad verba formulasque ſingulas pertinentia, niſi iam ad aliud feſtinaret oratio.

XIII.

Cavendum enim, ne ibi diverſas nobis deprehendere videamur lectiones, ubi interpretes Alexandrini exquiſitioribus vocabulis utuntur, quorum vera vis non cuivis ſtatim ſuccurrat, vel eiusmodi verba coniungendi modis, qui ſint Graeco ſermoni proprii. De hoc non co[illegible] videtur Ill. *Michaelis*, qui aliquo Geneſeos loco [63]) Alexandrinos propterea aliam lectionem expreſſiſſe putat, quod formula utuntur, quae non ad verbum interpretanda, ſed ex indole uſuque linguae Graecae aeſtimanda erat. Moſes ibi commemorat ſeptimi diei conſecrationem, quam propterea factam dicit כי בו שבת מכל מלאכתו אשר ברא אלהים לעשות. Formula, ברא לעשות ita contorta videtur Viro illuſtri, ut neget, elegantem ſententiam effici poſſe, niſi lectionem ſequare τῶν ὁ [64]). Atqui hi interpretantur, ὧν ἤρξατο

63) Cap. II, 3.

64) *In bibl. oriental.* part IX. pag. 172, ubi haec ſcribit: ברא לעשות *würde heiſſen, creavit faciendo. Hier klingt das faciendo nicht blos überflüſſig, ſondern matt: fecit creando ſagte noch etwas, weil SCHAFFEN mehr*

ὁ θεὸς ποιῆσαι. Eos itaque legiſſe putat loco ברא, una littera mutata, ברא; iam vero بدأ Arabibus notare *invenire*, *excogitare*, vernacule *erſinden*, et de ipſa creatione dici; hanc vim etiam paſſim in libris ſacris habere, quamquam in partem deteriorem [55]). ἤρξατο vero Graecorum idem ſignificare poſſe; quin illos ipſos interpretes pro ברא ſaepius legiſſe videri ברא, ut apud Ieſaiam [56]), ubi ברא reddant κατέδειξε, quod vertendum ſit, *primus monſtravit*, *invenit* — Atque haec librorum Hebraicorum, quam putat, emendatio, non modo in verſionem vernaculam recepta eſt a Viro illuſtri [57]), ſed etiam ſaepius repetita [58]), ut non obſcure multum ei tribuat. Nobis quidem hac de re aliter videtur. Habet hoc locus iſte, ut, quamvis obſcurus non ſit, multis tamen viris doctis iam fraudi fuerit. Adſcribam *Erneſtii*, Viri ſummi, verba, quae aliquo loco, qui non ſtatim ſuccurrit, apud ipſum legere me memini: *obiter*, inquit, *notanda videtur Clerici*

---

iſt, als MACHEN, *aber was ſoll man bey* creavit *faciendo denken.*

55) 1 Reg. XII, 23. Nehem. VI, 8.

56) Cap. XL, 26. XLI, 20.

57) Vertit enim: *weil er an ihm von allen ſeinen Werken, die er zu machen erſunden hatte, ruhete.*

58) *In biblioth. Orient.* part. X. pag. 145.

ad locum Geneſ. II, 3. inſcitia. Οἱ ὁ *verterunt verbum* ברא, ἤρξατο ποιῆσαι. *Hic iure caſtigat Lud. Capellum, qui Graecos interpretes aliud habuiſſe in codice ſuo putabat, inſcitia verborum Graecorum: ipſe caſtigator pari inſcitia, non legiſſe eos in Hebraico exemplo, ait, quod eſſet* ἤρξατο ποιῆσαι, *ſed verbum Hebraicum ita intellexiſſe. Imo* ἤρξατο ποιῆσαι *eſt nihil aliud quam* ἐποίησε, *et illud* ἤρξατο *centies ſic redundat, ut apud Latinos COEPIT. Ita parvae obſervationis ignoratio tenebras doctiſſimis viris offundit.* Haec iam ſufficerent, ad refellenda ea, quae Vir illuſtris de hac lectionis varietate tradit. Sed ne quis putet, ſic tamen laborare lectionem Hebraicam, nec nos ad omnia reſpondiſſe, quae a Viro Cel. propoſita ſint, plura addemus. Ἤρξατο ποιῆσαι Graecis nihil aliud eſſe, quam *fecit*, ut praeclare monuit S. R. *Erneſti*, vel e libris N. T. notum eſt; ſic in Actis [59]) ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν eſt, *quae fecit Ieſus et docuit;* apud *Ioſephum* [60]) μόλις ἤρξατο ὑποβαίνειν τὸ ὕδωρ ἐφ' ἡμέρας ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα, *aqua per centum et quinquaginta dies vix abiit, ſeu receſſit, cet.* ut haec pluribus docere, fere putidum ſit. Nec

59) Cap. I, 1.
60) Antiquitt. lib. I. cap. 3. §. 5.

putandi ſunt Alexandrini in verſione ſic neglexiſſe illud לעשות, eos enim ſaepe duo vel plura verba Hebraica una formula Graeca exprimere, quis neſcit? et intellexiſſe videntur formulam Hebraicam ברא לעשות, uti nos ipſorum Graecam ἤρξατο ποιῆσαι, h. e. ut nihil aliud notet, quam *fecit*. Nec facile docuerit Vir illuſtris ἄρχεσθαι Graecis ſignificare *invenire*, *excogitare;* nobis certe nullum ſuccurrit exemplum. Certum itaque eſt, Alexandrinos hoc loco *aliam lectionem non eſſe ſecutos*, quam neo alius interpres vetuſtus vidit, omnes enim cum libris Hebraicis conſentiunt. Et quamquam ob elementorum ſimilitudinem facillimus eſt librariorum lapſus in ד et ר; tamen e tot codicibus, quos excuſſit *Kennicotus*, ne unus quidem eſt, qui legat ברא. Quod autem de huius verbi apud Arabes vi ac poteſtate monet, etſi negari non poteſt, inveniendi ſignificationem habere; plerumque tamen ſumitur in *malam partem*, et maxime iis de rebus dicitur, quae ad religionem pertinent, ut novatorum in religione impietatem ſignet; et ſic etiam in libris ſacris. Nec adduci poſſum, ut credam, Ieſaiae interpretem ſic legiſſe, qui verbum ברא exprimit Graeco καταδείκνυμι; imo hoc ipſum nos ad viam rectam deducit. Καταδείκνυμι enim, vel ſimplex δείκνυμι, ut omnes fatentur, Graecis

eſt *oſtendere*, *in conſpectum producere*; ſic *Heſiodus* [61]) uvas iubet

δεῖξαι δ' ἠελίῳ δέκα τ' ἤματα καὶ δέκα νύκτας,

et de creatione uſurpatum, idem notat, quod *Ariſtophanes in avibus apud Lucianum* alia formula ſignificat:

ἐπόττευσε γένος ἡμέτερον, καὶ πρῶτον ἀνήγαγεν εἰς φῶς.

Sive quod *Paullus* dicit [62]), ἐκ τῶν μὴ φαινομένων τὰ βλεπόμενα γεγονέναι. Igitur tantum abeſt, ut Graecus Ieſaiae interpres ברא legerit, ut veram verbi ברא vim, quae eſt *creare*, *condere*, h. e. facere, ut, quod antea non fuit, eſſe incipiat, eleganter expreſſerit. Iam cum עשה Hebraeis ſit *perficere*, *ad finem perducere*; apud Michaeam aliquo loco de conſiliis dicitur, noctu captis, et die ſequenti peractis [63]); ſequitur, ut formula ברא לעשות notet: *quae procreavit Deus, et procreata perfecit.* Hanc eſſe nativam verborum Hebraicorum ſignificationem clariſſime docet Ieſaias ipſe, qui formula utitur [64]), בראתיו יצרתיו אף אשיתיו,

61) Oper. et dies, v. 610.
62) Hebr. XI, 3.
63) Cap. II, 1. οἱ ὁ συντελῶν reddunt.
64) Cap. XLIII, 7.

h. e. *procreavi eum, formavi, perfeci.* Sed vereor, ne nimis copioſe haec perſecuti ſimus, progrediamur ad alia.

XIV.

In locis difficilioribus et obſcuris interpretes Graecos incertis ſaepe divinationibus indulſiſſe, ut, quid legerint, aut quam voluerint ſententiam reddere, certo definiri ſaepenumero non poſſit; et ab aliis iam obſervatum, et harum rerum perito nemini obſcurum eſt. Quod iis in libris maxime factum reperio, qui, quamquam, ſi difficultatem ſpectes, digni fuiſſent doctiſſimis interpretibus ac diligentiſſimis, imperitiores tamen ac negligentes nacti eſſe videntur, ut Ieſaiae, et minorum, qui dicuntur, prophetarum libri. Ex his autem libris lectionis varietatem qui colligere, eaque ad emendandos libros Hebraicos uti voluerit, nae, is oculatiſſimus ſit cautiſſimusque, neceſſe eſt, *ne interpretis Graeci coniecturas, quas verborum Hebraicorum obſcuritas vel inſcitia invito extorſerit, pro lectionis varietate arripiat, iisque temere utatur.* Liceat mihi exemplo uti, quod nuper, cum S. R. *Dathii* verſionem prophetarum minorum diligentius legerem, reperire me memini. Hoſeae aliquem locum [65]), qui ita

65) Cap. V, 2.

habet ושחטה שטים העטיקו ואני מוסר לכלם e verſione τῶν ὁ intelligendum cenſet atque emendandum Vir Cel. *Illi quidem*, inquit [66]), *habent:* ὁ (διεκτύεν) οἱ ἀγρεύοντες τὴν θήραν κατέκηξαν. *Dubium igitur non eſt, quin pro* שחט, mactavit, *legerint* שטח expandit; *deinde* שטים *explicant per* venatores, *quae ſignificatio quamquam aliis exemplis probari non poteſt; tamen a re ipſa aliena non eſt. Venatores enim recte declinantes dici pptuerunt, quod ſaepe in feris perſequendis a viis* deflectere *coguntur. Praeterea notetur Hebraismus in* שטחה העמיקו expanſione extendunt, *h. e.* late expandunt. *Vau ante* שטחה *pro* אשר *poſitum, ad* רשת *referendum eſt* — His itaque cauſis inductus vertit: *quale* (ſc. rete e comm. 1.) *venatores late ſolent extendere.* Nobis, ſit hoc Viri S. R. pace dictum, Hebraica ſana videntur; verſio τῶν ὁ autem ex inſcitia et male intellectis verbis Hebraicis profecta. Ac primo quidem miramur, quomodo οἱ ἀγρεύοντες poſſint ad Hebraicum שטים trahi; vocabulo שטים reſpondent Graeca τὴν θήραν. Quod autem שטים de venatione explicant Alexandrini, id profecto non eo conſilio fecere, quoſi vocabulum hoc notet, aut omnino poſſit notare,

66) *In notis criticis ad Hoſeam.*

ſed quod in loco difficili *ſonum captantes* (τῦ Ψ enim et τῦ Χ idem apud veteres ſonus erat), derivarent a צוד; et hinc illa venatio. Iam cum de venatione cogitarent, fieri non potuit, quin et reliqua verba ſic interpretarentur, ut probabilis efficeretur ſententia. Coniectura itaque ducti, cum paullo ante de rebus venaticis dictum eſſet, illud שחטה mutarunt in שטחו et reddiderunt *οἱ ἀγρεύοντες*. Niſi forte illud ὃ, quod Complutenſis omittit, delendum, et ſuſpicionem probandam cenſeas, quae e codice Barberino mihi ſuboritur. *Boſius* enim ad hunc locum notat, in margine iſtius codicis ſic eſſe: καὶ θυ ..... *octo decemve verbis vetuſtate pene deletis.* Puto, ſcriptum olim fuiſſe: καὶ θύσαντες τὴν θήραν, κατέπηξαν, *expandunt retia, quicquid venati fuerint, mactaturi.* Hoc etiam *Vulgatus* ſubindicat, qui hunc locum vertit: *et victimas declinaſtis in profundum.* Quae ſi ſumuntur, patet, interpretes iſtos aliam lectionem non habuiſſe, ſed locum, quem non ſatis intelligerent, utcunque interpretatos eſſe. Nec laborat lectio Hebraica, ut Viro Cel. videtur, ſed omnia ſunt expedita et ſententia elegans. Illud שחטה enim, ſive nomen eſſe putes, ſive infinitivum, *mactationem, caedes* notat; שטים vero proprie quidem *declinantes*, deinde *aberrantes a lege*, h. e. *peccatores* ſignificat. Sic

in Pſalmis[67]) עשה סטים שנאתי ab Alexandrinis vertitur: ποιοῦντας παραβάσεις ἐμίσησα. Atque haec vis nec in linguis, quae dicuntur, cognatis inſolens eſt. Interpres Syrus N. T. alio quo loco[68]) utitur vocabulo ܣܛܝܐ, quod eſt a ܣܛܐ, ut exprimat Graecum παράβασις, quod Alexandrinis uſurpatum vidimus in Pſalmis pro סטים. העמיק autem ex analogia fere omnium linguarum, quae id, quod abditum et obſcurum eſt, *profundum*, βαθὺ dicere ſolent, eſt *abſcondere, occulere*. Ieſaias gentem, quae lingua obſcura, nec ſatis cognita utitur, עמק שפה appellat[69]). Sic etiam Syrus intellexit hoc verbum. Ex his itaque efficitur loci, de quo quaeritur, haec ſententia: *caedes nefandi illi homines occulere ſolent: ego vero omnes puniam* — Ac poſſemus quidem ex hoc genere facile plura proferre, ſi uberiorem diſputationem paterentur huius ſcriptionis angu-ſtiae. Voluimus his veluti ſpeciminibus oſtendere, quanta cura et diligentia opus ſit, ſi quis lectiones e verſione Graeca congerere velit, ne nubem, ut aiunt, pro Iunone amplectatur, et ſibi aliisque tenebras offundat.

---

67) Pſ. CI, 3.
68) Gal. III, 19.
69) Iſ. XXXIII, 19.

XV.

Alterum, de quo quaerere inſtituimus, pertinet ad *ſententiam, de lectionibus, ab Hebraeo diverſis, et e verſione Alexandrina rite erutis, ferendam.* Neque enim puto, fore, qui, quicquid in hac verſione a codicibus Hebraeis diverſum reperitur, id ſtatim, nullo habito delectu, lectioni Hebraicae praeferendum cenſeant. Praeceptis itaque et canonibus regenda eſt criticorum induſtria, ne, quam omnes lubenter dant, de lectione Hebraica iudicandi libertas, erumpat in licentiam omnia miſcendi ac pervertendi. Nos, libelli noſtri finibus nimis anguſtis circumſcripti, quoniam ſupra iam propoſuimus, quae de lectionibus verſionis Alexandrinae univerſe praecipienda videbantur, pauca hic addemus, praeſertim cum vereamur, ut eiusmodi hac de re canones ſcribi poſſint, qui ſingulis locis ſatis accommodati ſint; plurima vero diuturna exercitatione ſubacto, et omnis generis doctrina exculto critici ingenio relinquenda putemus. *Omnis itaque lectio, quae Hebraica lectione facilior eſt, ſuſpecta videtur.* Quod ut in omni critica, ita inprimis in κρίσει lectionum Hebraicarum obſervandum eſt. Etenim ut quaeque lingua vetuſtior eſt, et propter librorum, in ea ſcriptorum, penuriam a vocabulorum ubertate remotior, ita impedi-

tior esse solet atque obscurior. Quae omnia in linguam Hebraicam cadere, vix monendum est. Accedit argumentum, in quo enarrando versantur libri sacri, sublimius, et a temporibus, moribus, institutis, regionibus denique nostris alienum remotumque, ut omnis philologiae divitiis instructus ad explicandos emendandosque libros sacros accedere debeat, quicunque de iis bene mereri cupiat. Ex his facile patet, quam caute de lectionibus versionum facilioribus iudicandum sit. *Numquam enim praeferendae videntur, nisi iis in locis, qui ita desperati sint ac depositi, ut in eorum interpretatione copiosa linguarum orientalium, antiquitatum, geographiae, omniumque rerum, quae doctum interpretem ornant, peritia frustra laboret.* At critici nostri eo faciliores hac in re esse solent, quo magis se commendant lectiones versionum perspicuitate amabiles, ut, his probatis, molestis laboribus, qui illustrandae lectionum Hebraicarum obscuritati debebantur, facile supersedere possint. Enimvero hoc est nodum scindere, non solvere. Unico exemplo utar, quod pace S. R. *Dathii* iterum e versione prophetarum minorum desumam. Difficilis est, ut facile concedunt harum rerum periti, locus quidem apud Michaeam [70]); Hebraice ita

70) Cap. II, 4.

legitur: ביום ההוא ישא עליכם כשל ונחת נחי נחיח אסר שרור נשרט חלק עמי ימיר איך ימיש לי לשובב שרינו יחלק. Ac prima quidem verſiculi pars non admodum obſcura eſt. Amplector ſententiam *Lud. Dei*, quem etiam S. R. *Dathius* ſequitur, qui, poſita poſt נחי נחה diſtinctione, אסר et ימיר impersonaliter accipienda cenſet, ut ſaepe. Verto itaque: *iſto tempore de vobis erit proverbium, et miſerabiles audientur naeniae; conclamatum eſt, dicetur, prorſus periimus; gentis noſtrae terra alios ſortita dominos eſt.* Iam vero illud איך difficultatem parit, quam Vir Cel. ita tollendam cenſet, ut Alexandrinorum et Syri lectionem adoptet, in quorum codicibus fuiſſe videtur אין *non eſt, qui* cet. ימיש transitive accipit, et conſtruit cum לשובב; illud לי denique pleonaſtice poni putat, atque ſic ſententiam ellicit: *nec eſt, qui ſuſcipiat reddere nobis agros noſtros diviſos.* Equidem facile largior, illud איך legentibus difficile videri, locique ſententiam quodammodo impedire; ſed Alexandrinorum lectione opus eſſe, ut credam, adduci non poſſum. Ita enim explicari poſſunt haec verba, ut ſententia et ſatis elegans ſit, et linguae Hebraicae ingenio accommodata. Quid enim, ſi ſic verterem: *quomodo tandem a me recedet, ſeu depelli poterit, qui agros noſtros*

partitus eſt, ut nobis reddi poſſint! Etenim verba לשכב שדיו, parentheſis ſunt, ut vel accentus docent; et ante יהלך omiſſum אשר. Atque haec loci interpretatio non modo facilis et elegans eſt, ſed etiam iis accommodata, quae ſequuntur; ut taceam hominibus, qui hoc loco cum grandi animi commotione loquuntur, exclamationem optime convenire.

XVI.

Aliam emendationem librorum Hebraicorum propoſuit Vir Cel. e verſione Alexandrinorum, in qua *quoniam et reliquorum interpretum habenda ratio eſt*, a conſilio noſtro non alienum fore putavi, ſi et hanc breviter examinem, ut appareat, facile vitioſa videri, quae accuratius conſiderata, ſana ſint. Eſt locus in vaticinio Nahumi[71]), qui in editis libris ſic habet: ובשטף עבר כלה יעשה מקומה ואויבו יהדף חשך. Difficultas ineſt affixo vocabuli מקום, quod, quia de urbe Ninives dictum, ut fere omnes interpretes volunt, ſententiam commodam non habet[72]), mutandum cenſet Vir celeberrimus, et cum interpretibus Graecis

---

71) Cap. I, 8.

72) *Dicendum* enim fuiſſet, ut recte monuit Vir Cel. למקם הזה.

legendum סקיסין; hinc vertit: *ingruente inundatione tollet, qui ei reſiſtere audent* cet. Nos iam paullo accuratius inſtituto examine, quae ſit ferenda ſententia videbimus. Librorum Hebraicorum lectionem tuentur 1) *codices*, quotquot adhuc cognitos habemus, *Hebraici omnes*; 2) *Chaldaeus* interpres, qui, quamvis interpretatione ſua, ut ſolet, in alienam ſententiam verba detorqueat, hoc tamen non obſcure ſignificat, ſe vocabulum סקופה in codice ſuo legiſſe; 3) *Syrus*, qui in reliquis ab Hebraeo diſcedens, vocabulum tamen, de quo quaeritur, exprimit; 4) *Symmachus*, cuius verba *Hieronymus* laudat; ac denique 5) *Hieronymus* ipſe, qui vocabulum סקופה Latinis litteris ſcriptum exhibet, et vertit: *loci eius*. Aliam contra lectionem ſecuti ſunt 1) *Alexandrini*, vertunt enim: τὰς ἐπεγειρομένας καὶ τὰς ἐχθρὰς αὐτῆ κ. τ λ. legerunt ſine dubio סקיסין; 2) *Aquila*: ἀπὸ τῶν ἀνεστώτων; 3) *Theodotio*: *conſurgentibus ei*; 4) *Verſio quinta* denique: *a conſurgentibus ei*. Iam cum ſupra monerimus, verſionis Alexandrinae ſemper inferiorem auctoritatem eſſe, ſi qua lectio conſentiente codicum Hebraicorum voce probetur, praeſertim iis in libris, qui negligentius et e codicibus deterioribus verſi videantur, in quibus XII prophetarum libellum eſſe, nemo facile negaverit: lectionem

huius loci Hebraicam vel ſic iam commendabilem eſſe, quis non videt? Accedunt teſtium graviſſimorum auctoritates, *Chaldaei*, *Syri*, e Graecis *Symmachi*, quem unum, cum et doctiſſimus ſit et elegantiſſimus, ut recte paſſim monuit Cel. *Fiſcherus* [73]), facile praetulerim indocto huius libri interpreti Alexandrino; *Hieronymi* denique, qui et ipſe Hebraicam lectionem ſequendam cenſuit, non motus Graecorum interpretum diſſenſu. *Theodotioni* certe vel propterea parum tribuendum eſt, quod ineptus eſſe ſolet τῶν ὁ imitator, ut ſaepe teſtis perſonam vix tueri poſſit. Tanto maior *Aquilae* auctoritas, diligentiſſimi interpretis, ſed hoc loco tot aliis teſtibus quis anteponendum cenſeat? atque ſic etiam de *Verſione quinta* iudicandum. Addere poſſem, lectionem Hebraicam paullo difficiliorem eſſe, nec mirum, ſi qui eam non intellexerint. Quae omnia ita comparata ſunt, ut cauſam obtinere codex Hebraeus, Alexandrini cum ſuis damnandi videantur. At dixerit aliquis, quomodo tandem explicanda iſta Hebraica lectio, aut quaenam ei tribuenda ſententia? Equidem non de ipſa urbe intelligo illud סקומה. Vocabulum סקום eam interdum

---

73) *In proleſſenibus de verſſ. V. T. litterar. Hebr. magiſtris paſſim.*

vim habet, ut notet *locum ſanctum*, in quo precari et ſacra facere ſoleant homines. Sic eſt aliquo Chronicorum loco [74]), ubi מקום דויד *locum* ſignificat, *in quo David precatus et ſacris operatus erat.* Et alibi in Chronicis [75]) eſt formula עז וחדוה במקומו, h. e. *locus eius ſanctus, ſeu templum laetis carminibus perſonat;* Alexandrini quidem, ſi Aldinae et Complutenſis lectionem ſequare, ſic intellexerunt, vertunt enim *ἰσχὺς καὶ κάυχημα ἐν τόπῳ* ΑΓΙΩΙ *αὐτοῦ.* Atque ſic intelligendus videtur locus Geneſeos [76]), ubi de Iacobo dicitur ויבא במקום, *devenit ad locum ſanctum.* Etiam in Corano Meccam ſaepe dici *locum hominum*, h. e. *locum, ubi homines precari ſoleant, Michaelis* pater docuit in diſſertatione *ritualia codicis ſacri e Corano illuſtrante.* Denique ne libris quidem N. T. haec notio ignota eſt, quod illa apud *Iohannem* [77]) formula docet: *ἐλεύσονται οἱ Ῥωμαῖοι, καὶ ἀροῦσιν ἡμῶν καὶ τὸν τόπον, καὶ τὸ ἔθνος*, ubi *ὁ τόπος* manifeſte templum Hieroſolymitanum notat. Sic itaque Nahumi locum intelligendum cenſeo, ut ſententia ſit: *irruente inundatione*, ſeu *calamitate, eius, Ninives,*

---

74) 2 Chron. III, 1.
75) 1 Chron. XVI, 27.
76) Cap. XXVIII, 11.
77) Cap. XI, 48.

templum funditus delebit [78]). Nam omnia bene cohaerent, ſi ſic explicaveris, inprimis illud aptum eſt, quod paullo ante dixerat vates [79]): *bonus eſt Iehovah, praeſidium tempore calamitoſo; tuetur, qui ei ſe credunt; at*, pergit, *irruente malo delebit templum Numinis, cuius tutelam iactat Ninive* — Atque haec de uſu verſionis Alexandrinae in emendandis libris hebraicis dicta ſunto. Quae etſi ſcimus pro copia et varietate argumenti pauca eſſe: eos tamen, quibus maxime commendari cupimus, ut haec qualiacunque aequi bonique conſulant, vehementer rogamus, alio tempore, ſi Deo viſum fuerit, plura daturi.

78) De hoc templo vid. Iſ. XXXVII, 38.

79) v. 7.

2.

De morte voluntaria quid et quam clare praecipiat philoſophia.

Cum nuper Platonis dialogum, qui eſt de immortalitate animorum, interpretarer, et ad eum locum veniſſem, ubi Socrates inducitur adverſus mortem voluntariam diſputans: miratus fere ſum, quam rem Plato iam recte viderit, et accurate demonſtraverit, eam noſtris hominibus, quibus affulſerit Chriſtianae religionis lux divinior, non parum illa ipſam philoſophiam colluſtrans, incertam videri atque ambiguam. Ex quo enim ſaeculi noſtri mores non tam deſidere, quam labi coeperunt ac praecipites ire, etſi ſemper inter nos fuerunt philoſophi graves et eruditi, qui conſiliis, laboribus, prudentia, quantum poſſent, prodeſſent reipublicae: mali tamen vis ita ſenſim crevit, ut eorum furor, qui mortem ſibi ipſi conſciſcunt, paſſim publice defenderetur, ipſaque philoſophia ei rei ſi non

favere, parum certe adverſari crederetur. Quae licentia viros optimos movit, ut putarent, ne laborare videretur cauſſa eorum, qui mortem voluntariam ſummum ſcelus exiſtiment; miſſis philoſophiae praeceptis, ambiguis illis et obſcurioribus, argumenta e libris ſacris peti debere, quibus hominum noſtrorum audacia reprimatur. Quorum ſententiam emplexus ſuper eſt, et exornavit S. R. *Leſs* [a]), vir de morum doctrina, ut ſatis conſtat, optime meritus; qui parum feliciter, cenſet, philoſophiam pugnare contra eos, qui fortis, putent, et conſtantis animi eſſe, his vinculis ſe liberare, et e vita discedere; cum contra Chriſtiana religio eum furorem ita damnet, ut ſenſum cum ratione eiuraſſe videatur, qui id non intelligat. Ego vero etſi ſcio, et lubenter agnoſco, ut reliqua omnia, quae ad bene beateque vivendum pertineant, ita etiam hoc debere homines religioni Chriſtianae, ut, quantum ſit huius vitae pretium, accurate intelligant: eos tamen ſequendos cenſeo, qui philoſophiam et reprehendere voluntariam mortem, et ſatis perſpicue ea de re praecipere, exiſtimant. Cum igitur argumentum circumſpicerem, de quo hoc tempore

---

a) Vid. *Chriſtliche Moral* pag. 184 et 185. et eiusdem libellus *vom Selbſtmord*, p. 34. 35.

aliquid ſcriberem; lectoribus, putavi, non prorſus ingratum fore, ſi, quae a Platone breviter dicta ſint, uberiori disputatione perſequar, praeſertim cum videam, haec noſtra quodammodo fore ab iis diverſa, quae *Cruſius* [2]), *Mendelſohn* [3]), aliique noſtri temporis philoſophi propoſuere. Neque tamen univerſam hanc quaeſtionem pertractabimus, quod et temporis, et libelli prohibent angustiae: ea monebimus, quae in Platonis ratione ineſſe, et ex ea duci poſſe videntur. Erit igitur haec disputatio tripartita; primo enim, quae ſit *vera vis ac notio* mortis voluntariae quaeremus; deinde paullo *copioſius exponemus ipſam Platonis argumentationem;* nonnulla denique, *quae contra disputantur, refellemus.*

Ac primo quidem eos, qui *mente capti* ſunt, vel animum habent morbi vi ita fractum et emotum, ut, quid agant, quidve ſequantur, neſciant, caecoque impetu ruant, ſi vim ſibi fecerint, quis quaeſo reprehendendos exiſtimet, quis ſortem tam flebilem non miſeretur? cum non libere e vita diſceſſiſſe, ſed ſtatione ſua vi pulſi videantur. Nec iis adſpergenda eſt huius ſceleris labes, qui *officio quodam obſtricti* vitam

2) *Anweiſung vernünftig zu leben*, p. 517.
3) *Philoſoph. Schriften*, p. 63 ſq.

ponunt; modo officium ſit ex eorum genere, quibus vel cum vitae diſcrimine obſequendum ſit. Quae in re cavendum, ne iudicium de aliis praecipitetur. Vehementer enim miror, S. R. *Leſſium* accuſare *Simſonem* eo nomine, quod vim ſibi fecerit [4]), cui viro conſtat ab ipſo Deo id muneris datum fuiſſe, ut in atterendis et frangendis hoſtium opibus omnem vitam conſumeret [5]). Qui ſi eam opportunitatem, qua occubuit, elabi paſſus eſſet, officio profecto defuiſſet, et turpiſſimam prodidiſſet ignaviam; niſi forte et milites, qui in bello dimicantes, vitam pro patria amittunt, damnandos putamus. Multa alia, quae dici poterant, praetermitto, inprimis honorificam illam Paulli de hoc viro latam ſententiam [6]). Eos etiam, qui *vi quadam externa*, veluti magiſtratus, vel tyrannorum compelluntur ad mortem ſibi conſciſcendam, culpa vacare, quis non videt? Fuit olim imperatorum quorundam Romanorum, nominatim Caligulae et Neronis ea crudelitas [7]), ut

4) *Chriſtl. Moral*, p. 183 et 184. *Man ſetze noch hinzu, alle diejenigen, welche die Bibel als Selbſtmörder aufſtellt, Simſon, Saul, Ahitophel und Iudas der Verräther, werden auch als Böſewichter gebrandmalet.* Conf. eiusdem libellus ſingularis: *vom Selbſtmord*, p. 32.

5) Vid. Iudic. XIII, 5.

6) Vid. Ep. ad Hebr. XI, 32.

7) Vid. *Suetonius* in Caligula cap. 23. et quae ibi notat S. R. *Erneſti*. Et in Nerone cap. 37.

ampliſſimos viros cogerent vitam ſibi adimere. Quorum mortes cum voluntariae non ſint, carent profecto reprehenſione; ut nemo Silanum, vel Macronem, vel alios, quorum vita in illa calamitoſiſſima reipublicae Romanae tempora inciderat, parum recte vita ſe privaſſe dixerit; cum prudenter e vita exierint eo modo, qui facillimus eſſet, nec exſpectarint, quos addituri erant crudeliſſimi imperatores, cruciatus. Denique nec eos accuſandos eſſe, facile intelligitur, qui decepti *inſcitia* quadam, eaque *inevitabili*, vel *caſu*, nec opinata calamitate oppreſſi, vitam ſibi adimunt; ut ſi quis a teneris, ut aiunt, unguiculis didicerit, eſſe animi magni et excelſi, e vita diſcedere voluntaria morte, rectiora vero diſcendi opportunitatem nunquam nactus ſit; vel ſi quis herbis venenatis, cibo potuve pernicioſo uſus, vel alio quocunque demum modo praeter opinionem damnum patiatur.

Quae omnia eo conſilio diſputo, ut intelligatur, ſcelus, de quo quaeritur, maxime poſitum eſſe in eo, ſi quis *ſponte*, nec vi quadam compulſus, aliquid agat, vel omittat, quod vitae finis neceſſario conſequatur. Hoc ſit duobus modis. Etenim ii, qui intemperantia, luxuria, voluptate, aliis vitiis, quae vitare, ſi velint, facile poſſunt, corpus debilitant; vel nimiis laboribus, quibus impares ſunt, conteruntur; vel

denique in eiusmodi pericula improvide ac temere ruunt, quae vident esse cum iactura vitae coniuncta; etsi non semper statim mors consequatur, sed per plures interdum annos vita misere trahenda sit, vim tamen intulisse sibi recte putantur. Huic autem vitio, quod m late patet, ut aegre careatur ab imbecillitate humana, nomen voluntariae mortis non imposuit usus, sed seiunxit ab eo scelere, quo quis ita vitam finit, ut id non modo animi quodam consilio faciat, sed etiam manibus, telo, veneno, abstinentia a cibo, aliis rebus, mortem efficiat. Est igitur mors voluntaria eorum flagitium, qui *deliberato consilio corpus ita laedunt, ut vita necessario finiatur, quamquam, ut id facerent, nullo tenerentur officio.*

Socrates quidem apud Platonem talem vitae exitum reprehendit, eaque argumentatione utitur, quae et perspicua est, et, accuratius si examinetur, verissima. Etenim cum Cebes negasset, se videre, cur, e vita discedere, quando id videatur utile, homini non liceat, et rogasset Socratem, ut eius rei aliquam rationem afferret: is primo quidem eam proponens, quae tradi solebat in mysteriis: *homines in statione positos esse, de qua nemini liceat decedere, neque aufugere*, deinde haec addit: *puto equidem, etiam hoc recte dici: Deos esse, quibus*

res noſtrae curae ſint, nos vero homines ad eorum pertinere familiam. Quod cum Cebes dediſſet, *igitur*, aiebat Socrates, *nonne tu, ſi quis ſervorum tuorum vim ſibi faceret, quem tu mori non iuſſiſſes, ei iraſcereris, et poenam, ſi quam poſſes, de eo ſumeres?* Quod cum is etiam largius eſſet, efficit Socrates: *hanc igitur ob cauſſam a ratione alienum non eſt hoc, neminem debere prius ſibi vitam adimere, quam iuſtam cauſſam dederit Deus, ut nunc mihi* [a]). Hoc autem addit, quoniam ab Athenienſibus coactus, eo die venenum ſumturus erat. Quam vere haec a Socrate disputentur, cum et ſumma maieſtate Numinis digna ſint, et hominum ingenioli accommodata, iam paucis expediam.

Duplex igitur fons eſt, a quo rationes adverſus voluntariam mortem ducit Socrates, *Deum curare res humanas*, et *nos eſſe Dei ſervos.* Atque ex illo quidem haec fere fluunt.

---

8) Verba Graeca haec ſunt: ἆ μέντοι ἀλλὰ τόδε γέ μοι δοκῶ, ὦ Κέβης, οὐ λέγεσθαι, τὸ θεοὺς ἡμῶν τοὺς ἐπιμελουμένους, καὶ ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους ἐν τῶν κτημάτων τοῖς θεοῖς εἶναι. ἢ σοὶ οὐ δοκῶ οὕτως; Ἔμοιγ', ἔφη ὁ Κέβης. Οὐκοῦν, ἦ δ' ὅς, καὶ σὺ ἂν τῶν σαυτοῦ κτημάτων εἴ τι ἀνὴρ ἑαυτὸ ἀποκτείνοι, μὴ σημήναντός σε, ὅτι βούλοι αὐτὸ τεθνάναι, χαλεπαίνοις ἂν αὐτῷ, καὶ εἴ τινα ἔχοις τιμωρίαν, τιμωροῖο ἄν; Πάνυ γ' ἔφη. Ἴσως τοίνυν ταύτῃ οὐκ ἄλογον, μὴ πρότερον αὐτὸν ἀποκτείνειν δεῖν, πρὶν ἀνάγκην τινὰ ὁ θεὸς ἐπιπέμψῃ, οἵαπερ καὶ τὸν νῦν ἡμῖν παρόντα.

Si curae sunt Deo res hominum: *impium est, ita agere, ut Dei nullam habeas rationem;* vitam igitur qui sibi adimit, nec, utrum Deus hoc fieri velit, satis scit, is *impie* agit, et *parum prudenter.* Deinde quoniam omnia a Deo gubernantur, *si quis calamitates, a Deo immissas, voluntaria morte subterfugit,* adversus eum, qui immisit, *seditiosus est,* animumque prodit *mollem et effeminatum.* Cum denique universum genus humanum complectatur providentia Dei, et omnia ita regat, ut cuique *suas quasi partes, suamque dederit stationem,* nemini licet ex hac societate et familia sponte discedere. Sed ex altero fonte fluunt multo graviora. Nam Dei si sumus familia, sequitur primum illud, quod plerisque in hac causa fraudi fuit, *nostram felicitatem non esse summam legem, a qua ducantur nostra officia.* Deinde facile efficitur, *omnia, quae agamus, ad Dei, cui addicti sumus, voluntatem componenda esse.* Et quoniam Deus virtutis studium postulat, *nemini licet e vita exire, quamdiu virtutis colendae opportunitas est.* Cum denique etiam post hanc vitam in potestate Dei simus, consequens est, ut *futurae vitae fors ex hac pendeat, et huius stationem qui deseruerit, is non possit futurae praemia ferre.* Haec, quae brevius et angustius conclusa sunt, deinceps dilatabimus.

Ac primo quidem *esse providentiam*, Deumque curare res humanas, certum est. Etenim aut tollenda ipsa vis ac natura Dei, quod quam stultum sit, quis non videt; aut fatendum, eum rebus humanis praeesse. Neque enim Deus, qui genus humanum condidit, eique hanc tribuit praestantiam, ut singuli possint libere agere, et, quid sequi velint, sua sponte decernere, potest hunc terrarum orbem negligere; nisi forte putamus, eum, nullis occupationibus implicatum, facile pati, si omnia misceantur ac perturbentur, si ipse negligatur et contemnatur, mali denique impune peccent, boni, omni spe amissa, despondeant animum. Quae si quis in Deum cadere putat, nae, is omnem notionem Dei tollit, quae sine sapientia, benignitate, iustitia, ne cogitari quidem potest. Ut taceam, bona, quibus affluit terrarum orbis, rerum publicarum conversiones, suam denique quemque experientiam satis docere, esse, quae omnia regat, largiatur et administret, aliquam Dei providentiam. Qua in re inprimis vitandus est eorum error, qui rerum quidem universitatem, putant, curari, haec minora autem, singulorum hominum vitam sorteumque, negligi: quo nihil dici potest et cogitari futilius. Num putamus, molestum esse Deo, haec minuta et singula curare, in quem, cum sciat omnia ac possit, nulla

profecto moleſtia cadit; vel indignum Deo, etiam iis proſpicere, quae parva vel ſint, vel nobis videantur? Nonne is demum maximus rex eſſet, qui omnibus gubernandis ac providendis ſolus ſufficeret, nec indigeret, qui oneris partem in ſe ſuſciperent? Quae ſollertia quo magis ſuperat imbecillitatem humanam, eo rectius tribuitur Deo. Ut taceam, vanum eſſe, ſi quis dicat, Deum curare totum, partes negligere: quibus labefactatis, profecto totum ipſum corruit.

Iam ſi curae ſunt Deo hominum res, facile intelligitur, *neminem ita agere debere, ut nullam Dei rationem habeat*, ſed in omnibus, quae eveniant, ſpectandam eſſe eam Dei providentiam, qua ab initio omnia conſtituta ſint, et omni tempore regantur. Primo enim *impium* eſt, quas res ſcimus Dei conſilio adminiſtrari, eas noſtro arbitrio gubernare velle, adeoque ſpernere ac damnare quaſi eius ſapientiam, qui; quid nobis profit, melius, quam nos, perſpicit. Deinde ne *prudentis* quidem eſt, id agere, quod, utrum Deo placeat, neſcias, quem ſi offendis, cum ab ipſo omnis hominum felicitas pendeat, ſummam profecto ſtultitiam prodis. Iam cum nihil magis ad providentiam Dei pertineat, quam hominum vita, qua nihil carius nobis datum eſt, nihil praeſtantius: hanc qui ponat, quamquam,

utrum Deus hoc fieri velit, ignoret, eum non modo id impie facere, verum etiam ſtultiſſime, quis non intelligit [9])? Quam ob rem nec ii, qui, cum deſperatione omnium rerum conſligentes, vitam ſibi adimunt, habent, quo factum purgent; cum tanta perturbatio ne movere quidem debeat eius animum, qui ſciat, Dei providentia mundum adminiſtrari. Impia igitur ac deſperantis eſt illa, ut fabulis utar, Herculis apud Ovidium vox [10]), qui vitam poſiturus, conquerens de cruciatibus ſuis, tandem ait:

At valet Euryſtheus; et ſunt, qui credere poſſint,
Eſſe Deos? — —

Quae ratio et eos movere debet, qui dubitant, utrum animi poſt diſceſſum a corpore maneant, nec ne; etenim ſi manent, poena metuenda eſt; ſin pereunt, quis eſt tam excors, et omni ſenſu privatus, ut illud acceleret, quod humana natura omnium maxime deteſtatur ac perhorreſcit?

---

9) Vid. quae hac de re bene diſſerit *Mendelſohn*, *Philoſ. Schriften* Part. I. p. 126. etc.

10) Metam. l. VIIII. v. 23. 24.

Sed illud ipſum, quo homines ſaepiſſime impelluntur, ut e vita ſibi diſcedendum exiſtiment, *quod morbis vehementioribus cruciantur, vel aliis calamitatibus oppreſſi ſunt*, ſi Deus humanis rebus praeeſt, facile, quam turpe ſit, intelligitur. Neque enim ulla calamitas vel inſcio, vel invito Deo quemquam affligit. Atqui ſi voluntaria morte te expedis, nonne *ſeditioſus* es, cum Deus, niſi haec te ferre voluiſſet, facile potuiſſet vel mala avertere, vel e vita te avocare? Nec licet accuſare Deum, quamquam, cur haec patiaris, non videas. Nam quis eſt, qui, quid ſibi, quid rerum univerſitati conducat, cum rectius Deo perſpicere ſe putet, cum ſapientius perficere auſit? Sin, quae pateris, meruiſti, quid poteſt eſſe ſtultius, quam poenam ſubterfugere ab eo immiſſam, qui ſempiternis te ſuppliciis mactare poteſt? Deinde nihil *turpius* et *animo magno indignius*, quam huius vitae miſeriis ita moveri ac frangi, ut, timidi et ignavi militis inſtar, fugam capeſſas. Igitur anguſti mollisque animi ſignum eſt illa Pomponii apud Nepotem a cibo abſtinentia [11]), et illud κέκριχα Corellii in re ſimili apud Plinium [12]); qui ſi viri fuiſſent, tuliſſent

11) *Nep.* in Vita Pomponii cap. 21.
12) *Plinius* Epiſt. l. I, 12.

profecto dolores, nec vitam anteactam ignobili morte contaminaſſent.

Quoniam denique in eo vel maxime cernitur providentia Dei, quod ita *omnia* complectitur et conſtituit, ut eo quemvis loco collocet, quem recte tueri, et quo ſocietati utilis eſſe poſſit: ſi quis hanc ſtationem libere deſerit, non modo *impie in Deum* agit, verum etiam *in ipſam ſocietatem humanam.* Etenim quamquam interdum iis malis premimur, quae omnibus nos viribus, omnique actione privent, ut tamquam membra inutilia reſecandi videamur: niſi Deus nos reſecet, quo demum argumento nobis conſtat, id fiere debere? Nemo enim ea de re ſatis iudicare poteſt, niſi is, cui tota rerum univerſitas, eiusque deſcriptio et coagmentatio perſpecta eſt; qui ſi vult, ut locum noſtrum teneamus, tenendus eſt; cum nec militi liceat, eum locum, quo ab imperatore collocatus eſt, propterea relinquere, quod membra frigore torpeant. Taceo iam, vel miſerrimum hominem ſocietati prodeſſe poſſe, quoniam ea de re infra dicendi locus erit.

Veniamus ad *alterum fontem*, quem a Socrate monſtrari ſupra diximus, ſcilicet *nos eſſe Dei ſervos.* Ex quo quam graves rationes fluant, antequam oſtendimus, de re ipſa pauca monenda ſunt. Neque enim haerendum in

nominibus est, a Socrate usurpatis, quae duriora effecit usus. Seiungenda igitur sunt, quae in notione *servi* inesse solent, mala, infima et abiecta sors, miseriae, contemtus. Quae omnia ipsum Socratem segregasse, docet, quam statim addit, disputatio illa de immortalitate animorum, quae multa continet praeclare et magnifice dicta de animi humani praestantia. Tenendum vero, quod in notione servi praecipuum est, eum ex arbitrio domini pendere, propter dominum adesse, omnem ei obedientiam debere, domini denique potestati prorsus subesse. Quae iura utrum alter in alterum recte sibi arrogare possit, cum servi notione tamquam imagine quadam utatur Socrates, iam non quaeritur. Pari modo e *domini* notione removenda crudelitas, in iubendo asperitas et inconstantia; quae, cum in domino quovis humano vehementer reprehendantur, alienissima profecto sunt a perfectissima natura Dei. Efficitur itaque, ut Socrates *Numinis maiestatem, coniunctam cum summa in universum genus humanum potestate* hoc loco doceat. Quam potestatem iustissimam esse ac necessariam, facile ostenditur. Etenim cum animum, corpus, vitam, et, quae habeamus, omnia Deus dederit, eaque semper conservet, augeat, tueatur: in eius potestate simus, ab eoque pendeamus, necesse est,

Quam rem *phyſicam dependentiam* appellat recentiorum conſuetudo. Quae ſi manifeſta eſt, ut profecto eſt; cogitur etiam illud, Deum eſſe omnium hominum dominum ſummumque legislatorem; nam cui omnia debentur, ei etiam in omnibus obſequendum eſt; quam noſtri *moralem dependentiam* dicunt. Nec ulla hac in re tyrannis eſt, quae cernitur tantum in iniuſta vi eius, cui nihil debemus. Vana igitur eſt Lindamuri apud *Mendelſohnum* [18]) interrogatio, quomodo tandem tantam poteſtatem in nos comparaverit ſibi Deus, cum neceſſario naſcatur ex iis, quae nobis tribuit. Quae igitur Deus vult, ea nobis ſumma lex ſunt, ea officiorum omnisque obligationis ultimus fons. Hinc denique intelligitur, nos Dei cauſſa vivere; nam cui omnia debemus, cuius imperium lex eſt ſumma, qua nihil nobis ſanctius eſſe debet, nihil antiquius; propter eum nos adeſſe, quis negaverit? Ab his principiis ac veluti initiis multa ducuntur, quae mortem voluntariam non modo *turpem* eſſe demonſtrant, ſed etiam cum *maieſtatis crimine* coniunctam.

Illud enim iam manifeſtum eſt, *utilitatem, perfectionem, felicitatem noſtram* (haec enim verbis, non re, diſcrepant) *non eſſe principii*

18) *Philoſoph. Schrift.* part. I. pag. 73.

loco ponenda, a quo ducatur omne officium, ut multis viſum eſt. Sic enim ſolvitur omnis *obligatio*, quae dicitur, *virtutis*, nec niſi ea relinquitur, quam *prudentiae* vocant; unde etiam omnia officia ad utilitatis privatae rationem referuntur, ut praeclare vidit S. R. *Erneſti* [14]). Sic Dei, qui omni virium contentione, ipſaque vitae iactura colendus eſt, locum invadit homo; *ſe* colit, e *ſua* utilitate omnia metitur, *ſe* omnibus non modo hominibus, ſed ipſi Deo praefert. Quid iam impediat eum, qui felicitati ſuae, putet, officere hanc vitam, quominus ex his vinculis, ex hoc ergaſtulo ſeſe proripiat? Mors ipſi optabilior videtur miſera vita; nullo ſe ſentit officio teneri, ſed ad ſummum non ſatis prudenter agere, ſi e vita exeat. Vehementer ex hac parte laborat *Mendelſohni* diſputatio adverſus Lindamurum, qui hoc principium ponens, ſatis ſpecioſam mortis voluntariae defenſionem ſuperſtruit [15]); nihil enim efficit *Mendelſohn* niſi hoc, *parum prudenter* agere, qui ſibi vim faciant. Quod num eum

14) In praef. initiis doctr. ſolidior. praefixa, circ. fin.

15) *Philoſoph. Schrift.* part. I. pag. 70. etc. Hoc etiam ſtrandi fuit *Hobeckio*, in libro de *ἐκλόγῃ ἐξαγωγῆ ſive morte voluntaria*, pag. 124. etc. qui eadem opinione ad defendendam eorum audaciam, qui ſibi vim faciunt, abutitur.

movebit, qui malorum vi oppreſſus, immunitatem doloris quovis pretio redimat, ut vix officii vinculis ſatis contineri poſſit cohiberique?

Relinquitur itaque, *omnia, quae agamus, exigenda eſſe ad voluntatem Dei;* quae quid iubeat, e ſumma naturae divinae perfectione, ex indole humana, et univerſi omnino mundi contemplatione ſatis perſpicue intelligitur. Hanc vero obedientiam non modo poſtulant et efflagitant beneficia, quae nobis tribuit, Deique ſumma maieſtas; verum etiam illud movere nos debet, animumque impellere, quod ſcimus, iſtam Dei voluntatem arctiſſimo vinculo cum felicitate noſtra coniunctam eſſe. Hunc enim veluti *ſtimulum* addidit nobis divina benignitas, qui nos concitaret ad colendam virtutem, quam videmus ſempiternae felicitatis effectricem eſſe. Quoniam igitur vita unice eam ob cauſſam nobis data eſt, *ut ei, qui dedit, obediamus;* ſequitur, ut dimitti a nemine debeat, niſi cum Deus iuſſerit. Nam ſi, quicquid agimus, iudicandum e lege divina eſt, quis negaverit, eam legem tum vel maxime ſpectandam eſſe, cum de conſervanda vita quaeritur. Iam quoniam iſta Dei lex varia continet officia, quae magnitudine inter ſe differunt ac pondere; illud vero officium, quod vitam conſervandam eſſe praecipit, non eſt omnium maximum: ſaepe

fit, ut, facta plurium officiorum contentione quadam et comparatione, intelligatur, vitam esse ob maius quoddam officium ponendam. Quod intelligenti officiorum ratiocinatori ad iudicandum non est difficile. Tollitur enim vitam conservandi officium, si *vita cum virtute retineri non potest;* vel si *munus*, et *is locus*, quo nos collocavit respublica, *cum vitae discrimine coniunctus est;* vel denique *nostrae vitae veluti pretio redimenda est ac tutanda reipublicae* vel *aliorum, qui nobis praestantiores sunt, incolumitas.* In his quoniam est vox quaedam ipsius Dei, vitam nostram repetentis, officii conservandi causa, moriendum est. Pulcerrima igitur est mors illa Reguli, quam ad servandam inris iurandi sanctitatem subiit. Pulcerrimae eorum mortes, qui pro firmanda religionis veritate vitam profuderunt, quam sine pietatis ac virtutis iactura non potuissent tueri. Ii vero, qui pro patria dimicantes cadunt, vitam debent muneri suo. Hinc semper, ut multos alios praetermittam, glorioſa fuit Deciorum mors, qui pro legionibus se devoventes, victoriam populo Romano pepererunt. Qua in re non quidem superstitionem laudo, quam secuti sunt; quamquam imperatores ipsi magis prudenter, ut suis animum adderent, quam superstitiose id feciſſe videantur: sed hoc dico,

eos potuiſſe ſic e vita diſcedere, quoniam ea re muneri ſuo ſatis fecerunt. Ii denique, qui ad avertendam ab aliis calamitatem occumbunt: ſequuntur et ipſi vocem aliquam Dei, vitam poſtulantis; ut ſi quis corpore ſuo regem vel imperatorem tegat, vel reipublicae ſalutem ſua morte pariat. Atque haud ſcio, an ſic excuſari poſſit voluntaria mors Othonis, imperatoris, qui, ut reipublicae parceret, belli civilis incendium ſuo ſanguine videtur voluiſſe exſtinguere [16]). Sed praeter haec genera nullum eſt, quod non ſit cum ſummo ſcelere coniunctum. Etenim cum *ſignum non adſit*, ex quo intelligatur, *velle Deum*, ut e vita diſcedamus; ex eo autem, quod *vitam nobis conſervat*, *contraria etiam efficiatur ſententia: ſeditioſus* profecto eſt, ac deteſtabili audacia legis divinae vincula perfringit is, qui vim ſibi facere, aliam ob cauſſam, quamcumque demum, non dubitat.

Accedo ad aliud, cum hoc quodammodo coniunctum. Nempe quoniam ita condidit Deus hominis naturam, ut non modo, quid perfectum, honeſtum, bonum ſit, mente aſſequi et cogitatione poſſit; verum etiam, ſi velit, ſequi: omnia profecto, quae a nobis poſtulat, ad

16) Vid. *Suetonius* in Othone cap. 10. 11.

id redeunt, ut dignam tanto auctore, dignam tantis dotibus vitam agamus, eamque *in colenda virtute conſumamus.* Nam cum Dei voluntas, ut ſupra vidimus, noſtra lex ſit; haec vero nihil ſciſcat, niſi quod ſummis Dei perfectionibus conſentaneum ſit: efficitur, ut virtute illud conſilium contineatur, quod per omnem vitam unice ſpectandum ſit. Deinde quoniam *non nobis ſolum nati ſumus,* ſed aliorum cauſſa generati, qui et ipſi eius familiae pars ſunt, cui dominus praeeſt Deus: in colenda virtute hoc inprimis agendum, ut opera, ſtudio, artibus, facultatibus noſtris ad communes utilitates aliqua fiat acceſſio. In quo tamdiu elaborandum eſt, bono viro, quamdiu ſpiritus hos regit artus. Hano igitur ob cauſſam vita non modo retinenda eſt, et omni ſtudio ſervanda, ſed propaganda etiam, quam diutiſſime. Nam cum nulla conditio tam miſera, nemo viribus, opportunitate, facultatibus tam deſtitutus ſit, ut nihil boni, nihil, quod virtuti conſentaneum, nihil denique, quod generi humano utile ſit, agere poſſit: nunquam profecto finiendae vitae cauſſa ſatis idonea excogitari poteſt. Etenim ut taceam, ſine calamitatibus facile deferveſcere virtutis ſtudium, et eam demum virtutem eſſe magnam, quae multa impedimenta vicerit profuerit quam plurimis, multis denique malis

ſpectata ſit: quis quaeſo eſt tam miſer et inops, quin exemplo, inſtitutis, conſiliis, precibus denique aliis conſulere poſſit? Ex quo intelligi poteſt, quam turpe ſit et humile Catonis illud facinus, qui, vaniſſimo faſtu inflatus, reipublicae eo tempore defuit, quo conſiliis, opera, auctoritate, ſi ſe ſervaſſet, eam et augere potuiſſet, et confirmare [17]). Quae ratio etiam ad eos pertinet, quibus videtur humana ſocietas facile carere, ſenio confectos, infirmos, pauperes; ut Corellius ille, quem ſupra dixi, quamquam ſeptimum et ſexageſimum annum attigiſſet, quamquam indigna tormenta ex morbo pateretur, excuſandus non eſt; nam cum Plinius ipſe queratur, ſe eius morte vitae ſuae teſtem, rectorem, magiſtrum amiſiſſe; cum uxorem, cum filiam, cum familiam habuerit, quibus auctoritate et conſilio prodeſſe potuiſſet, peccavit profecto, qui tot vitae retinacula temere abrupit.

Deinceps, ut ſupra propoſitum eſt, de *futura vita* dicam. Paterfamilias quilibet, ut Socrati videtur, a ſervo, qui iniuſſu ſuo vim

---

17) Quae *Cicero* de Officiis l. I. ſect. 112 ad excuſandum Catonem affert, aequis et harum rerum peritis iudicibus parum probabuntur. Rectius *Ariſtoteles* ad Nicomach. l. III. cap. 7 ed. Rachel. τὸ ἀποθνήσκειν, inquit, φεύγοντα πενίαν, ἢ ἔρωτα, ἢ τι λυπηρόν, οὐ ἀνδρεῖον, ἀλλὰ μᾶλλον δειλῶ· μαλακία γὰρ τὸ φεύγειν τὰ ἐπίπονα

ſibi feciſſet, poenam, ſi quam poſſet, exigeret. Quid putamus Deum facturum, iuſtiſſimum et integerrimum iudicem, ſi quis ex hac magna generis humani familia temere aufugiat? Etenim cum mors voluntaria, niſi Deus ipſe hinc demigrandi iuſtam cauſam dederit, ſemper ſit coniuncta cum ſumma contumacia, quae obedientiae vincula audacter perfringat: quis putaverit, Deum, cui, utrum legis ſuae ſanctitatem tueri velit, ne liberum quidem eſt, tanti ſceleris impunitatem eſſe daturum? Eſt quidem eorum, qui vim ſibi faciunt, is plerumque error, ut ad *benignitatem divinam* tuto ſe confugere poſſe exiſtiment, in qua certiſſimum imbecillitatis ſuae, ſic enim appellant, praeſidium fore putant. Quae opinio quam vana ſit, cum ex eo patet, quod iſta ſpes *incerta* eſt, nec iis argumentis firmata, quae ſint ad animi perſuaſionem in re tanta ſatis idonea; tum perfectiſſima Dei natura perſpicue docet, quae ſine *iuſtitia ſumma* ne cogitari quidem poteſt. Deinde quam *iniquum* eſt, ea praemia ſperare, quae non niſi vitam conſequuntur praeclare pieque peractam: cum nec ii, qui in ſtadio decurrunt, niſi ad calcem pervenerint, habeant, quod ſperent. Quoniam igitur, dum vivimus, hoc omni ſtudio agendum eſt, ut legis divinae praeceptis diſcendis et obſervandis animus ad melioris vitae

ſpem erigatur ac formetur: quid poteſt eſſe ſtultius, quam hanc Dei veluti diſciplinam voluntaria morte impedire? Cum denique altera vita ſit hic coeptae *perpetua continuatio*, nec mors ita mutet animi naturam, ut repente evaneſcant ac deleantur omnes impetus, perturbationes et cupiditates, quibus paullo ante agitabatur: is, qui animi vitiis, tamquam furiis agitatus, vim ſibi facit, ne adipiſcitur quidem, quod vult. Perperam enim ſe quaſi ipſe fugit, et quam intolerabilem, dum vivit, putat eſſe miſeriam, eam poſt mortem, ipſa corporis iactura creviſſe ſentiet.

Reſtat, ut *nonnulla, quae contra disputantur, refellamus.* Ac primo quidem iis, quae Socratem ſecuti disputavimus, *contineri coliberique videntur non poſſe athei.* Etenim cum vitae retinendae neceſſitas maxime ducatur a Dei, qui id iubeat, imperio: facile intelligitur, ſublato Deo, concidere, quae dicta ſint, omnia. Sed duo ſunt, quae reſponderi poſſint. Primo enim non tam inique de hominibus noſtris ſentio, ut exiſtimem, eſſe, qui vim atque naturam Dei prorſus tollant. Etſi enim ingens numerus eorum eſt, qui ita *vivunt*, ut Dei nullam rationem habeant: eos tamen, qui *cogitatione et argumentis* Deum tollerent, omni tempore pauciſſimos fuiſſe, ſatis

conſtat. Sed ſi forte haec tempora, ut ſunt profecto vanarum opinionum fertiſſima, etiam atheos alant: equidem contra hos pugnare *vanum* cenſeo. Nam cum hoc, eſſe Deum, ſit ſumma inſania, quae omnem ſenſum cum ratione opprimat, non poſſit negari: quis quaeſo eos docere inſtituerit, qui omnes cogitandi et ratiocinandi leges audacter evertunt. Deinde quoniam ipſi athei, Deum non eſſe, perſpicue demonſtrare non poſſunt; iis, quae disputavimus, moveri certe hactenus debent, quod, ſi ſit forſitan Deus, ea ipſis omnia, quae diximus, metuenda erunt. Quamquam igitur adverſus atheos disputantes, hoc nunquam efficiemus, ut vitae conſervandae neceſſitatem *ab officio* repetamus; quoniam, ſublata notione Dei, omne officium evertitur: hoc tamen ex iis, quae dicta ſunt, manifeſtum eſt, etiam atheum, ſi vitam ſibi adimat, *id facere ſtultiſſime.*

Sunt etiam, qui exiſtiment, *vitam eſſe beneficium donumque Dei*, cuique autem licere, illud, quod dono acceperit, ſi moleſtum ſit, abiicere. Igitur poſſe nos vitam tamdiu ſervare, quamdiu habeat vim beneficii; ponere autem, quando non ſine moleſtia retineri poſſit. Sed ludunt vocabulo *doni*. Eſt vita Dei donum, quoniam optabilius eſt, eſſe, quam non eſſe;

quoniam Deus eam ſponte tribuit; quoniam denique cum multis bonis coniuncta eſt, quibus, ſi non eſſemus, carendum foret. Sed quod in aliis donis fieri ſolet, ut is, qui dat, de iure ſuo decedat, donum ipſum eius, qui acceperit, arbitrio prorſus relinquatur; id in hac cauſſa ſecus eſt. Latius enim patet vitae notio. Nam Deus, qui dedit, ſemperque conſervat, eam ob cauſſam et largitus eſt, et tuetur, ut tanta re utamur ad colendam, quam ipſe neceſſario poſtulat, virtutem, et augendam generis humani ſalutem. Unde efficitur, ut *nemo ſit ſuae vitae dominus*, cum vita *depoſitum* ſit, quod ſine ſummo ſcelere non poſſit negligi, ſed ei, qui credidit, cum poſtulaverit, reddi debeat.

Audiendi denique etiam ii, qui exiſtimant, *cum liceat, omni modo dolores a ſe avertere*, ut ipſa natura ad eam rem inſtituti ſimus, quoniam doloribus cruciari, aſperum, difficile, odioſum, contra naturam ſit: *dolores et cruciatus ipſa vitae iactura fugiendos eſſe.* Membra enim corporis, quae et ipſa Deus dederit, et omni cura ſervari iubeat, ſi moleſta nobis ſint et morbo corrupta, ſine ſcelere reſecari poſſe et abiici. Quid igitur impediat, aiunt, quominus corpus univerſum, ſi premat animum et angat, exuamus, eiusque vinculis nos

liberemus? Sed facile intelligitur, quid ſequatur, ſi *omni modo* dolores fugiendi ſint, ſummumque malum putandi. Sic enim *tollitur omne officium*, et exſtinguuntur virtutum igniculi, a natura dati, cum nihil magni, nihilque praeclari ſine moleſtia perfici poſſit. Ii igitur dolores fugiendi ſunt, quos ſine virtutis detrimento poſſumus. At virtutis cauſſa dolores, qualescumque demum, non modo tolerandi ſunt, verum etiam animus in eo cernitur vere magnus et elatus, qui res humanas et calamitates omnes, tanquam infra ſe poſitas, deſpiciat. Deinde quae de membris corruptis et inutilibus dicuntur, tam parum ad hanc cauſſam pertinent, ut ei potius adverſentur. Cur enim avelli patimur partes corporis pernicioſas? cur ſecandas et urendas medicis praebemus? eam profecto ob cauſſam, quoniam ſpes eſt, fore, ut reliqua, quae ſana ſunt, conſerventur. Omnes enim, niſi vehementior perturbatio animum commoverit, diſſolutionem naturae ita perhorreſcimus, ut, amorem vitae inſixum naturae eſſe, ſuus quemque ſenſus doceat. Cuius amoris tanta vis eſt, *ut homines ea perferant, quae Philoctetam videmus in fabulis: qui cum cruciaretur non ferendis doloribus, propagabat tamen vitam aucupio ſagittarum.*

5.

Symbola ad interpretationem Pſalmi Sexageſimi Octavi.

Cum multa ſunt in libris Hebraicis V. T. non dum ſatis explicata; quod ii minime ignorant, qui temeritatem in fingendis verborum ſignificationibus pertaeſi, certiora quaerunt: tum perdifficilis eſt Pſalmi LXVIII. interpretatio, de qua tam variae ſunt ac discrepantes virorum doctorum ſententiae, ut, qui eas cognoverit, is multo incertior ſit, quam ante. Videtur autem iſta difficultas duabus cauſſis effici. Ac primo quidem multa verba continet hoc carmen rariora, quae non niſi ſemel leguntur, ac vim habent exquiſitioreu. Quibus quoniam ſaepe ab interpretibus poteſtas ſubiecta eſt non tam rite demonſtrata, quam divinando ficta: dici non poteſt, quantopere nativa carminis obſcuritas his interpretamentis creverit. Deinde

argumentum ipſum et apta partium coagmentatio ita latent, ut, quid ſit, quod fates canat, et quomodo ſingula copulet et coniungat, vix videatur oſtendi poſſe. Illam quidem difficultatem, quae oritur ex obſcura verborum ſingulorum poteſtate, recentiorum quorumdam interpretum diligentia, linguis, quas dicunt, cognatis, et vetuſtis verſionibus in conſilium adhibitis, magnam partem ſuſtulit ac diſcuſſit. Quorum virorum ſcriptis me uſurum eſſe, brevitatis cauſſa ſtatim ab initio gratus profiteor, ne ſingulis locis, quid cuivis debeam, commemorandum ſit, et excitandis aliorum libris hic noſter libellus obruendus. Sed alterum, quod impedire dixi huius pſalmi interpretationem, obſcuritas argumenti et ſingularum partium copulatio, novam videtur interpretis diligentiam poſtulare, cum, quae paſſim leguntur, vel prorſus incerta ſint, vel nonniſi parti accommodata, a toto aliena. Qua de re cum nuper accuratius cogitarem, et quaedam inveniſſe mihi viſus eſſem, quae carmini lucem affunderent: oblata hac opportunitate ſcribendi viris doctis, quae mihi viderentur, exponere decrevi. Cum vero alien[illegible]na a me ſit ea arrogantia, quae verum ſe prae reliquis omnibus videre iactitat; egoque probe ſciam, quot cautiones habeat accurata librorum ſacrorum interpretatio: ita hac

de re disputabo, ut, quae dicturus ſim, non tam conſitenter affirmem, quam idoneis harum rerum arbitris iudicanda proponam. Erit igitur haec disputatio bipartita. Primo quidem *de argumento carminis vatisque conſilio* pauca differam; deinde ſingulas odae partes *annotatione perpetua* illuſtrabo, earumque vim ac ſententiam latius perſequar.

Non itaque copioſus ero in commemorandis iis, quae viris doctis de argumento huius carminis viſa ſunt. Quorum opiniones ſi quis cognoſcere cupit, congeſtas inveniet in *Opere biblico Anglicano*, et *Ioh. Henr. Michaelis annotationibus in pſalmos*. Inprimis autem commendo, quae *Io. Dav. Michaelis*, ad *Louthii praelectiones* notavit pag. 557. ſqq. et ad *verſionem pſalmorum vernaculam*, pag. 136. ſqq. Quibus addi poſſunt, quae *Starkius* commentatus eſt, in libello: *ſylloge commentationum et obſervationum philologico criticarum* pag. 136. Alios pſalmorum enarratores ſatis notos iam praetermitto. Quid mihi hac de re videatur, paucis aperiam. Videtur hoc carmen a Davide confectum eſſe eo tempore, quo arcam foederis transferret ad montem Sionem, 2 *Sam.* VI, 12–20. et 1 *Chron. XV.* Ex ea enim re lucem capit ipſum initium carminis, et inprimit illuſtratur v. 17. Quod cum accidiſſet

haud ita diu poſt deletas reliquias ſuperſtitionis vetuſtae, quae in iſto monte usque ad tempora Davidis duraverat, 2 *Sam.* V, 6–10. rex, facta rerum converſione tam laeta, concitatus afflatu divino, ceciniſſe videtur hoc carmine *beneficia Jehovae, quibus rempublicam Iſraeliticam, ab exiguis profectam initiis, auxerit, exornaverit, et cumulaturus eſſet etiam in poſterum.* Igitur illuſtranda ſunt, quae hic continentur, *ex hiſtoria populi Iſraelitici*, quam ubique tangit vates et ſequitur. Facit id quidem breviter et paullo obſcurius; ſed iſta brevitas, quae nobis moleſta eſt, nihil difficultatis habebat tum, cum haec ſcriberentur. Celebrabatur enim rerum, inde a Moſis tempore geſtarum, memoria inter Iſraelitas omnes, et ita in promtu erant omnia, quae feliciter evenerant populo, ut in eorum commemoratione multis verbis non eſſet opus. Omnino de rebus, quas hoc carmine complexus eſt vates, multa propagaſſe ad poſteros videtur *fama*, quae iſto tempore in vulgus nota erant, a nobis autem ignorantur, quod in libris hiſtoricis, qui ad noſtram aetatem pervenere, non exſtant. Quae ſi quis cogitaverit, non mirabitur, luminibus huius carminis nonnihil obſcuritatis offudiſſe tot ſeculorum decurſum, eiusque ſplendorem non ubique poſſe reſtitui. Ceterum recte quaeritur,

utrum Meſſiae tempora proſpiciat. Interpretibus multis ita viſum eſt, partim quod eius rei veſtigia haud leviter impreſſa in ipſa vatis oratione putabant ineſſe; partim quod Paulli in epiſtola ad Epheſios hoc carmen excitantis auctoritate commovebantur. Nobis *hoc* certum eſſe videtur et exploratum, cani a vate ac praenuntiari *religionis veræ propagationem per orbem terrarum;* quid enim aliud indicare poſſunt, quae v. 30–35. dicuntur? Nec alienum erat, in ſollemni pompa, quae arcam ad montem Sioniticum deducebat, animo praecipere tempora, quibus adoratio veri Dei non amplius coërceri ſe patiatur anguſtis Palaeſtinae finibus, ſed et reliquae gentes in eius ſocietatem veniant, atque ſic mons Sionis, quantumvis depreſſior, tamen gloria ac ſplendore ceteris omnibus antecellat, v. 16. 17. coll. Iſ. II. 2. Mich. IV, 1. Iam cum ſatis conſtet, ad veri Dei cultum adductas eſſe gentes reliquas per *Chriſtum:* errare nobis quidem non videntur, qui exiſtimant, argumento carminis breviter indicari, quae per Chriſtum inter homines gerenda ſint. His praemiſſis, oratio ipſa mihi ſic procedere videtur. Primo univerſe laudat vates Iehovam, populi ſui vindicem ſeverum, in quo ſita ſit omnis Iſraelitarum ſalus; v. 1–6. Celebrat autem inprimis ſeveritatem in coërcendis

hoſtibus, quorum ea beneficia, quae deinde canit, maxime ex hoc genere ſunt, ac cernuntur in reprimenda hoſtium vi. Deinde altius repetit origines populi, canit migrationem ex Aegypto, datas in monte leges, redactam in poſteſtatem Palaeſtinam, devictis, qui arma movilſent, regibus, v. 7–15. Quae omnia ita perſequitur, ut paucis verbis attingat res, vel in Hiſtoria ſacra uberius expoſitas, vel per traditionem et famam iſto tempore omnibus notas. Nobis vero illa brevitas propterea moleſtior eſt, quod non ſemper ita in promtu ſunt res olim geſtae, ut, quid vates canat, ſtatim ſuccurrat. Deletus deinde ad beneficium recens, celebrat electam in Sione regni ſedem puliis Iebuſaeis; v. 16–19.

Sequitur, ut iam copioſius exponamus cum formularum vim et elegantiam, tum omnino ſententiam carminis partiumque aptam conſenſionem. Summa igitur beneficia perſecuturus vates, quibus affecerit Deus populum Iſraeliticum, primo quidem, oratione ad Iehovam converſa, rogat, ut inſtae cauſſae etiam in poſterum ſuccurrat; ac deinde ſurgentem ad res maximas gerendas inducit Deum et accingentem ſeſe; ſuosque hortatur, ut de tanto rege gaudeant, et ad res ab ipſo geſtas et in poſterum perficiendas animum diligenter attendant.

Igitur v. 2. alloquitur Deum ea formula, qua Moſes quondam uti ſolebat, quando arca foederis locum mutabat, Num. X, 35. Si Davides haec cecinit, cum arcam transferret ad Sionem: facile intelligitur, cur ab hac potiſſimum formula carminis initia capiat. Sententia eſt: *Iehova, Iſraelitarum dux et Numen, qui adhuc favore tuitus eſt populum ſuum, eo etiam in poſterum nos complectatur.*

Optat itaque v. 3. ut tanti Numinis poteſtas maxime conſpicua ſit in vincendis ac fugandis hoſtibus. In verbo תנדף antiqui interpretes, *Alexandrini*, *Vulgatus*, *Arabs*, *Syrus* et ipſe denique *Chaldaeus* aliam lectionem expreſſiſſe, ac legiſſe videntur יגרשו, quam lectionem, cum ſit elegantior, et membrorum aequalitati accommodatior, *Starkius* et *Knappius* receptae praeferunt. Mihi nihil mutandum videtur, partim quod non quaevis lectio et alii elegantior, ſtatim eſt verior; quae res quam caute tractanda ſit, nemo gravius docuit *Io. Matth. Gesnero in praefatione ad Horatium:* partim quod non video, quomodo ſcribarum imperitia potuerit יגרשו depravare in תנדף, quod profecto locum reddit difficiliorem. Ceterum notanda hic eſt imaginum elegantia, a *fumo*, aura quavis levi diſpulſo, et a *cera*, facile diffluente, Mich. I, 4. ductarum ad exprimendam

hoſtium imbecillitatem, quae divina vi facile et ſubito conficiatur. רשעים non eſſe *malos*, ut vulgo vertunt, ſed *reos*, qui malam cauſſam habeant, adeoque hoc loco *oppreſſores Iſraelitarum iniuſtos*, et uſus in libris ſacris, conf. 1 Sam. XIV, 47, et orationis contextus oſtendit.

[redacted] hoc eam ob cauſſam optat vates, ut v. 4. laetandi materiam habeant iuſti. צדיקים ſunt ii, *quorum cauſſa iuſta eſt*, *innocentes*, hoc eſt, *Iſraelitae*. Ad hos itaque iam converſus, adventantem inducit Deum, eosque monet, ut iam carmina dicant, viamque ſternant. Sed de formula סלו לרכב בערבות plura monenda ſunt. Dici non poteſt, quot obſervationibus obſcurarit hunc locum vetuſtorum ac recentiorum male ſedula induſtria; fuerunt enim inprimis copioſi in explicando nomine ערבות, ſeu loco eo definiendo, per quem vehi dicitur Deus; quem multi putarunt *caelum* eſſe, non cogitantes, nec linguae uſum conſentire, nec homines poſſe in caelis vias ſternere. Scruti autem videntur *Chaldaeum* et *Rabbinos*. Alii *occaſum* interpretati ſunt, ut *Alexandrini*, *Syrus*, *Vulgatus*, *Arabs*; ſed non video, quae ſic efficiatur commoda loci ſententia. Nam quod *Starkius* putat, Deum ſic fingi ab Aegypti finibus Cherubis vectum, id, vereor, ut Geographis ſatis probet. Alii denique *mundum*

ſterilem et veſtium explicant; ſcilicet ad allegorias delapſi. Mihi quidem ſic videtur. Verbum סלל eſſe *viam munire*, tum ex aliis locis, ut Ieſ. LVII, 14. LXII, 10. intelligitur, tum antiquorum interpretum auctoritate certum eſt. *Aquila* enim vim, ut ſolet, propriam ſectatus, ἀποσκολοπίσατε vertit, *Symmachus* καταςρώσατε ἐδὲν, *Alexandrini* ὁδοποιήσατε. Vocabulum ערבות recte intellectum eſt a *Symmacho* et *Hieronymo*, quorum ille ἐν τῇ ἀοικήτῳ, hic in *deſertis* vertit; habet etiam apud Arabes eam vim, et commutari poteſt cum uſitatiori vocabulo מדבר. Iam vero quoniam formula ad mores regum antiquorum alludit, qui iter facturi mittere ſolebant viam munituros (conf. *Wetſtenius* ad Matth. II, 3.), equidem puto, hic non quodvis poetae verbum ad vivum reſecandum, non quaerendum eſſe: quae ſint deſerta, quae via, qui lapides, quibus ſternatur; ſed omnino hoc velle vatem: *iam cum ſurgit Deus, ut auxilium ferat, et res magnas perficiat, animum attendite, nec agenti repugnate.* Sic certe intelligimus locos alios, veluti, Ieſ. XL., 3. Matth. III, 3. cet., ut mirum ſit, viros doctos hic potiſſimum nimis eſſe verborum tenaces.

Iam cauſſa additur, quae animos Iſraelitarum erigere et ad obedientiam impellere poſſit. Pergit enim vates ביה שמו. Hic vero puncta

mutanda cenſet *Michaelis*, ac negat, alio modo poſſe formulam explicari. Difficultatem creat illud ב, quod vetuſti interpretes; praeter *Symmachum*, *verſionem quintam* et *Hieronymum*, non exprimunt. *Capellus* et *Hubigantius* delendam cenſent, quod *Michaelis*, cum teſtes, quos diximus, antiqui adſint, non audet. In quo lubenter aſſentior Viro Summo, praeſertim cum et reliqui interpretes habuiſſe in codicibus ſuis illud ב videantur, quamquam expreſſa eius veſtigia in ipſorum verſionibus non occurrant. Etenim ſi formulam intellexerunt, ut intelligi debet; ſi in illo ב, nomini יה praefixo, agnoverunt ב, quod vocatur, *eſſentiae ſeu qualitatis*, uſitatiſſimum illud apud Arabes: recte vertere potuerunt: *Iah eſt nomen eius*. Nec obſtat, *ſubiecto*, uti dialectici loquuntur, additum eſſe τὸ ב, de quo quaeritur, cum alias adiungi ſoleat *praedicato*, ut monebimus infra ad verſiculum 18. Num illud quoque interdum fieri, cum ex Ieſaiae loco Cap. XXVI, 4. patet, ubi eadem formula recurrit; cum *Michaelis* docuit in *Grammatica Arabica* p. 101. Sententiam igitur eſſe puto: *lubentes veneramini adventantem ducem, nam eſt Iehova ipſe.*

Iam commemorat vates, qualem ſe Deus, ad agendum exſurgens, geſturus ſit. Sententia

esse videtur: *quamquam in adyto caelesti habitat* (ita enim usurpari formulam מעון קדש, locus docet 1 Reg. VIII, 29. 30.), *adeoque abesse videtur a rebus humanis: tamen est vindex inopum et oppressorum, et ita rem populi sui administrat, ut vim iniustam reprimat.* Sic aditum sibi parat vates ad commemoranda beneficia, quibus populum Israeliticum cumulaverat Deus, adeoque paullo altius repetit ipsas eius origines.

Pergit enim v. 7. אלהים מושיב יחידים—ביתה. Hic non puto, locum communem esse, ut vulgo videtur interpretibus: sed pertinere formulam ad conditores populi Israelitici, inprimis Abrahamum diu prole destitutum; quem propterea prophetae dicere solent האחד *Ies.* LI, 2. *Mal.* II, 15., ut sententia sit: *facit, ut prole destituti domum antea vacuam impleant*, hoc est, *copiosam stirpem habeant*; *Psalm.* CXIII, 9. *Alexandrini* illud יחידים vertunt μονοτρόπους, quod *Vulgatus* et *Arabs* inepte reddunt *unius moris*, notat enim *solitarios, caelibes, orbos. Iosephus* de *Bello Iud.* l. II. c. 21. 1. λῃστὴς γὰρ ἦν μονότροπος, ἔπειτα καὶ συνοδίαν εὗρε τῆς τόλμης, et *Plutarchus* in *Pelopida* c. 5. p. 332. ed. Reisk. Επαμεινώνδας — μονότροπον βίον ἀπ' ἀρχῆς ἑλόμενος.

Auctam igitur Israelitarum gentem quomodo tuitus sit Deus, docetur verbis, quae sequuntur מוציא אסירים בכושרות. Hoc vulgo vertunt: *educit vinctos compedibus*, *Kimchium*, *Abenesram*, aliosque Rabbinos secuti, qui putant, כ poni loco ק, ac ducendum esse vocabulum a קשר. Iam cum ista litterarum permutatio diligenti interpreti *semper* debeat suspecta videri: quis non existimet, huic vocabulo vim plane aliam esse subiiciendam, si ad antiquos interpretes delatus, videat, eam notionem ipsis prorsus ignotam esse. Consentiunt enim in eo omnes, hoc vocabulum in bonam partem dici. Hinc *o' ö'* vertunt: ἐν ἀνδρείᾳ, unde *Vulgatus* habet *in fortitudine*, et *Arabs* بقوة. *Symmachus*, a notione vinculorum alienissimus, reddit εἰς ἀπόλυσιν, *Theodotio* ἐν εὐθύτητι. Ipse *Chaldaeus*, quem miror neglectum hic esse a Rabbinis, veram notionem vidit, vertit enim, *Deum Israelitas Aegypto duxisse* בכשרין במוסבי *prosperos cum pompa*. Omnium vere optime *Syrus* loci sententiam expressit, qui reddit ܒܟܘܫܪܐ, *cum abundantia*, vel *ad abundantiam*, a verbo ܟܫܪ, quod *felicem*, *prosperum esse* apud *Syros* significat. Cum hac notione consentit Arabicum كثر, quod, ut satis constat, quavis vere Corani pagina legitur, ac

numerosum, copiosum esse notat. Eam notionem etiam in verbo hebraico כשר superesse, satis docet locus Cohel. XI, 6. Haec igitur verba ad exitum ex Aegypto pertinere existimo, qui semper in maximis beneficiis numeratur, quibus divina clementia Israelitas cumulavit. Illa autem abundantia vel *ingentem numerum* indicat, ad quem excreverat populus in Aegypto; vel ad *terram illam*, bonis omnibus affluentem pertinet, ad quam ducebantur.

Sed alia omnia eveniunt hostibus. Vocabulum סוררים comparandum est cum Arabico شَرَّ, quod non modo *malum, improbum esse* significat; verum etiam *adversari, iniuriam alicui inferre.* Dicitur itaque hic de *hostibus Israelitarum.* Hi habitare coguntur צחיחה. Recte exponunt hoc vocabulum magistri Iudaici, qui *petram nudam, calore solis exustam* significari tradunt. Etenim quod *Alexandrini, Vulgatus, Arabs* et ipse adeo *Syrus sepulcra* reddunt, id sententiam utcunque expressuri fecisse videntur. Rectius *Aquila:* πλὴν ἀφιστάμενοι ἐσκήνωσαν λεοπετρίανδε. *Symmachus* autem κατοικήσουσι καύσωνος ξηρότητα. Neque contemno comparationem Arabici vocabuli صَخَّة, quod auctore quidem Castello, *sonum lapidis petrae illisi* significat. Videndus etiam locus *Ezech.*

XXIV, 7. 8. et *Schultenſius* ad Prov. XVII, 22. p. 1184. Iam cum eiusmodi ſaxa nuda ſint elegans ſterilitatis et inopiae imago, ſententia haec eſt: *at inimici inopia premuntur.* Vera profecto Aegyptiorum deſcriptio, quos calamitates ſummae, a Deo immiſſae, ita afflixerant, ut omnium rerum inopia laborarent.

Transit vates v. 8. ad aliud beneficium, quod cernitur in datis legibus, populique in deſertis Arabiae mira conſervatione. Formulam בצאתך לפני עמך vertendam eſſe: *cum ducem te praeberes populo tuo*, notum eſt; vid. Pſalm. XLIV, 10. Verbum עלה reddo *aſcendere*, comparans Arabicum صعد, quod idem notat. Quod verbum non modo hic de Deo, montem Sinai conſcendente, bene dicitur: verum etiam eamdem vim habere videtur Geneſ. XLIX, 22.

Deſcribitur iam v. 9. et 10. legis latae pompa iisdem fere verbis, quae Iudic. V, 4. 5. leguntur; inprimis autem illud celebratur, quod Deus vaſta illa loca et horrida aptam reddiderit Iſraelitis habitationem. Formulae גשם נדבות lucem affundit Arabicum نذب, quod *largum eſſe* notat, ac deinde ad *liberales* tralucitur; unde patet, *imbrem largum et copioſum* commemorari, nam verbum נדף eſt *effundere*, ut Prov. VII, 17. Quod autem ſtatim addicur

הלאה, id hic dici videtur de *terra ſolis calore* exuſta, in qua omnia deficiant et quaſi emoriantur, cum, ut poeta ait

exuſtus ager morientibus aeſtuat herbis.

Solent etiam Arabes terram nimis exuſtam dicere deficientem et *mortuam*. Huc pertinet elegans locus *Corani*, *Sur.* II. v. 166. ubi Muhammedes e contemplatione naturae notitiam Dei hominibus inculcans, etiam pluviam commemorat, *quam Deus demittit* فَأَحْيَا بِهِ الْأَرْضَ بَعْدَ مَوْتِهَا *eaque vitam reddit terrae poſt ipſius mortem*. Eaedem formulae recurrunt *Sur.* XXX, 50. et XXV, 49. Verbum בין denique uſurpatur *de pluvia tellurem ſubigente;* et frugibus ferendis aptam reddente; *Pſalm.* LXV, 10. Haec de verborum grammatica enarratione ſufficiant. — Quaeritur iam, quae ſit loci ſententia, et quomodo cum antegreſſis cohaereat. Equidem vereor, ut ii carminis expoſitioni conſulant, qui hic *de imbre Spiritus Sancti* cogitant, ſuper Apoſtolos effuſi, ſic enim omnia ad allegorias detorquenda eſſent, cuius rei cauſam idoneam video nullam. Tenenda igitur vis verborum propria. Deſcribit vates latae legis ſolemnia; quae videntur non modo cum ingenti tempeſtate, verum etiam cum largo imbre coniuncta fuiſſe; hoc certo

traditur etiam Iudic. V, 4. 5. Peculium Iehovae, cum *Michaelis*, puto eſſe *montem Sinai cum regione ſubiecta*, quae *Exod.* III, 5. אדמת קדש appellatur. Eſt etiam locus quidam apud *Ioſephum in Origin.* l. II. c. 1c. §. 1., qui huc pertinet, et ita ſe habet: τῦτο δ' ἐϛὶν ὑψηλότατον τῶν τότε ὀρῶν (loquitur autem de monte Sinai) καὶ πρὸς νεμὰς ἄριστον, ἀγαθῆς φυομένης πόας, καὶ διὰ τὸ δόξαν ἴσχειν, ἐνδιατρίβειν αὐτῷ τὸν θεὸν, ὃ κατανεμηθέισης πρότερον (ſcilicet ante Moſen) ὃ τελμώντων ἐμβατεύειν εἰς αὐτὸ τῶν πομέων. unde patet, opinionem de ſanctitate montis fuiſſe late fuſam et antiquiſſimam. Sententia igitur eſt, *Deus largis imbribus aeſtu ſolis accenſas regiones, montis Sinai rigaſſe, ut in iſtis deſertis habitare poſſet inops Iſraelitarum turba.* Etiam hoc pertinere ad beneficia inprimis commemoranda, quis non videt? Sed pergendum eſt in reliquorum verborum explicatione.

Oſtendit vates v. 11. quid iſta pluvia effecerit. Vocabulum חיתך ſunt, qui *coetum* interpretentur. Quae notio quamquam interdum vocabulo ſubiicienda eſt, nec aliena videtur hoc loco ab aequalitate membrorum: mihi tamen propterea non probatur, quod uſurpatur fere *de coetu armato*, de *globo militum*, ut 2 Sam. XXIII, 13. coll. 1 Chron. XI, 15. haec vero notio non videtur cadere in turbam Iſraelitarum

inermem. Igitur iterum amplector ſententiam *Michaelis*, qui *feras* intelligit, *iſtorum locorum incolas*, quae, quod univerſa regio, uti paullo ante obſervavimus, habebatur *ſacra*, ſacrae putabantur et inviolabiles ipſae. Non repetam, quae ad ornandam hanc interpretationem ſcripſit in notis ad *Louthium* pag. 561, et ad pſalmorum verſionem vernaculam. Hoc unum addo, etiam a ſcriptoribus humanis ſaepe commemorari animalia, greges, armenta, alicui Deo ſacra, quae violare, venari, interficere nefas ſit. Locis autem, ubi animalia etiam in libris ſacris exſpectare, atque adeo petere dicuntur pluviam, quos Michaelis iam attulit, addi poterit *Joel.* I, 20. Quod deinde ſequitur כטובתך, illud vulgo vertunt *benigne*, *pro tua benignitate*; nec ego repugno. Puto tamen *ipſam pluviam* ſic dici poſſe. Quae, cum in illis regionibus aridis ingens ſit beneficium, ab Arabibus κατ' ἐξοχὴν ſolet *benignitas* ſeu *miſericordia Dei* appellari; veluti *Sur.* XXX, 46., ubi Muhammedes, *demittit*, inquit, *ventos ſauſta nuntiantes* لِيُذِيقَكُم مِّن رَّحْمَتِهِ *ut ſentiatis eius miſericordiam*, hoc eſt *pluviam*, cuius nuntii eſſe ſolent venti; ſic etiam *Sur.* XXVII, 46. conf. etiam *Pſalm.* LXV, 10–12., ut adeo loci noſtri ſententia ſit: *ferae iam in regione recreata habitare poſſunt; largo imbre aptam*

eam reddidiſti etiam inopi Iſraelitarum multitudini. Omnino liceat, ut huius loci vis et elegantia rectius ſentiatur, addere locum ſimilem Corani *Sur.* XXV, 49., ubi *Muhammedes* de Deo ita loquitur: *ipſe eſt, qui mittit ventos, fauſtum nuntium ante miſericordiam ſuam*, h. e. pluviam; وَأَنزَلْنَا مِنَ ٱلسَّمَآءِ مَآءً طَهُورًا لِّنُحْيِيَ بِهِۦ بَلْدَةً مَّيْتًا وَنُسْقِيَهُۥ مِمَّا خَلَقْنَآ أَنْعَٰمًا وَأَنَاسِيَّ كَثِيرًا *et demittimus e caelo aquam puram, ut vitam tribuamus per eam regioni mortuae, ac potemus, quae condidimus, pecora et homines multos.* Quod autem in libris hiſtoricis nulla ſit mentio pluviae, quae fecit, ut vireſceret ager Sinaiticus, id quidem nemini mirum videri debet. Acciderunt enim multa, quae in tanta brevitate non poterat perſequi Moſes; huius autem rei diſerta commemoratione ne opus quidem erat; nam regionem, in qua commorari debebat populus, vitae paſtoriciae deditus, qui greges numeroſos armentaque magna ſecum ducebat, non potuiſſe carere *paſcuis*, quis non intelligit?

Progreditur vates v. 12. ad nova beneficia, quae cernuntur in exſtirpatis hoſtibus Iſraelitarum, et redacta in poteſtatem Palaeſtina. Et ut hactenus breviter tantum tetigit res a

Iehova geſtas: ita etiam nobiliſſimas pugnas breviſſime indicat, quae, Moſe et Ioſua ducibus, commiſſae ſunt, et rem Iſraeliticam vehementer auxerunt. המבשרות, quae hic commemorantur, ſunt *virgines Iſraeliticae*, carminibus celebrantes, more antiquo, res populariorum feliciter fortiterque geſtas; conf. *Exod.* XV, 20. *Iudic.* XI, 34. 1 *Sam.* XVIII, 6. 7. *Iſ.* XL, 9. cet. Scio, fuiſſe, qui de *apoſtolis* cogitarent, Evangelii doctrinam orbi terrarum proponentibus: ſed vates loquitur de *feminis*. Sententia igitur eſt: *iam Iehova ſuos ad victorias vocat; ingens eſt feminarum nuntiantium multitudo.*

Primum bellum canitur v. 13. Hic verſiculus non niſi formulam בית נית habet paullo obſcuriorem. Interpretes antiqui cogitarunt de verbo נאה et vocabulum נית verterunt *pulcritudo*, ut οἱ ὁ, *Vulgatus*, *Aquila*, *Syrus*. *Symmachus*, aſſecutus fere veram vim, reddit ἡ διανεμοῦσα τῷ οἴκῳ. Eſt enim haec formula deſcriptio feminarum, quae, more iſtarum regionum, fere ſemper cohibentur gynaecei angustiis, nec ſolent in celebritate verſari; vid. 2 *Maccab.* III, 19. Quam ſedulae autem fuerint olim feminae in dividendis ſpoliis, et quam avide inhiarint rebus, maritorum virtute partis, eleganter deſcribitur *Iud.* V, 28. ſqq. Mihi videntur, quae hic dicuntur, breviter tangere illa praelia, qui-

quibus ſuperſtite adhuc Moſe, devicti ſunt reges Og et Sihon, trans Iordanem regnantes, Num. XXI, 21. ſqq. Hoc enim ſuadent, quae ſequuntur, et hiſtoria eius belli bene cum hoc loco conſpirat; ut adeo hoc velit vates: *iam fugiunt imperatores eum exercitu, fugiunt, et Iſraelitarum feminae ſpolia caeſorum dividunt.* Illarum regionum urbes a victore non deletas eſſe, ſed occupatas, ut ſtatim habitarentur, indicare videtur Moſis narratio, quam modo dixi.

In explicando v. 14, qui recte difficillimus putatur, poſt illuſtrationem, quam *Michaelis* propoſuit, brevior eſſe poſſum. Non enim commemorabo, quae *Hubrigantius* mutanda cenſet; quem ſatis conſtat ſubterfugere ſolere grammaticae interpretationis moleſtiam in locis obſcurioribus utendo et ſecando. Nec reprehendam *Starkii* diligentiam, quae medicinam afferre voluit loco, ſatis, ut videtur, ſano. Profiteor itaque, ſequi me ſententiam *Michaelis*, qui obſcurum vocabulum שפתים et Arabico سغث *bibit* interpretatur *canales*, et locum ſimillimum comparat Iud. V, 16. In formula כנפי יונה ex antegreſſis repetendum eſt כן, et verba נחפה בכסף deſcriptionem *columbae candidae* continent. Eadem translatione *Ovidius* utitur *Metam.* l. II. v. 537. *Fuit haec quondam*

niveis argentea *pennis Ales, ut aequaret totas ſine labe columbas* et apud *Virgilium* Aen. l. VIII. v. 655 eſt *argenteus anſer;* add *Bochartus Hieroz.* Part. II. l. I. c. 2. p. 9. Ultimam verſiculi formulam ירקרק חרוץ recte intellexiſſe videntur *Alexandrini*, qui ἐν χλωρότητι χρυσίῳ vertunt; ſic enim color, qui in alis et collo columbarum refulget, optime exprimitur. *Lucretius* hoc appellat *inter caeruleum virideis miſcere ſmaragdos*, conf. *de Rer. Nat.* l. II. v. 800–804. Habet autem locus univerſus, ut *Pfeiffero* in *Commentatione* l. ad hunc Pſalmum, et *Michaelis* ad *Lowthium* p. 562. aliisque videtur, *vitae ſegnis ac paſtoriciae deſcriptionem.* Quam ſententiam eo lubentius amplector, quo magis ea, quae hactenus, de hoc carmine diximus, illuſtrat, et aditum nobis patefacit ad explicanda reliqua. Videbantur ſcilicet Iſraelitae, redactis in poteſtatem regionibus trans Iordanem, invitati vitae otioſae deliciis, ad imminens bellum et expugnandam Palaeſtinam ipſam tardiores: cui ſuſpicioni cum locum dediſſent quaedam tribus, ſatis conſtat, quam ſevere Moſes reprehenderit eam ignaviam; qua de re legenda ſunt, quae ipſe narrat *Num.* XXXII, 5. ſqq. Hinc, demtis imaginibus, hoc vult vates: *at vos Iſraelitae, nolite, capti illecebris vitae mollis et otioſae, ea negligere, quae occupanda ſuperſunt.*

Venio iam ad locum, v. 15, quem adeo deſperatum exiſtimat *Michaelis* atque depoſitum, ut coniecturam criticam adhibendam cenſeat, ac pro צלמון legi iubeat ציון, *nullo* quidem auctore, quod ipſe fatetur; ſed negat, lectionem receptam intelligi poſſe. Comparat porro Hebraicum שלג cum Arabico ثلج, quod eſt *laetari*, ac vertit: *altiſſimo reges in ea conſtituente, voluptate perfundebatur Sion — Starkius* eodem nomine צלמון offenſus, legendum cenſet צַלְמוּת, cui ex Arabico ظلمة notionem *obſcuritatis* et *tenebrarum* ſubiicit. Quam emendationem *Chaldaei* auctoritate firmat, qui מטולא דמותא, *mortis umbram*, interpretatus ſit. Sed ut taceam, totum locum a *Chaldaeo* peſſime perverti; vereor etiam, ut ſic legerit, cum צלמון nomen appellativum putaſſe, et, qua ſolet uti in vertendo licentia, ei videatur umbrae vim tribuiſſe. Aliorum interpretum opiniones conſulto praetermitto, cum plerique allegoriarum ludibria proponant et ad ſententiam myſticam, neſcio quam, delabantur; quod non eſt enarrantis, ſed inſcitiam pietatis ſpecie occultantis. Licet igitur exponere, quae mihi in mentem venere; ſi peccavero, error erit in loco, tot difficultatibus impedito, excuſatior. Quoniam igitur, ut hactenus monuimus, breviter canit vates beneficia Dei ea, quae cernuntur

in pulſis Iſraelitarum hoſtibus; et in antegreſſis concitavit ſegnes populares ad proſequenda bella: ipſe rerum geſtarum ordo nos ducit ad *bella cis Iordanem* geſta. Probabile autem eſt, virum divinum in tanta brevitate, qua hactenus antiquam hiſtoriam delibavit, non niſi pugnas commemoraturum eſſe nobiliores, reliquas praetermiſſurum. Mihi vero nulla pugna videtur illuſtrior et notatu dignior, quam duce Ioſua cum rege Hieroſolymorum eiusdemque ſociis commiſſa; quae coniuncta fuiſſe putatur cum ingenti miraculo ſolis per integrum diem non occidentis; *Ioſ.* X, 1 ſqq. Iam eo loco, ubi hoſtis caeſi fuga commemoratur, *Ioſ.* X, 10. 11. tradi videtur, partem victi exercitus ſeſe effudiſſe ſeptemtriones verſus, ad Bethhoronem ſuperiorem, et regiones, urbi Sichem vicinas; alteram partem ad Auſtrum fugiſſe, ac petiiſſe Azecam et Makedam. In fugam converſos afflixit ingens grando, qua, ut perſpicue tradit ſcriptor ſacer, plures periere, quam victoris gladio. Iam cum Salmon mons ſit, ad urbem Sichem ſitus, *Iudic.* IX, 48; poterit forſitan hanc rem in animo habuiſſe vates. Etenim verbum פרש eſſe *dividere*, *dispergere*, non modo patet ex Arabico فرش: verum etiam Iudaei lubenter concedunt. Illud בח videtur ad omiſſum nomen ארץ referendum, cuius omiſſio,

quantumvis durior, carminis brevitate excuſanda eſt. Verbo תשלג *albeſcendi* vim tribuo, quam *Vulgatus* iam vidit, qui vertit: *nive dealbabuntur in Selmon*; conf. *Ieſ.* 1, 18. Unde oritur ſententia: *cum Deus ſpargit per terram reges, albeſcit ad montem Salmonis.* Illud *albeſcere* autem vel ad *grandinem* referri poteſt, qua fugientes hoſtes obruebantur; vel regionem deſcribere, *caeſorum oſſibus albam.* Omnino hic comparanda ſimilis ſtragis uberior deſcriptio eſt apud *Plutarchum* in *Timol.* c. 28. p. 270 ſqq. ed. Reisk. Poſtquam igitur provocaverat vates v. 14. populares ad nova praelia, rapitur ſtatim ad nobilem illam pugnam, quae fecit, ut uſurpari poſſet de populo Iſraelitico illud poetae:

O nimium dilecte Deo, tibi militat aether,
Et coniurati veniunt ad praelia venti.

Equidem non diſſimulo, multis difficultatibus etiam hanc interpretationem laborare, quamquam carminis argumento, et inprimis rerum commemoratarum ordini conſentanea ſit. Cur enim Salmon, ignobilis profecto mons, hic potiſſimum nominetur, nemo dixerit. Nec ſatis certum eſt, utrum fugatus Cananitarum exercitus eam regionem attigerit, cum obſcurior, certe ambigua ſit rei apud Ioſuam narratio. Sed haec forſitan rectius perſpiceremus, ſi pugnae

περιπάτους omnes memoriae proditae eſſent. Fortaſſis etiam alius mons, loco pugnae propior, id nomen habuit. Ceterum eo conſilio haec propoſui, ut aliorum etiam ſtudia provocarem, quibus noſtra vel emendentur, vel nova inveniantur ac meliora.

Ea pugna, de qua hactenus verba fecimus, partes Palaeſtinae *auſtrales* Iſraelitis ſubiecit. Expugnanda igitur ſupererant *loca ſeptemtriones verſus*, ad montem Libanum, ſita. Factum hoc eſt alia pugna, iſtam ſtatim excipiente, quam Ioſua ad aquas Merom commiſit; *Ioſ.* XI, 1–9., inprimis huc pertinet v. 17. Illud bellum iam cani puto; quod ut clarius intelligatur, verba ipſa paucis explicabo. הר בשן eſſe eam *Libani partem, quae Iordanem fundat*, notum eſt. Nec quemquam hic impedire debet vetuſtorum interpretum auctoritas, qui *montem pinguem* reddunt, cogitantes, ut videtur, et alii iam monuerunt, de Arabico بسن. Formula הר גבנים vulgo vertitur *mons collium*; non inepte. Etenim verbum גבן, quod apud Hebraeos non amplius ſupereſt, Chaldaeis, Syris et Arabibus dicitur de *lacte coagulante*, unde etiam *caſei* nomen apud Hebraeos, Chaldaeos, Syros et Arabes ab eo verbo ducitur. *Alexandrini* interpretes hoc loco vim verbi propriam viderunt et expreſſerunt, vertunt enim

ὄρος τετυρωμένον, ſequace *Vulgato*, qui reddit: *mons coagulatus.* Inde videtur traduci *ad loca aſpera et impedita;* eam certe vim habet Arabicum جبّانة. Erit igitur הר גבננים *mons aſper, multis collibus et cacuminibus eminens;* quae interpretatio ab iſtius montis natura non abhorret. Nec repugno, ſi cum *Michaelis montem concretum*, hoc eſt, *perenni glacie ac nivibus tectum* interpretari volueris; nam et hoc, neque a lingua, neque a natura montis alienum eſt, qui ipſis magiſtris Iudaicis in Thalmude הר תלגא dicitur. Quoniam denique vocabulum גבינין apud Chaldaeos *ſupercilium, palpebrus* ſignificat, *Lev.* XXI, 20. in Thargum *Ionathanis et Hierоſolymitano;* aliam inde ac novam interpretationem elici poſſe putat *Michaelis*, et montem cani exiſtimat, *inſidioſe propendentibus palpebris alios obſervantem.* Sed liceat hac in re Viri Doctiſſimi ſententiam deferere. Etſi enim non ſperno obſervationem eam, quae Chaldaicum vocabulum cum Hebraico comparat; novam tamen interpretationem inde duci poſſe non puto. *Aquila* iam eam vim, quam Chaldaicum גבינין ſuadet, vidit et expreſſit, vertit enim: εἰς τί ἐρίζετε ὄρη ὀφρυώμενα. Sed hoc non indicat montem inſidioſe alios ſpectantem et obſervantem; ſed montem *elivoſum, multos tumulos habentem.* Etenim ſic

dici vocabulum Graecum, perſpicuus locus docet apud *Lucam* Cap. IV, 29. ἤγαγον αὐτὸν ἕως ὀφρύος τοῦ ὄρους. Sic autem optimos ſcriptores loqui, et a Latinis quoque cacumina montium appellari *ſupercilia*, ingenti locorum farragine ad illam Lucae formulam demonſtravit *Wetſtenius*. Habet igitur verſiculus hanc vim: *mons Baſanitidis Dei mons eſt, mons Baſanitidis, aſper ille ac nivalis;* hoc eſt; *iam iugum quoque Baſanitidis, duce Iehova, expugnatum eſt, et ad eam terram acceſſit, cui praeeſt Iehova.* Quoniam enim in iſtis bellis Iehova ipſe erat Iſraelitarum imperator, terra occupata dici poteſt in eius poteſtatem redacta.

Haec editiſſimi montis, ac multis nominibus celeberrimi, notio rapit vatis animum ad recens beneficium Iehovae, quo factum erat, ut, rebus populi ſui interfuturus, Sionem ſibi deligeret ſedem. Praetermiſſis igitur reliquis, quae de beneficiis Iehovae dici poterant, elegantiſſima προσωποποιΐᾳ utitur, quam iam enarrabo. Notandum igitur eſt, quam, *Chaldaeo* et magiſtris Iudaeorum praeeuntibus, poteſtatem ſolent vulgo ſubiicere verbo רצד, eam eſſe falſiſſimam ac fictam. Obſervarunt enim iam alii, eius verbi veram vim eſſe *inſidiari*, *obliquis oculis aliquem ſpectare*, quod ſolet eſſe ſignum *invidiae;* non autem *exſultare*, *ſubſilire*,

ut illi temere explicant. Quae obſervatio non modo firmatur Arabico حسد, verum etiam veteſtorum interpretum teſtimonio, qui ſi a *Chaldaeo* diceſſeris, omnes fere *aemulationis, invidiae certaminisque* notionem expreſſere. *Alexandrini* quidem ἵνατί ὑπολαμβάνετε, quod *Vulgatus* exprimit: *ut quid ſuſpicamini;* et ſic etiam *Arabs. Symmachus:* εἰς τί περιπαθάζετε, ſequace *Hieronymo.* Clariſſime *Aquila:* εἰς τί ἐρίζετε. Ut paucis expediam, vates elegantiſſime fingit, *editos illos magnosque montes*, quorum Deus videretur inprimis debuiſſe rationem habere, *invidia diſcruciari, cum videant, Deum Sionem, collem depreſſiorem et nudum, praeferre, et ibi maxime arcàm ſuam collocare.* Docet etiam, eam invidiam eſſe vanam, ac Deum ibi ſemper habitaturum.

Quod ut magis illuſtretur, et admoveatur fere ad ſenſus, ipſam deſcribit pompam tranſlatae in Sionem arcae, et ingentem comitantium multitudinem. Ac primo quidem formula רכב אלהים *arcam* ſignificat, qua veluti vehebatur Deus, montemque conſcendebat. Neque hoc faciebat ſolus; aderant potius et ſequebantur רבותים אלפי שנאן; *duae myriades, et millia iterationis*, h. e. *millia in ſe ducta*, conf. Num. X, 36. Hunc numerum non eſſe ad vivum reſecandum, ſed omnino *copioſiſſimum*

comitatum indicari, nemini obſcurum erit. Ut autem eo magis ſentiatur huius pompae magnificentia et decus, addit vates: אדני בם, *praeſens iterum in univerſi populi concilio adeſt dominus*, ut olim, cum leges ferret, cum eum per deſerta duceret. Adeſt autem, ut novam imperii ſedem occupet. Nam quae ſequuntur, verba, סני בקדש, vertenda videntur: *Sinai pro ſancto* ſeu *templo eſt*, ſcilicet *ei*. Nec tamen repugno, ſi quis exiſtimet, illud ב poſſe cum Beth eſſentiae Arabum comparari, quo utuntur ad exprimendum nominativum qualitatis; ut in formulis أَنَا بِشَهِيد, *ego ſum teſtis;* اللهُ بِقَدِيرٍ *Deus eſt potens* cet. Sic verti poteſt: *Sinai eſt ſanctus* ſcilicet *ei*. Solet enim illud ב ſaepius etiam apud Hebraeos occurrere; veluti *Pſalm.* CXVIII, 7. LIX, 6., qui loci ab *Alexandrinis* accurate translati ſunt. Res ad idem redit — Sed docendum erat, quomodo in *Sione* figere ſedem Deus poſſit, cum iſtum montem per tot ſecula tenuerint cultores idolorum. Breviter itaque canitur bellum, nuper cum *Iebuſaeis* feliciter geſtum, per quod occupaverit Deus Sionem, et in poteſtatem redegerit. Verba enim v. 19 עלית למרום, *aſcendiſti collem*, deſcriptio expugnantis arcem Sioniticam Dei ſunt. Hoc docent, quae ſtatim adduntur: שבית שבי, *in*

captivitatem redegiſti hoſtes, nempe *Iebuſaeos*, arcis incolas, vid. 2 Sam. V, 6–10. et Pſalm. XXIV; *atque nunc ſolus ibi regnas*, ſolus ibi coleris. Ita enim intelligenda cenſuerim, quae ex hoc verſiculo ſuperſunt. Primum verba לָקַחְתָּ מַתָּנוֹת בָּאָדָם non vertenda ſunt, *dediſti hominibus dona*, ut Chaldaeus et Syrus ea reddidere. Nam étſi uſus linguae hanc ſententiam admittit: eam tamen a contextu alieniſſimam eſſe, quis non ſentit? Quod autem *Paulus* eam expreſſit Eph. IV, 8. id nemini mirum videbitur, nam hoc poſtulabat apoſtoli in afferendo loco conſilium, cum non interpretari haec verba vellet, ſed iis ad exprimendam rem aliam commode uti. Omnia cohaerent egregie, ſi locus vertitur: *munera accipis ab hominibus*, quod nihil valiud ſignificat, quam *homagium tibi praeſtant*, *regem te ac Dominum venerantur homines*, vid. Pſ. LXXII, 10. 11. Et ne quis exiſtimet ab Iſraelitis tantum coli Deum: ſtatim additur וְאַף סוֹרְרִים, *ab ipſis adeo rebellibus adoratur*, omiſſum enim eſt in nomine סוֹרְרִים praepoſitio בְּ. Rebelles autem devictos *Iebuſaeos* eſſe, contextus docet; his enim pepercerat David, et ad veri Dei cultum eos adduxerat; conf. quae *Michaelis* obſervavit ad verſionem vernaculam loci 2 Sam. V, 8. *Atque ſic regnat et habitat, ubi antea hoſtes fuerunt*,

cultus ab omnibus et adoratus Iehova. Hanc eſſe vim verborum לשכן יה אלהים, tam perſpicuum eſt, ut demonſtratione non indigeat.

Veniamus nunc ad *alteram* carminis partem, qua docet vates, Deum non modo in *occupanda* Palaeſtina, ac pellendis veteribus colonis, populo ſuo opem tuliſſe; verum etiam in *tuenda* hac terra, ac defendendis hoſtium incurſionibus: eodemque animo etiam in poſterum fore v. 20-24. Unde Deo, iam aedem ſuam in Sione occupaturo, *triumphantis pompam tribuit*, ac redeuntis e praelio victoris; populares autem monet, ut carmina dicant, ac pro tantis beneficiis gratias agant v. 25-28. Rogat denique Deum, ut, quam omni tempore tantopere dilexerit Iſraelitarum rempublicam, *eam etiam in poſterum tueatur*, hoſtium vero impetus reprimat. Praeſentit etiam ac proſpicit animo ea tempora, *quibus hi ipſi hoſtes ſint pia mente proſecuturi Numen Iſraelitarum*, quod non modo in amplificanda re Iſraelitica poteſtatis ſuae illuſtria documenta dederit; verum etiam rebus omnibus praeſit, ac tonitruum tumultu vim ſuam ſignificet v. 29-36.

Igitur poſtquam dixerat v. 19. quam late pateat imperium Numinis Iſraelitarum; excitat populares ad *laudandam eius benignitatem* v. 20.

qua factum ſit, ut Iſraelitae *occupatam Palaeſtinam*, crebris hoſtium finitimorum incurſionibus vexati, interdum etiam oppreſſi atque devicti, *tamen potuerint retinere.* Ambiguum hoc loco eſt verbum סבל, quod notat quidem vulgo *onerare*; ſed hoc loco ab interpretibus quibusdam vetuſtis, nominatim Alexandrinis et Vulgato, in bonam partem acceptum, de *beneficiorum* quaſi cumulo quodam ac pondere exponitur; cui opinioni etiam favet *Schultenſius in Clave pag.* 267., ut alios recentiores iam praetermittam. Sed cum haec vis ſit aliena ab uſu verbi in libris ſacris; dicitur enim ſemper in partem deteriorem de *onere moleſto*: hoc loco, imperſonaliter poſitum videtur de *ſervitutis* onere, inde a tempore iudicum Iſraelitis iniuncto ſaepius a gentibus finitimis; quam rem etiam infra tangit vates v. 28. Hanc interpretationem cum ſeries orationis iuvat, tum uſus verbi aliis in locis, veluti 1 Reg. XII, 11. Imago, quae ineſt in formula, ducitur a ferocitate iumenti, vel equi, qui impoſitis oneribus domatur, vid. *Pſ.* LXVI, 11. 12., et Geneſ. XLIV, 13., et exprimit eleganter *populi devicti, ac tyrannide preſſi miſeriam.* Unde ſententiam eſſe puto, *Deum etiam propterea celebrandum eſſe, quod oppreſſis ſubinde tyrannorum ferocia Iſraelitis opem tulerit.*

Haec illuſtrantur iis, quae iam ſequuntur v. 21. Nomen למושעות *victoriam* indicare puto, quam vim et verbum הושיע ſaepe habet, et nomen תשועה; vid. *Pſ.* XXXIII, 17. Sed quae extremo commate legitur formula; difficilior eſt, inprimis nomen תוצאות. Sunt igitur, qui *acceſſum mortis*, vel quosdam quaſi mortis *fontes* intelligant, quibus fiat, ut facile poſſit Deus Iſraelitarum hoſtes delere. Nec eſt ea interpretatio ab uſu aliena: vid. *Prov.* IV, 23. Videntur etiam Alexandrini interpretes locum ſic intellexiſſe, vertunt enim: τῷ κυρίῳ αἱ διέξοδοι τοῦ θανάτου. Sic *Pſ.* I, 5. habent διεξόδους τῶν ὑδάτων. Sed membrorum aequalitas me impedit, quominus eam poteſtatem amplectar; et cum hoc nomen notare etiam poſſit *effugia*, *loca*, *quae fugientibus pateant*: vis commatis haec eſſe poſſet: *Deus enim nobis dat vincere, et efficit, ut calamitatibus oppreſſis, et conſtitutis adeo in ipſo mortis periculo pateant exitus et fugiendi locus concedatur.* Ceterum cum nomen תוצאות etiam *de expeditionibus bellicis* uſurpari queat; nam verbum יצא vulgo ſic dicitur, conf. 2 Sam. XI. haud male vertitur haec formula: *Domine expeditiones ſunt ad mortem*, h. e. ad interitum hoſtium. Haec ſententia et antegreſſis, et his, quae ſequuntur, egregie accommodata eſt.

Monet iam vates *eamdem ſore etiam in poſterum Numinis ſupremi in tuendis Iſraelitis curam, in punienda vero hoſtium ferocia ſeveritatem.* Verbi מחץ, quod *ferire* convertimus, poteſtatem ex Arabico مَحَضَ iam ſatis illuſtravit *Schultenſius* in *Originibus* pag. 529. Formula קדקד שער, quae *locum* notat, *ubi capillus occipitis ſecatur*, vid. *Schultenſius* in *Clave* pag. 321., non ſine elegantia ac vi poſita eſt. Notat enim vates, Deum eo loco vulneraturum hoſtium capita, quo facile admittant vulnus inmite et immedicabile. Unde etiam conſequitur, ea formula non deſcribi ſingularem aliquem hoſtem, ut nonnullis viſum eſt; quod etiam abhorret a nexu orationis. Illud אשם vero, quod omnis generis *culpam et flagitia* exprimit, hoc loco dici videtur *de odio in populum Iſraeliticum*, quo violabatur Deus ipſe, huius populi rex; unde hanc, puto, loci ſententiam effici: *etiam in poſterum Deus hoſtes affliget; caedet ad internecionem omnes, qui nos odiſſe audacter pergent.*

Atque hac ſeveritate punitum iri Iſraelitarum hoſtes *omnes*, iam Deus ipſe pronuntiat v. 23. Poſt verbum אשיב ſubaudiendum eſſe nomen אויבים, res ipſa loquitur, parumque conſulere videntur contextui, qui de *reducendis Iſraelitis captivis* cogitandum hic eſſe

cenſent. Eſt enim huius loci omnino haec ſententia, *velle Deum, ubicunque demum hoſtes fuerint, ſive delituerint inter anguſtias ſaltus, et occuluerint ſeſe montium latebris, ſive mare ipſum petierint, eos protrahere, pavidosque conficere.* Locus plane ſimilis eſt *Amoſ.* IX, 2. 3. conf. etiam *Obad.* v. 3. 4. Sed cum illa tempora mente repeto, quibus haec cecinit divinus vates, non temere videtur mihi *Baſanitidis* potiſſimum montes, *marisque voragines* hoc loco memoraſſe, ſed ſubindicare voluiſſe *certos populi Iſraelitici hoſtes.* Videntur enim in montibus iis, quos vulgo *Hermonis* nomine appellant libri ſacri, delituiſſe adhuc et manſiſſe ad illa tempora vetuſtorum *Cananaeorum* quaedam reliquiae; qua de re traduntur nonnulla *Iudic.* III, 3. Iam quoniam in antegreſſis cecinerat vates, quomodo ſint ope divina pulſi ſedibus ſuis ac deleti Palaeſtinae incolae veteres: nunc polliceri videtur Deus, ſe etiam has reliquias, montium aſperitate tutas, redacturum eſſe in poteſtatem Iſraelitarum, ac prorſus confecturum. Forſitan omnino regionem, ſeptemtriones verſus ſitam, et univerſum Libani iugum hac formula indicare voluit vates; unde intelligi poſſent *Syriae reges*, illa loca tenentes, inprimis *rex Damaſci*, quocum poſtea funeſta bella geſſit Davides; conf. 2 *Sam.* VIII.

5. 6., et quem copioſius deſcribere videtur infra v. 31. Quod autem *maris* etiam voragines memorat, facere illud videtur propterea, quod ſitae erant ad mare *urbes Palaeſtinorum*, quos ſatis conſtat perpetua fere cum Iſraelitis bella geſſiſſe, et a Davide tandem prorſus eſſe fractos, vid. 2 Sam. VIII, 1. Inprimis etiam *Tyrum* hic indicari puto; quae urbs poterat profecto dici in ipſis voraginibus maris ſita, eamque ob cauſſam fere inexpugnabilis, cum in ipſo litore poſita et navibus plurimum poſſet, et portum ampliſſimum haberet; conf. *Iſ.* XXIII, 4. Hoc probabile videtur inprimis propterea, quod Tyrii alio loco, *Pſ.* LXXXIII, 8. hoſtibus Iſraelitarum iis adnumerantur, qui ſocietatem adverſus Davidem inierant. Ea enim amicitia, quae inter Davidem fuit, et Hiramum, Tyri regem, poſt illa demum bella exorta eſt.

Sed hoſtes Iſraelitarum *non ſine magna clade debellatum iri*, praedicitur v. 24. Verbum טוּף ab interpretibus vetuſtis omnibus hoc loco vertitur *tingere*, excepto Symmacho, qui transtulit ὅπως ἂν συγκτεάξῃ ὁ πὸς σε μετὰ αἵματος. Scilicet apud Arabes verbum مَصَضَ notat *contundere*, quam poteſtatem videtur exprimere voluiſſe Symmachus. Sed ſequor reliquos interpretes antiquos, quamquam ea verbi

vis, qua eſt *tingere*, ſeu *intingere*, praeter hunc locum non amplius occurrere videatur. Deſcribitur autem hac formula victor, qui, ut *Virgilii* verbis utar *Aen.* l. XII. v. 337–340 — *equos alacer media inter proelia Pumantes ſudore quatit, miſerabile caeſis Hoſtibus inſultans; ſpargit rapida ungula rores Sanguineos, miſtaque cruor calcatur arena.* Sic etiam optime conſulitur alteri commatis parti, quae eſt profecto, ſi verbo מחץ aliam poteſtatem ſubjeceris, difficillima. *Michaelis* quidem comparaſſe videtur Arabicum ضرب, quod eſt *calcare, percutere pedibus;* ſed hoc ipſo coactus eſt alteram verſiculi partem paullo durius exponere mutatis in verbo מנחו punctis vocalibus. Quam ſententiam equidem propterea non amplector, quod lectio vulgaris non prorſus eſt ſententiae expers, atque a plurimis etiam interpretibus vetuſtis expreſſa. Igitur poſt כלביך ſubaudiendum videtur תמחץ, et illud מנחו non ſine emphaſi additum, ut indicaretur, hoſtes *omnes, excepto nemine*, caſuros eſſe; ſic certe Symmachus expreſſit ἀπὸ ἑκάστα τῶν ἐχθρῶν σα. Etenim pronomina ἐμφατικῶς in fine orationis interdum ſic addi, vel unus locus 1 Reg. XXI, 19 docet. Eſt etiam in illo מנחו quaedam apud interpretes vetuſtos lectionis varietas, omittitur enim a Syro et Arabe; ſed cum Alexandrini,

Vulgatus, Chaldaeus, Symmachus denique non modo legerint, verum etiam eadem puncta vocalia ſubiecerint, quis quaeſo inducendum cenſuerit? Symmachus etiam addit verbum λάψῃ, vertit enim καὶ λάψῃ ἡ γλῶσσα τῶν κυνῶν σου ἀπὸ ἐχθρῶν σου, neſcio, utrum id fecerit interpretatus tantum, an codicis ſui lectionem ſecutus, quae quamquam loci perſpicuitatem iuvat, tamen unius teſtis auctoritate non ſatis firma eſt. Nam quae *Hubigantius*, Symmachi verſionem arripiens, ad conſtituendam loci lectionem propoſuit, ea nemo probaverit, niſi qui cum eo viro omnem modeſtiam criticam exuerit. — Ceterum facile intelligitur, in hoc commate inеſſe *foedae ſtragis atque ingentis deſcriptionem*, eamque conformatam fere ad illorum temporum ferociam, quae canibus proiicere ſolebat caeſorum hoſtium inhumata cadavera, aliisque feris voranda relinquere; unde fere ſemper recurrunt in deſcribendis praeliis hae ſimilesve imagines; vid. 1 Sam. XVII, 46. 1 Reg. XXI, 19. 2 Reg. IX, 10. Pſ. LXIII, 11. Apocal. XIX, 17. 18. cet. Etiam poetae Arabes paſſim ſic loquuntur, vid. Ill. *Michaelis Chreſtomath. Arab.* p. 77. Et illud Homeri quis neſcit *Il.* I. v. 4. 5.

— αὐτὰς (*heroes*) δ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν
Οἰωνοῖσί τε πᾶσιν —

Sic etiam Joſephus de *Bell. Iud.* l. IV. cap. 6.

§. 2. de ſacerdotum caede: ἐρριμμένοι γυμνοὶ, βορὰ κυνῶν καὶ θηρίων ἐβλέποντο. Funeſta vero bella haud ita diu poſt inter Davidem et gentes finitimas exorta eſſe, cum hiſtoria docet, cum alia carmina, iſtis temporibus confecta, ſatis loquuntur, veluti *Pſalm.* XLIV. et LXXXIII: victoriam canit *Pſalmus* LX.

Cum igitur talia polliceatur Deus, ac res tantas, quas ſupra memoraverat vates, iam geſſerit, quis miretur, eum *triumphi pompam imitatum* ad aedem ſacram, in Sione poſitam, venire? *Vident te tui*, inquit vates v. 25. 26. *vident victoris triumphum, ad aedem venientis ſuam: vident te muſicorum choro cinctum, qui res a te fortiter geſtas celebrant.* Sed addenda ſunt nonnulla ad illuſtrandam nominum Hebraicorum poteſtatem. Nomen הליכה igitur *pompam* interpretor; dicitur enim in libris ſacris fere ſemper de *turba una procedentium*, veluti militum *Nah.* II, 6., nec aliena videtur ea ſignificatio a loco *Habacuci* cap. III, 6., niſi volueris cum *Dathio* vim nominis, quam apud Arabes habet, ibi praeferre. Pompa ipſa, quam Iſraelitae hic videre dicuntur, eſt ea, quae arcam foederis ad Sionem transtulerat, unde commate extremo additur בקדש; vid. etiam *Pſ.* XXIV., qui eadem ſollemnia celebrare videtur. Nomen שרים v. 26. a plurimis interpretibus

vetuſtis translatum eſt *principes;* nec tamen deſerenda videtur recepta lectio, quae, ut iam orationis ſeriem mittam, bene cum hiſtoria conſentit; conf. 1 Chron. XV, 27. De nomine עלמות accurate diſputavit *Schultenſius in Originibus* pag. 392. Puellarum vero in pompis publicis, inprimis autem in excipiendis victoribus et canendis rebus feliciter geſtis, partes apud Hebraeos fuiſſe non poſtremas, e libris ſacris conſtat; vid. *Iud.* XI, 34. 1 *Sam.* XVIII, 6. 7. *Exod.* XV, 20. 21. תופפות eſſe *tympana pulſantes*, certum eſt. Sed Hebraicum תף, quod Arabes دُفّ appellant, a verbo دفّ, quo Arabs interpres hoc ipſo loco utitur, non eſſe accipiendum de eo tympani genere, quo nos utimur vulgo, nuperrime demum, ut iam alios praetermittam, monuit *Michaelis* in notis ad *verſionem pſalmorum vernaculam p.* 146. Sed legenda eſt inprimis hac de re *Perizonii* ad *Aeliani Var. Hiſt.* l. IX. *cap.* 3. eruditiſſima diſputatio, quae hoc argumentum e ſcriptoribus vetuſtis egregie illuſtrat.

Iam vates Iſraelitas omnes *ad augendam laetus pompae celebritatem*, et *canendas Dei laudes excitat* v. 27. Nomen מקהלות ſignificat quidem concionem quamvis; hic vero de *concione laudantium*, de *choris* dici videtur, conf. Pſ. XXVI, 12. nominat enim choros quosdam

v. 28., de quibus poſtea — Verbum ברכו poſt אדני repetendum eſt, ac vertendum: *Dominum laudate, qui eſtis e fonte Iſraelis.* Iam vero notum eſt, *ſtirpis auctores* ab Hebraeis et Arabibus eleganter cum *fontibus* comparari, *gentes* ipſas cum *fluminibus;* conf. Iſ. XLVIII, 1. LI, 1. Quam late pateat ea translatio, ac dominetur etiam in aliis formulis, breviter monet *Schultenſius* ad Prov. V, 15. Igitur vis loci haec eſt: *nolite, populares, in ſpectando hoc Numinis noſtri triumpho ſegnes eſſe et otioſi; ſed et ipſi, coëuntes in choros, res Domini celebrate.*

Quoniam vero quaedam potiſſimum tribus, virtute viribusque conſpicuae, res magnas geſſerant, feliciterque pugnantes ope divina univerſum populum ſaepius liberaverant: eas iam nominatim ad canendas victoris laudes provocat v. 28. Ac primo quidem *Beniaminiticam* compellat. Illud שם equidem ita intelligendum exiſtimo, ut canentium choris quaſi *ordinem aliquem partesque deſignet* vates, et Beniaminiticam tribum *initium facere iubeat* ac ducere quaſi popularium agmen. Appellat autem hanc tribum *imperantem* ſeu *regiam*, ut videtur, propterea, quod Saul, penes quem paullo ante ſumma poteſtas fuerat, ex ea genus ducebat. Facile etiam intelligitur, cur hanc potiſſimum tribum ad canendas triumphantis Numinis laudes

excitet vates, cum multa eſſent a Saule divina ope feliciter ac praeclare geſta adverſus gentes finitimas, et acciſa vehementer fractaque res Iſraelitica ab hoc principe confirmari coeperit et augeri. Erat etiam harum rerum memoria recens inter Iſraelitas eo tempore, magnaque populi pars adhuc favebat genti Saulis. Igitur hoc vult vates: *agmen ducant Beniaminitae, tribus illa regia, quae auſpiciis divinis feliciter multa ac praeclare geſſit.* Poterat autem צעיר dici haec tribus partim propterea, quod eius conditor inter filios Iacobi natu erat minimus, partim quod ipſa poſt cladem, quam tempore iudicum paſſa erat, paene internecinam, Iud. XX, 46. nondum ſatis convaluerat. Verbum רדם poſitum eſt pro בם רוה, vid. Lævit. XXV, 53. Thren. I, 13., et tribum indicat *regia dignitate conſpicuam.* Igitur hoc vult vates: *agmen ducant Beniaminitae, tribus illa minima, ſed tamen regia.* — Iam ordo tangit *Iudaicam*, quae propterea nominari videtur, quod principatum, cum haec canerentur, habebat per Davidis gentem, reipublicae Iſraeliticae nequaquam poenitendam. Bene enim de hac tribu ſperare Iſraelitae iure quodam ſuo poterant, quoniam Deus pollicitus erat, ſe res magnas per Davidem geſturum; vid. 2 *Sam.* III, 18., quarum initia iam viderant;

conf. 2 *Sam.* V, 17–25. Sed occurrit hic nomen ἅπαξ λεγόμενον רִבְמָה, obſcurum illud ac varie ab interpretibus tentatum. Mihi, miſſis iam, quae alii parum probabiliter diſputarunt, placet eorum ratio, qui *Coccejum* ſecuti, *purpuram* exponunt, comparantes tritius nomen אַרְגָּמָן, ex hoc, ut videtur, inclinatum: ſubaudiendam vero praepoſitionem ב eſſe, res ipſa loquitur. Hieronymus iam ſic convertit, *in purpura ſua*, ac videntur etiam interpretes reliqui, Alexandrini, Vulgatus, Syrus, qui *principes* transtulere, idem fere ſenſiſſe. Sententia igitur eſt: *ſequatur, quae nunc principatum tenet, Iudaica tribus, conſpicua iam virtute rebusque feliciter geſtis.* Addit denique principes *Sabulonitieae* ac *Naphtaliticae* tribus. Scilicet etiam hae tribus erant nobiles virtute et inſigni victoria claraе, quam elato illo ac magnifico carmine Debora cecinerat *Iudic.* V. vid. inprimis v. 18. et *Cap.* IV, 6. 10. — Quae alii ad hunc locum de Paullo apoſtolo, Beniaminita; de cognatis domini, e tribu Iudaica oriundis; de reliquis denique apoſtolis, Galilaeis, adeoque ducentibus forſitan genus e tribu Sabulonitica ac Naphthalitica, diputant: ea magis pie dicuntur, quam erudite, et ad integri carminis naturam et ordinem accommodate.

E tot providentiae divinae documentis illuſtribus iam v. 29. hoc efficit vates: *vult igitur Numen tuum, respublica, ut firma ſis ac potens;* ſic enim exponenda cenſeo verba עזה אלהיך עוד. Cui interpretationi etiam favet vis verbi עזז apud Arabes, quae eſt *ſtatuere, ſtabilire.* Apud interpretes vetuſtos eſt lectio plane alia, eaque omnium conſenſu ac mirabili quadam conſpiratione firmata; legerunt enim ſic: עזז אלהים עך, quam lectionem probavit *Hubigantius* et *Michaelis* expreſſit in *verſione pſalmorum vernacula.* Sed cum recepta lectio habeat ſententiam elegantem, et antegreſſis accommodatiſſimam, non video, cur deſerenda ſit. Statim vero preces ſubiungit vates: *firma etiam inpoſterum, quam nobis auxiſti rempublicam, firma, inquam, ex hac aede tua, quae in monte poſita urbi imminet;* videtur enim pars prior commatis tricesimi cum antegreſſis coniungenda. Optat denique, ut Numinis et imperatoris Iſraelitarum ſumma poteſtas magis magisque illuſtretur, et *ab exteris etiam regibus ſubmiſſe colatur ac reverenter.*

Delati iam ſumus ad v. 30. qui, antequam oſtendimus, quomodo cum antegreſſis cohaereat, grammatice enarrandus eſt, cum formulas habeat paullo obſcuriores. Verbum גער, quod vulgo vertunt *increpare*, Hebraeis ſaepenumero

eſt *compeſcere, reprimere alicuius vim et coërcere;* conf. Pſ. IX, 6. CXIX, 21. atque ſic etiam in novo teſtamento paſſim uſurpatur verbum ἐπιτιμᾶν, quo Alexandrini vulgo reddunt Hebraicum גער; conf. *Luc.* IV, 39. *Matth.* VIII, 26. cet. hanc poteſtatem etiam hoc loco habere videtur. Formulam, quae ſequitur, חית קנה, varie enarrarunt grammatici, quorum opiniones brevitatis ſtudio praetermitto. Certum enim mihi videtur, *beſtiam in arundine delitescentem*, non tam *Aegypti* regem eſſe, ut multis placuit, quam *Syriae*, quae ſic deſcribatur imagine a *leonibus*, arundinetorum incolis, ducta. Nam habere Syriam leones, quorum luſtra in arundinetis reperiantur, iam perſpicue docuit *Bochartus Hieroz.* l. III. c. 1. p. 722, et poſt eum *Lowthius* de *ſacr. poeſi Hebraeor.* p. 110. Sequuntur verba אבירים בעגלי עמים, in quibus translatio ineſt, Hebraicis vatibus admodum familiaris. Scilicet אבירים ſunt *tauri*, עגלים *iuvenci*: ab his beſtiis ducitur *divitum viribusque pollentium* imago; vid. *Amoſ.* IV, 1. Pſ. XXII, 13. Hic *gentes maiores minoresque videntur intelligi, quibus circumdatus erat populus Iſraeliticus*, et qui adverſus hunc cum Syris ſocietatem inire ſolebant. Puto igitur vim loci eſſe: *compeſce regem Syriae, potentem illum ac ferocem; compeſce gentes maiores*

minoresque, quibus cincti ſumus. Sed redit iam, ut videtur, vates ad regem, de quo dicere coeperat, miſſaque imagine priori, opulentiam eius exprimit alio modo. מחרפס *calcantem, pedibus aliquid pulſantem* notat. Nam verbum רפס, quod apud Arabes effertur رفش, ab Arabibus ipſis explicatur verbis هرس et دقّ, quorum vis ſatis nota eſt. Nec offendere quemquam debet coniugatio Hithpael, cuius alias eſſe ſolet vis reciproca. Satis enim conſtat, eam coniugationem etiam in aliis verbis ſic uſurpari, veluti in התנבא, התפלל, התהלך, cet. interdum enim coniugationis Pihhel vim intendit, redditque frequentativam; vid. *Schroederi Inſtitut. ad fundam. linguae Hebr. pag.* 55. *Generis* autem, quod cum חזה non convenit, propterea non videtur habenda ratio, quod iam ſine imagine de *rege* loquitur vates. Formula רצי כסף ſignificat proprie *fragmenta argentea*; רצץ enim apud Hebraeos, ut رضّ apud Arabes notat *frangere.* Fragmenta vero argentea calcare, eſt *pavimento uti argenteis laminis ſtrato*, quod etiam alii iam notarunt. Ineſt igitur, ut iam dixi, in hac formula deſcriptio *luxuriae*, qua rex Syriae iſtis temporibus diffluebat, et *ingentis opulentiae.* Eodem fere modo copioſus eſt ſcriptor ſacer in deſcribendo ſolio

Salomonis, quoniam ex ea re indicium aliquod fieri poterat de opulentia tanti regis vid. 1 Reg. X, 18 – 20. Ceterum lubenter fateor, hunc locum non omnis eſſe ambiguitatis expertem; forſitan enim haec deſcriptio poſterior ad *alium* regem pertinet, opibus et ſuperbia illo tempore nobilem, et inimicum populo Iſraelitico. Quae res a nobis, cum tam pauca ſuperſint ex illo tempore rerum geſtarum monimenta, non ſatis iudicari poteſt. Superſunt verba בזר עמים קרבות יחפצו, in quibus nihil fere ineſt, quod illuſtratione indigeat. Nec tamen prorſus praetermittendum eſt verbum בזר, quod ab interpretibus vetuſtis, Alexandrinis, Vulgato et Syro alio modo lectum et translatum eſt *diſſipa*. Quae lectio concinnitate vehementer profecto ſeſe commendat, quoniam integrum comma preces continet ad Deum factas; unde eius in vertendo rationem habuimus. — Iam facile erit ad intelligendum, quomodo haec cum antegreſſis cohaereant. Cecinerat vates, gentes quasdam finitimas ope divina devictas, et in poteſtatem populi Iſraelitici redactas. Sed ſupererant aliae, opibus florentes, et inimicae Iſraelitis, ut *Syri*. Rogat itaque Deum, ut etiam hos populi ſui hoſtes cohibeat ac frangat, ne quid detrimenti capiat tot beneficiis confirmata et aucta res Iſraelitica. Ceterum

hiſtoriam bellorum, cum gentibus finitimis a Davide geſtorum, optime illuſtravit *Michaelis* in commentatione *de Syria Sobaea*; Commentation. Part. II. p. 57 ſqq.

Sed iam aſſurgit vatis animus, ac futura proſpicit. Videt enim, quos paullo ante memoraverat hoſtes, non tam devictos a Iehova ac proſtratos, quam *cultu pio venerantes Numen Iſraelitarum, eique addictos.* Quam pietatem tam late patere cernit, ut etiam *reliquae orbis terrarum gentes* lubenter ad cultum tanti Numinis accedant; haec canit v. 30. 33., in quibus quaedam diligentius illuſtranda ſunt. Ac primo quidem nomen חשמנים, quod eſt ἅπαξ λεγόμενον, ita comparatum eſt, ut lubenter fatear, me non videre, quam vim habeat; nam quae vulgo dicuntur, ea vereor, ut idoneo iudici ſatisfaciant. Vetuſti interpretes conſpirant fere in notione *legati;* quae quamquam non ſit ab hoc loco aliena, nihil tamen praeter auctoritatem horum virorum habet, quo poſſit doceri. Iudaei exponunt *principes*, *magnates*, etiam, ut videtur, divinantes nominis poteſtatem, eandemque extundere voluit *Guſſetius*, famoſus ille in philologia Hebraica hariolus. Firmare tamen hanc vim voluerunt *Pfeiffer* et *Starke*, qui comparantes Arabicum حشم *multum famulitium habuit*, unde حشوم *opulentum*

notat, *magna familia ſtipatum*, nomine Hebraico *proceres* ſignificari putarunt. Sed vereor, ut illa Arabici verbi comparatio ſatis legitima ſit. Nam ut hoc taceam, leges utriusque linguae ſciſcere, ut ש Hebraicum comparetur cum Arabico س et contra, quod hic neglectum eſt; requiro etiam litteram ב, ut adeo huic expoſitioni ad probabilitatem multa deeſſe videantur. *Michaelis* nomen *proprium* exiſtimat, uſus loco *Geneſ.* X, 14. apud Alexandrinos, qui ibi commemorant *Χασμωνίμ*, vid. praeter *notas ad verſionem vernaculam, Spicilegium geograph. Hebraeor. exter.* pag. 175. conf. etiam eiusdem ad *Abulfedae Aegyptum obſervationes* pag. 105. Mihi, ut iam profeſſus ſum, nondum liquet; liceat tamen hoc addere, quae terra in libris ſacris dicatur Goſchen, eam, auctore quidem Caſtello, Arabice appellari paſſim حَاسِمٌ, nomine, noſtro haud diſſimili. Quicquid ſit, hoc res ipſa docet, illud *venire* pietatis eſſe animique dediti ſignum, et indicare vatem, *Aegyptios aliquando veneraturos Numen Iſraelitarum.* Idem de *Aethiopibus* vaticinatur. In formula תריץ ידיו ineſſe alluſionem ad ritum precantium et ſupplicum, ſatis clarum eſt; conf. 1 Reg. VIII, 22. 38. 54. Sic fere Horatius:

Caelo ſupinas ſi tuleris manus —

Sed longum fuiſſet, ſi *ſingulas* gentes voluiſſet nominare vates, quae aliquando ſint Numen Iſraelitarum veneraturae; hinc v. 33. *omnia* omnino orbis terrarum regna ad laudandum Deum excitat.

Docet denique vates, Numen Iſraelitarum eſſe Deum optimum maximum, longeque diverſum a Numinibus iis, quae colere ſoleat exterarum gentium ſuperſtitio; *atque in hoc ineſſe cauſſam praecipuam, cur omnes homines hoc potiſſimum Numen venerari debeant ac proſequi cultu religioſo*, v. 34 – 36. Utitur autem vates ad demonſtrandam Dei ſummam dignitatem duobus argumentis; quorum alterum ducit ab *imperio*, quo *rerum naturam adminiſtret*, maxime conſpicuo illo *in tempeſtatibus*; alterum a *miraculis iis* arceſſit, quae hactenus memoraverit, et *quibus tantopere creverit res Iſraelitica*. Igitur, *carmina dicite*, inquit v. 34. *per caelos antiquos vecto: animadvertite tonantis ingentem fragorem*. Satis conſtat, Hebraeos, cum de tempeſtatibus loquantur, Deum fingere curru quodam per caelos vehi; recurrit haec deſcriptio in libris ſacris ſaepiſſime, ſumma vero elegantia exornatam continet Pſ. XVIII, 8 – 20., hanc vim formula etiam hic habet. Quaeri autem poteſt, cur *antiquos* caelos memoret vates? Equidem exiſtimo, cauſſam ineſſe in ea

opportunitate, qua invitatus haec cecinerat vates? Singularem aliquam ſedem elegerat ſibi Numen in monte Sione. Iam vates praedicit fore, ut, quo tempore veneraturae ſint gentes omnes Numen Iſraelitarum, eo ſingularis locus in his terris non ſit, qui haberi poſſit religionis verae una ſedes et quaſi propria; tunc enim repetiturum eſſe Deum priſtinam ſuam et antiquam in caelo ſedem, ibique imperium in univerſum terrarum orbem adminiſtraturum. Quod vero *tonitru veri ſummique Numinis ſignum eſſe* dicit, id facit non modo more ſcriptorum ſacrorum aliis in locis, conf. Iob. XXXVIII, 35. XL, 9. 1 Sam. II, 10. verum etiam gentes reliquae tonitrua ſemper putarunt Numinis ſummi manifeſta documenta. Unde Ariſtophanes in *Nubibus*, concitaturus in Socratem Athenienſium atrox odium, fingit reum negantem Iovi fulmina ac tonitru, nubibusque tribuentem. Conf. Horatius *Carm.* I. 1. *od.* 34. et quae ab interpretibus ad eum locum diſputantur. Eo argumento etiam Muhammedes utitur in *Corano Sur.* XIII, 14. 15. *ed. Marr.* ubi de Deo, res humanas non negligente, dicit: هُوَ ٱلَّذِي يُرِيكُمُ ٱلْبَرْقَ خَوْفًا *ipſe eſt, qui vobis oſtendit tremenda fulgura;* et paucis interiectis: يُسَبِّحُ

آلِعْدُ بِحَمْدِهِ *et celebrat tonitru laudem eius.* — Progreditur vates ad alterum argumentum, ductum illud ad oſtendendam Numinis Iſraelitici ſummam maieſtatem a *beneficiis* in rempublicam populi ſui collatis, v. 55. Nomen עז hoc loco *laudes*, *honorem* notare, quam vim ſaepe habet, res ipſa docet. Formula על ישראל גאותו de *imperio* interpretor, quo rexerat adhuc Deus Iſraelitas, eorumque rem ita adminiſtraverat, ut, quantus eſſet, in omnium oculos incurreret. Unde ſententiam eſſe puto: *celebrate Deum, qui Iſraelitarum rempublicam ita gubernat, ut nemini poſſit ſumma eius maieſtas et infinita vis obſcura eſſe, ea vis, quae etiam in tempeſtatibus conſpicua eſt.* — Tandem ad Deum ipſum converſus vates, admirabundus fatetur, manifeſtam eſſe maieſtatem divinam, ſive *haec eius in terra ſedes* ſpectetur, et conſiderentur res inter Iſraelitas geſtae; ſive *illa in caelo per tempeſtates edita documenta* animadvertantur, et univerſae naturae gubernatio. Haec enim indicari puto formula ממקדשיך, alia enim aedes in *caelo* erat, alia in monte *Sinai*, alia denique eo ipſo tempore conſecreta in *Sione*. Sperat autem atque optat, ut Deus hanc ſuorum rempublicam etiam in poſterum ſtabiliat atque confirmet. Nam nomen תעצמות etſi non amplius occurrit, tamen *vires et robur* indicare, cum notatio docet, tum verba ſimilia; conf. Ieſ. XL., 29.

4.

Utrum ad iudicium de miraculis requiratur univerſae naturae accurata cognitio.

Ex quo tempore paullo diligentius quaerere coepi, quid ſit de veritate Chriſtianae religionis iudicandum, ac tribuendum argumentis iis, quae vulgo ſolent proferri; etſi videbam, maximam vim eorum diſputationem habere, qui rebus a Domino geſtis utantur, quas miracula appellat vulgaris conſuetudo: ſemper tamen aliqua ex parte laborare mihi viſa eſt haec ceteroquin ampliſſima argumentatio. Ego enim ſic exiſtimabam, ſi ſint eae res, quas Ieſum geſſiſſe accepimus, vera miracula, ſatis defenſam eſſe religionem, quoniam miraculum quodvis ſit aliqua Dei ipſius, Ieſum commendantis generi humano, vox: ſed illa ipſa diſputatio, quid ſit miraculum, et quomodo poſſit ab eventis iis diſtingui, quae naturae vi debentur, tam

ambigua mihi ſemper viſa eſt, ut non ſatis intelligerem, quid iis reſpondendum ſit, qui eventus illos mirabiles a viribus naturae occultis repetant, negentque, poſſe nos, quid natura efficere poſſit, ſatis definire. Nec inveni adhuc, qui hunc ſcrupulum ex animo prorſus evelleret; nam quae vulgo hac de re disputantur, ea, vehementer vereor, ut rem conficiant. Moleſtior autem is ſcrupulus nuper mihi fuit, animumque vehementius uſſit, cum apud commilitones eſſet ea de re disputandum in ſchola, ac demonſtrandum, quam vim habeat tritum illud a miraculis Domini ductum pro religionis Chriſtianae veritate argumentum. Cum igitur denuo quaerere coepiſſem de re, quam antea ſaepius conſideraſſem et inveniſſem nonnulla, in quibus animus Senſim conquieſceret: decrevi, opportunitatem ſcribendi nactus, quaedam de hoc argumento diſſerere. Fuerunt autem duo, quae me moverent, ut hoc conſilium caperem. Ac primo quidem, etſi ſumma ingenia hunc de miraculis locum perpurgarunt, ut nuper demum S. R. *Leſs* [1]) et *Farmer*, Anglus, Vir Cel. [2]); hoc

---

1) In libro praeſtantiſſimo: *Wahrheit der chriſtlichen Religion.* Gotting. 1776.

2) Librum Farmeri convertit *Bamberger*, Vir Cel. Inſcribitur autem: *Abhandlung uber die Wunderwerke.* Berl. 1777.

ipsum tamen, de quo nunc maxime quaerimus, utrum omnino possimus iudicare, aliquem eventum proficisci a vi divina, nec effici viribus naturae, nondum ita expositum est, ut disputatione non amplius indigeat. Deinde solet fere nostris temporibus hoc, a miraculis Domini ductum, argumentum contemni non modo ab his, qui, si fieri posset, omnem delerent religionem Christianam; verum etiam ab eius patronis. Ita enim passim differitur in libris vernaculis, iis praesertim, qui iudicia de libris novis continent, ut nativa religionis Christianae praestantia, in praeceptis morum maxime conspicua, laudetur unice tanquam signum certissimum divinae originis; miracula, de quibus anceps et obscura disputatio sit, negligantur. Quae opinio vel propterea repudianda est, quod satis constat, Dominum ipsum omnia tribuisse rebus a se gestis, et auctoritatem suam omnem miraculis firmasse. Quamquam enim saepius exponit singularem doctrinae suae praestantiam, illud tamen, de quo maxime dubitabant Iudaei, utrum a Deo proficiscantur ipsius placita, miraculis demonstrat. Qua in re apostolos Dominum imitatos esse, quis nescit [5])? Arcem

5) Bene hac de re agit *Farmer*, in libro, quem supra laudavimus pag. 320. sqq.

igitur religionis Christianae defendere videntur, qui hoc argumentum illustrant et vindicant. Putavimus itaque, nos non omnem operam perdituros esse, si difficultatem aliquam, qua premitur, haec argumentatio, vel tollamus ipsi, vel, si id fieri non possit per imbecillitatem ingenii, doctiorum studia provocemus, ut haec nostra emendent, et rem omnem accuratius persequantur. Erit autem hic libellus ita descriptus, ut primo quidem ostendamus, *quomodo disputare soleant, qui negent, posse nos, quid sit miraculum, iudicare*, ut appareat, quid sit, de quo quaeratur; deinde *notionem miraculi copiosius illustrabimus*, ne nominis ambiguitas quaerentes in errorem inducat; docebimus porro, *definiri ab hominibus posse, qui eventus sint miracula*, ac temere postulari ab iis, qui de prodigiis iudicare velint, omnium rerum legumque naturae absolutam cognitionem; demonstrabimus denique, *si vel maxime, quid sit miraculum, dicere non possemus, firmum tamen esse, quod ab iis ducatur pro auctoritate hominum, divinitus missorum, argumentum.*

Solent igitur ii, quibus suspecta videtur haec argumentatio, negare, posse nos, quid sit miraculum, iudicare. Etenim cum non ea mirabilia putanda sint, quae natura efficiat, sed

prodigium quodvis proficiſci debeat ab ipſius Dei vi, qui oratores ſuos publice commendet divinis operibus, et auctoritatem ipſis conciliet: neminem profecto, arbitrantur, definire poſſe, qui eventus divini habendi ſint, quive naturae viribus producantur, niſi qui ſtulta arrogantia tumens, animi humani imbecillitatem obliviſcatur. Nam natura cum tam late pateat, ut cogitando complecti eam et aſſequi nemo poſſit, quis dixerit, quid ab ea productum ſit, nec ne? Multa nos latere, aiunt, multas vires naturae ſubducere ſeſe contemplantium induſtriae. Creſcere fere quotidie rerum naturalium cognitionem; quae olim mirabilia viſa ſint, et ipſius Dei efficaciae tribuenda; ea, quomodo natura efficiat, nunc non ignorari. Spem eſſe, fore, ut, quid natura poſſit, indies rectius perſpiciatur, et virorum doctorum laboribus augeatur haec utiliſſima rerum, quas mundus complectatur, cognitio. Iam quis affirmare auſit, ea, quae nos divina vi effecta putemus, etiam poſterorum iudicio miracula fore? Quis non potius ſperet, imo optet, ut poſteris id contingat, quod nobis contigerit? Nos ridere veterum ſuperſtitionem, quae prodigia procuraverit, et ſupplicationem omnibus Deis indixerit, cum nuntiatum eſſet, ſanguine pluiſſe, bovem eſſe locutum, ſtagnum cruentum eſſe

viſum [4]). Indignari nos, cum legamus, quot miraculis olim deceperit maiores noſtros monachorum aſtutia, qui, quo magis crederentur ficta prodigia a ſimplicibus et religioſis hominibus, eo plura finxerint. Iam quis negaverit, aiunt, poſteros forſitan eodem modo miraturos aliquando noſtram credulitatem, qui miracula habuerimus eventus, naturae viribus effectos. Cum igitur nemo arrogare ſibi poſſit hoc, ſe noſſe leges naturae omnes, cognitas habere rerum omnium vires, perſpicere denique infinitam propemodum mundi compagem: conſequi exiſtimant, ut nec dicere quisquam poſſit, quos eventus natura gignat, quos vis divina efficiat. Si itaque miracula aliquam vim habere debeant ad demonſtrandam hominis, cuiuscumque demum, auctoritatem divinam: Deum ipſum, qui ſolus hanc rerum univerſitatem noverit totam, novo debere miraculo declarare, qui eventus ſint a ſe effecti, ac vires naturae ſuperent. Sed cum novum quodvis miraculum ſit, eamdem ob cauſſam, denuo firmandum alio, nec poſſit miraculorum cogitari infinita ſeries: effici putant hoc, ut Deus aut nunquam poſſit miracula edere, aut, ſi ſemel edat, nunquam edendi finem facere. Iam cum *hoc* manifeſte falſum

4) Vid. *Livius* l. XXIV. c. 10.

ſit, *illud* ſumendum cenſent. Unde ſponte conſequitur, miracula non eſſe ſigna agentis Dei, et oratores commendantis ſuos, certe argumento, a miraculis ducto, non moveri eos, qui, cum omnibus in rebus temeritas in aſſentiendo turpis ſit, maxime in hac cauſſa, tam obſcura, vereantur, ne temere vel falſae rei, vel non ſatis cognitae aſſentiantur.

Tollunt profecto, qui ſic disputant, miraculorum vim omnem, quae tum demum ſunt manifeſta oratoris divini, ad homines miſſi, commendatio, cum liquido conſtat, ea proficiſci a Deo: quod a nobis ſi iudicari non poteſt, nec miracula nos movere debent. Concedunt quidem, qui ſic miraculis vim probandi omnem eripiunt, poſſe Deum, ſi ipſi ita videatur, mirabili modo agere: unde iam non de eo disputandum eſt, *utrum omnino eſſe poſſint miracula;* qui locus etiam ab aliis occupatus eſt, ac pertractatus egregie. Sed de eo dubitant: utrum *velit* Deus, ac *propter hominum imbecillitatem* poſſit prodigia edere, quibus propterea nihil effici videatur, quod ſpectantibus nunquam ſatis conſtet, qui effectus naturae vires ſuperent. Ut igitur pateat, quid tribuendum ſit huic disputationi, ante omnia videtur perſpicue docendum, quam vim ii, qui miraculis aliquid tribuunt, huic nomini non tam ſubiiciant, quam,

ſi caute philoſophari velint, ſubiicere debeant. Ancipitem enim et obſcuram hanc omnem de miraculis quaeſtionem fecit philoſophorum in definiendo inconſtantia ac temeritas: ſolet enim fere quisque aliam vocabulo vim tribuere, ac deinde ſuo modo, quid inde fluat, docere; qua in re inprimis moleſtum eſt hoc, quod plurimi fere aberrarunt prorſus ab ea poteſtate, quam ii ipſi, qui miracula ediderunt, nomini ſubiecere. Neglecto enim uſu, qui apud veteres dominatur, temere excogitarunt notiones, placitis ſuis reliquis accommodatas quidem illas, ſed abhorrentes a conſuetudine veterum. Ne igitur eadem ambiguitate laboret et noſtra diſputatio, paullo altius videtur repetenda, et explicanda diſtincte miraculi notio. Qua in re ita verſabimur, ut primo, quid ſit miraculum, et eſſe debeat, *ex ipſa mundi natura et attributis divinis elicianus;* deinde videamus, *utrum notio, quam invenerimus, ea ſit, quae uſu linguae ſirmetur.*

Ac primo quidem manifeſtum eſt, hanc rerum univerſitatem et omnes mundi partes ita eſſe a ſummo opifice conſtitutas ab initio, et omni tempore adminiſtrari, ut connexa inter ſe omnia et apta ſint, ac legibus quibusdam perpetuis, tamquam vinculis, contineantur. Quis enim eſt, qui neſciat caeli certos

motus, astrorum aequabiles impetus, et anniversarias conversiones? quis ignorat temporum statas vicissitudines, telluris in ferendis frugibus benignam ubertatem, corporum omnium ad certas leges peractos motus? quis denique tam rudis est, quin sentiat, corporum singulorum coagmentationem, incrementa, dissolutionem habere certum ordinem ac modum; omnem vero materiam, e qua concretus sit atque compositus hic terrarum orbis, tam sapienter dividi, ut vetustiora et aetate detrita corpora plantarum, arborum, animalium sensim intereant ac dissolvantur, e quorum interitu et quasi ruinis existat nova laetiorque progenies, nova pulcritudine novisque viribus excellens: atque haec omnia fieri ad normam statam, quam nunquam migret natura [5])? Nec animadvertitur tantum haec apta et ad sempiternas leges exacta rerum omnium consensio in ea mundi parte, quae corporum innumerabili varietate constat: sed *mentes* etiam habent suas leges, quibus iunguntur corporibus, ad quas sentiunt, iudicant, voluptatem percipiunt, doloribus cruciantur. Ac bestiarum quidem varia genera ita condita sunt, ut res extra se positas, suo quodque modo,

5) *Seneca* Ep. XXXVI: Observa orbem rerum in se remeantium: videbis in hoc mundo nihil extingui, sed vicibus descendere ac resurgere.

percipiant, noxia fugiant, paſtum varie, adhibitis etiam artibus quibusdam, quaerant, prolis curam agant, et in his omnibus ordinem modumque certum, a natura praeſcriptum, ſequantur. Eosdem fere impetus etiam humano generi natura tribuit, hominumque corpora conformavit ad leges certas, e quibus pendet conſervatio generis ac propagatio. Sed ſapientiſſime finxit providus mundi auctor eam hominis partem, qua reliquis animantibus praeſtat, mentem et animum. Neque enim ita erramus incerti, ac vagamur, ut, ad quascumque opiniones temere delati fuerimus, ad eas, tamquam ſcopulos, adhaereſcamus: ſed ſequimur etiam in cogitando, iudicando, deliberando, cernenda denique et indaganda veritate aliquam normam, omnibus communem: unde nec appetere, optare, decernere animus poteſt temere, ſed ſequitur notiones ſuas es quaedam momenta. Hinc ſit, ut inſcitiam et errores fugiamus, verum ſectemur ac probemus; hinc nec temere aſſentimur, ſed omnis aſſenſio efficitur argumentis, cum animus claris veri notis movetur ac tangitur. Hunc ordinem, hanc aptam rerum omnium conſenſionem, ſapientiſſime conſtitutam, nec opifex ipſe turbat; quae ſi tolleretur ſaepius ac perverteretur, non modo periret admirabilis mundi pulcritudo, ſed eriperetur etiam mentibus

omnibus, maxime ingenuis, ea regula, quam in cognoscendo et appetendo unice sequuntur, et, qua sublata, omnis evanesceret veri cognitio, interiret omnis felicitas [6]).

Iam etsi haec mundi compages, eiusque incomparabilis pulcritudo satis manifeste loquuntur, esse Deum, qui haec omnia constituerit et regat, et qui sit ab hominibus colendus: probabile tamen est, eumdem generis humani opificem ac patrem hominibus, quos tot ac tantis beneficiis auxerit, clarius innotescere velle; praesertim cum id flagitare videatur generis humani conditio. Sed si vult Deus uberius docere genus humanum, earumque rerum cognitione augere, quas non potest per indolem mundi patefacere: non nisi duo sunt, quibus id effici possit, modi. Ac primo quidem Deus *singulari quadam vi rerum et consiliorum*, quae nosse debet genus humanum, *notiones efficere potest in singulorum hominum animis*, et

6) Qualis consequeretur rerum omnium perturbatio, si saepius violarentur leges eae, quibus cursus, quem dicunt, naturae constitutus est, disci potest e fabulis poetarum, inprimis eorum, qui rebus humanis immiscent geniorum praestigias, et *Sylpharum*, *Gnomarumque*, quos excogitavit recentior aetas, male sedulam industriam. Talia sunt, ut iam alios scriptores mittam, monstra, quae Shakespearius passim fingit, veluti in fabula, quae inscribitur: *Sommernachtstraum*.

neglectis legibus iis, ad quas vulgo ſolent homines cognoſcere, iudicare, credere, nova quadam et extraordinaria ratione eos erudire. Sed quis non videt, oriri, ſi hanc viam ſequatur Deus, ingentem rerum omnium perturbationem; abrogari, ad quas noſtram cognitionem exigere ſoleamus, regulas veri; incertasque fieri; aperiri ludibriis phantaſiae et inſanorum hominum ſomniis feneſtram; obtrudi denique, etiam invitis, eam ſcientiam, quam Deus ſuppeditet, et aſſenſum omnem vi extorqueri. Sequenda igitur erit altera via. Rerum enim, de quibus certius fieri vult Deus genus humanum, notiones, ſufficit, ſi vi quadam Dei ſingulari *producantur in animis paucorum, quibus Deus tanquam oratoribus ad reliquos utatur.* In hoc enim quamquam ineſt aliquis a ſtatis legibus diſceſſus, earum tamen, cum raro fiat et in pauciſſimis, nec conſtantiam tollit, nec utilitatem minuit. Nam ne apud reliquos homines hae leges mutentur, vel impoſtorum fraudibus pateat genus humanum: debet Deus, quos oratores ſuos conſtituere vult atque interpretes, eos manifeſtis ſignis ac documentis ita commendare hominibus reliquis, ut luculenter pateat, fidem ipſis habendam eſſe. Nam cum iſtae leges, quas menti humanae ſcripſit ipſe Deus, hoc inprimis praecipiant, nihil temere credendum

nulli rei assentiendum esse, nisi quae habeat illustres veri notas: in hac profecto caussa, iure quisque suo, luculenta argumenta postulare potest: verendum enim est, ne temere assentientes aut impia fraude, aut anili superstitione obligentur. Nec sufficit sola *doctrinae praestantia;* nam cum *nova* proponere debeant oratores divini, quorum non possit ex huius mundi contemplatione ratio reddi: sola placitorum praestantia probat quidem novae doctrinae utilitatem, originem divinam non probat. Si vero ea etiam proponantur ab his doctoribus, quae assequi non possit humana mens, et incredibilia videantur: quis tandem, etiam si utilissima fuerit nova doctrina, fidem ei habuerit, nisi sit singulari modo a Deo commendata, firmataque ipsius luculento testimonio? Igitur facile intelligitur, Deum, nisi per mundum, patefacere sese humano generi aut prorsus non posse; aut si possit, fieri debere a legibus naturae aliquem discessum, quo declaretur, harum legum auctorem ipsum efficacem esse. Iam cum ista aberratio fieri non possit, ut supra vidimus, ab iis legibus, quae *omnis cognitionis humanae originem per sensus et iudicandi vim* definiunt ac regunt: in eo enim inesset non exceptio quaedam, sed ingens legum gravissimarum perturbatio, quae ipsum arbitrium humanum tolleret:

ſequitur, ut ab iis legibus diſcedendum ſit, quibus mundi pars ea, quae *corporibus* conſtat, continetur. Nam quae ſic oriuntur mutationes, eum manifeſtae ſunt, cadunt enim ſub ſenſum, nec vim inferunt ſpectantium arbitrio; tum auctoritatem eorum, quorum cauſſa fiunt, ſatis confirmant. Hinc intelligitur, quae ſit miraculi vera vis et natura; cernitur enim in *exceptione earum legum naturae, quibus corpora reguntur, ad firmandam alicuius oratoris divini auctoritatem facta.* Sed haec notio quoniam nondum exprimit *omnem* miraculi naturam: pergendum eſt in explicandis iis, quae ineſſe debent in prodigio quovis, ſi doctori, divinitus miſſo, prodeſſe debeat.

Cum igitur munus eorum, qui ad erudiendum genus humanum a Deo deſignati ſunt, late pateat, et graviſſimum ſit: debet profecto iis argumentis muniri eorum auctoritas, quae ſint *omnibus* hominibus accommodata, et ab *omnibus* intelligi poſſint. Et cum, ut hactenus docuimus, illa documenta, quibus commendantur oratores divini, ſint exceptiones legum naturae, ſenſibus ſubiectae; hae debent ita comparatae eſſe, ut iudicari ſatis ab omnibus poſſint, nec requiratur ſpectantium acumen aliquod vel ingens eruditio. Nam et doctis, multoque uſu ſubactis, et rudibus atque imperitis conſulendum

eſt in hac cauſſa, cum interſit profecto omnium, ſcire, utrum decretis eius, qui divinitus conceſſum generis humani doctorem ſe iactitet, tribuendum aliquid ſit, nec ne. Ex his conſequitur primo quidem hoc, ut miracula quaevis fieri debeant *in rebus manifeſtis*, ac diſcedere ab iis naturae legibus, *quae omnibus hominibus ſatis cognitae ſint atque perſpectae.* Sic enim cum excitandi ſunt hominum omnium animi, oculique convertendi ad vatem divinitus miſſum; tum efficiendum hoc eſt, ut iudicare de eius fide, quicunque voluerint, ſatis tuto poſſint. Unde nec fugere debet explorantium conſpectum divinus interpres, ſed prodigia a Deo publice petere, quae ſint fraudis malarumque artium ſuſpicionis expertia; ut iis, apud quos talia fiunt, oculis tantum ac ſenſibus opus ſit, ad rem omnem accurate percipiendam. Deinde etiam hoc facile efficitur, *nullis adminiculis, remediis, artibus, machinationibus uti debere in producendis his mutationibus* oratorem divinum, quae videri poſſit aliquam ad gignendum miraculum habere vim. Sic enim iis, qui iudicare volunt, imperitioribus certe, eripitur iudicandi poteſtas, et ſuſpecta fiunt omnia, cum non ſatis intelligi poſſit, utrum, quae producantur, ſint remediorum cuidam vi occultae tribuenda et edentis artificio, an efficaciae Dei.

Utatur itaque divinus orator, ſi quibus velit, iis remediis, quorum vis omnis ſit ſatis perſpecta, ut appareat, non adminiculis deberi eventum, ſed commendanti legatum ſuum Deo. Iam accuratius, quid ſit miraculum, intelligi poteſt; poſitum enim eſt *in exceptione manifeſtarum legum naturae ſenſibus ſubiectae, quae iuſſu oratoris divini ſit manifeſte ad docendam huius auctoritatem.*

Sed ſunt profecto ambigua haec ſigna et documenta omnia, ſi ſint forſitan *mentes et naturae aliae, iniquae Deo*, quarum arbitrio ac vi poſſint mutari leges eae, quibus regitur huius mundi compages in ſenſus incurrens. Etenim cum neſciamus, quanta ſit iſtarum mentium vis, et quos fines habeat: ne ipſa quidem prodigii *magnitudo* ſatis declarat originem eius divinam. Nec poteſt in ea re iudicium noſtrum regere oratoris, qui prodigia edit, *doctrina;* nam haec ipſa, qualis ſit, e miraculis iudicandum eſt, nec, cum auctoritatem ſuam omnem a prodigiis accipiat, poteſt regula eſſe, ad quam horum natura examinetur, praeſertim ſi forte placita contineat ſublimiora et obſcura, quae non ſatis aſſequatur mentis humanae imbecillitas. Etſi enim *facilius* creditur, eum eſſe interpretem divinum, qui doctrinam proponat, menti humanae accommodatam, ac Deo dignam:

tamen, cum illud ipsum, quid sit humanae menti consentaneum, ac Deo dignum, sit dubitationibus obnoxium, nec ab omnibus eodem modo iudicetur, doctrina non potest norma esse, ad quam miracula exigantur [7]). Manifeste igitur orbem in demonstrando petunt, qui miracula iudicant ex indole doctrinae, huius originem divinam ex illis probant. Efficitur itaque, ut Deus miraculis aut prorsus non possit oratorum suorum auctoritatem stabilire; aut si velit his documentis uti, non debeat permittere, ut, quas ipse scripserit et sanctissime conservet, naturae leges, eas, ipso invito, possit violare mens alia quaecumque demum. Quaevis itaque exceptio legum naturae Deum auctorem habet, et ab eo repetenda est; unde ad demonstrandam alicuius interpretis divini auctoritatem iam sufficit, si liquido possit ostendi, eum miracula edidisse [8]). Ex his omnibus intelligitur, quanam in re posita sit miraculorum vera natura, et quomodo sit perfecta definitione

7) Aliter iudicandum esse, *si iam adsit miraculis divinis firmata religio*, facile intelligitur. Haec enim potest, si novi existant prodigiorum auctores, quoniam Deus secum non pugnat, norma esse, quam in iudicandis horum miraculis sequamur.

8) Etiam libros sacros hac de re ita praecipere, latius docet *Farmer* in libro, quem iam aliquoties excitavimus, pag. 317 sqq.

declaranda; videntur enim *eventus esse, sensibus subiecti, quorum indoles cernatur in quadam exceptione legum naturae vulgo notarum, eo consilio a Deo effecti, ut munirent interpretum suorum apud homines auctoritatem.*

Quae hactenus de vera miraculorum indole disputavimus, ac demonstravimus ex ipsa rerum natura: ea mirifice confirmantur usu, qui dominatur apud veteres, et eos ipsos, qui prodigia edidisse perhibentur. Quicquid enim cum apud scriptores humanos, tum in libris sacris hac de re occurrit, ad hoc redit, miracula esse eventus, sub sensum cadentes, et abhorrentes a legibus naturae iis, quae vulgo notae sint. Unde etiam nomina ipsa solent vim habere, quae eo pertineat. Possemus ad ornandam hanc caussam facile congerere ingentem locorum farraginem, nisi res esset in promtu. Igitur pauca tantum delibabimus. Atque Hebraei quidem vulgo utuntur in hac caussa vocabulo אות, quod omnino quidem *signum quodvis* notat. Sic אותות passim sunt astra [9]), quia agricolis, nautis, aliis signo sunt: uti et Graeci scriptores nomine σῆμα sic utuntur: *Aratus* quidem de astris eodem modo:

αὐτὸς γὰρ τάγε σήματ' ἐν οὐρανῷ ἐστήριξεν.

9) *Genes.* I, 14.

Sed deinde ad *prodigia* transfertur Hebraicum אות, quae hoc nomine non possent appellari, nisi sensibus subiecta, et hominibus documento essent, aliquid proficisci a Deo. Hinc in libris sacris centies de eventis mirabilibus dicitur; ut de miraculis a Mose in Aegypto editis [10]), quae abhorrebant profecto a legibus naturae, et sub sensum cadebant omnia. Atque eodem prorsus modo etiam in Corano legitur nomen simile آيـــة [11]). Etiam Graeci eam translationem amant in nominibus σῆμα et σημεῖον. Homerus quidem de portento, omnium oculos in se convertente [12]):

Ενθ' ἐφάνη μέγα σῆμα —

Et Plato aliquo loco [13]) negat, *Deum decipere homines*, ἔτε κατὰ Φαντασίας, ἔτε κατὰ λόγους, ἔτε κατὰ σημείων πομπάς. — Quem usum, quis nescit, etiam in novo testamento dominari, ubi de miraculis saepissime dicitur nomen σημεῖον [14]), more interpretum Alexandrinorum, qui hoc vocabulo transtulere Hebraicum אות. Reliquos scriptores Graecos iam praetermitto. —

10) *Exod.* IV, 8. VII, 3. cet.

11) Veluti *Sur.* II, 72. XXVI, 4. XXIX, 50. et alibi saepe. Ad manus autem mihi est editio *Marracii.*

12) Il. l. II. v. 308.

13) De *Republ.* l. II. pag. 607. ed. Fic.

14) Conf. *Matth.* XII, 38. 39. *Marc.* XVI, 17. 18. *Actor.* IV, 30. 2 *Thess.* II, 9. cet.

Alterum nomen, quo Hebraei utuntur, cum de miraculis differunt, eſt פלא, quod ſaepe cum vocabulo פלה coniunctum legitur [15]), ac de quavis re dicitur, quae a *conſuetudine vulgari abhorret*, et habet aliquid, quod homines in admirationem rapiat. Probabilis eſt *Schultenſii* de origine nominis ſententia [16]), qui a verbo أفـت, *invertit*, *permutavit*, ducendum cenſet, unde apud Arabes أُفْـتٌ, *prodigium* eſt. Hoc conſentit cum ea poteſtate, quam ei ſubiecimus. Dicitur enim interdum de *hominibus*, quorum mores, quoniam a conſuetudine vulgari alieni ſunt, non ſine admiratione ab aliis obſervantur; ſic paſſim apud prophetas Hebraeos legitur [17]), et Cicero aliquo loco [18]) ſic dixiſſe videtur Graecum τέρας. Saepius de *rebus et eventis mirabilibus* uſurpatur, quibuscunque demum, ut vocabulum τέρας apud ſcriptores Graecos; hoc enim, ut verſio Alexandrina docet, cum Hebraico מופת comparandum eſt. Heſiodus de orco [19])

— δεινόν τε καὶ ἀθανάτοισι θεοῖσι
τοῦτο τέρας

15) Vid. *Exod.* VII, 3. *Pſalm.* LXXVIII, 43. cet.
16) In *Clave* pag. 243.
17) Vid. *Iſ.* VIII, 18. *Ezech.* XII, 6. 11. Cap. XXIV, 24.
18) Ad *Attic.* l. VIII. ep. 9. circa fin.
19) *Theogon.* v. 743. 744.

et Homerus de *portento* [20])

ἡμῖν μὲν τόδ' ἔφηνε τέρας μέγα μητίετα Ζεύς.

Sed tempus perderem et operam, ſi in afferendis locis copioſus eſſem, cum hic uſus late dominetur etiam apud reliquos ſcriptores Graecos et novi teſtamenti auctores. Apud Latinos ſic uſurpantur *prodigia*, *monſtra*, *portenta*, *miracula*, *oſtenta*, quae omnia cernuntur in rebus ſenſus hominum, eorumque admirationem, metum, curas moventibus. Quae omnia cum ſint in promtu, non egent uberiori diſputatione [21]) — Supereſt Hebraicum פלא, quod notat ea, *quae vim humanam ſuperare videntur, ac propterea repugnare legibus naturae notis* [22]). Alexandrini interpretes paſſim vertunt *θαυμάσια*, quod conſentit cum uſu apud ſcriptores Graecos. Nam *θᾶυμα*, et, quae inde ducuntur, nomina dicuntur omnino de rebus abhorrentibus ab uſu vulgari, ac ſuperantibus

---

20) *Iliad.* l. II. v. 324.

21) Vid. *Livius* l. XXIV, 10. tot. Copioſus etiam alibi eſt in memorandis his rebus. Sic etiam *Ovidius*, qui ſaepe nomen *miraculi* uſurpat; vid. Metam. l. III. v. 673. et VII. v. 294. ubi *miracula monſtri* canit; etiam l. XII. 575. cet. Atque ſic centies apud ſcriptores reliquos. Inprimis legendi ſunt *Ciceronis de divinatione* libri, in quibus, quam potestatem veteres his nominibus ſubiecerint, accurate docetur.

22) Vid. *Exod.* XV, 11. *Pſalm.* LXXVII, 15. et ea, quae *Schultenſius* diſputat. ad *Prov.* XXX, 18. 19. pag. 453 ſqq.

fere vim humanam. Sic Herodotus illam Arionis mirabilem fugam θῶυμα μέγιστον appellat [23], qui usus etiam dominatur in verbis θωυμασιεργεῖν [24], θωυματοποιεῖν, θωυματεργεῖν. Sed ne in re manifesta simus nimis copiosi: satis, puto, vel ex his intelligi, nomina ea, quae de miraculis legantur apud veteres, ita esse comparata omnia, ut *eventus* indicent, *hominum sensibus subiectos, et a legibus naturae vulgo notis alienos.*

Ex his, quae hactenus disputavi, *consequuntur* nonnulla, quae, quoniam ad hanc causam pertinent, breviter exponenda sunt. Ac primo quidem manifestum est, *philosophos recentiores in describenda vi ac notione miraculi plerumque aberrasse prorsus a mente et consuetudine veterum.* Etenim apud nos multo latius patet haec notio, ac dicitur omnino de quavis efficacia Dei extraordinaria, ea etiam, quae ad animos hominum, et res alias pertineat, quas sola mente cernimus. Sed ut in omni philosophia facillime erratur ab iis, qui neglecta natura et experientia, temere suas opiniones sequuntur, et pro arbitrio formant rerum notiones: ita hoc ipsum, quod in definienda notione miraculi nulla ratio habita est usus lin-

23) Lib. I. pag. 4. ed. Bas.
24) Conf. *Xenophon* in sympos. Cap. II, s. VII, 2.

guae apud veteres ſcriptores, ambiguam fecit omnem de miraculis disputationem, et infinitis quaeſtionibus locum dedit, quae vim argumentationis, a miraculis ductae, vehementer frangerent. Teneamus igitur in hac cauſſa eam vocabuli poteſtatem, quam ſupra poſuimus, nec obtrudamus iis, qui miraculis ſuam auctoritatem confirmarunt, eam miraculi notionem, quam, cum ſit ab otioſis hominibus in ſcholis excogitata, ipſi nunquam habuere. — Deinde cum quodvis prodigium ſit exceptio earum legum, quibus continetur compages huius mundi ſenſibus hominum ſubiecta: facile eſt ad intelligendum, quam vani ſint eorum clamores, qui profeſſi ſunt, ſe, ſi quod miraculum viderent, adductum iri, ut credant, eſſe duo Numina, quorum alterum leges perfringat, ab altero latas. *Neque enim ſecum pugnat Deus, cum miraculum contingit.* Sed quod in omnibus legibus fieri debet, ut, cum tempora poſtulent, nec omnibus poſſit ſimul ſatisfieri, ab iis, quae leviores videantur, diſcedatur, graviores intactae ſerventur: id etiam in hac cauſſa accidit. Etenim quoniam mentes ſunt arctiſſimo vinculo cum corporibus coniunctae; non *tolluntur*, cum prodigium editur, naturae leges, ſed ita *explicantur et conciliantur*, uti poſtulat illa coniunctio. Et cum, ſi Deus humano generi aliquid patefacere voluerit,

quod non possit e contemplatione mundi hauriri, utrumque legum genus, quorum alterum ad mentes pertinet, ad corpora alterum, non possit intactum manere: exceptio fit ibi, ubi nimia oritur perturbatio; mutantur corpora, ne violentur leges multo graviores, quibus reguntur iudicia, appetitus, decreta mentium. Tantum igitur abest, ut prodigium sit signum pugnantis secum Dei, ut haec sapientissima naturae administratio, legumque pugnantium conciliatio doceat, praeter Deum, qui ab initio omnia constituerit et omni tempore regat, prodigium efficere posse neminem. — Sed ex iis, quae supra observavimus, efficitur etiam, deliberi a nobis non posse, utrum, cum prodigium editur, semper *Deus ipse* sit singulari modo efficax; vel ab initio ita constituerit omnia, et inter se colligaverit, ut *natura, sibi relicta, a via sua deflectat;* vel denique *aliae sint mentes*, ab humano genere diversae, maiorique vi pollentes, quibus Deus hac in re utatur. Neque opus est, ut hac de re nobis accuratius constet. Neque enim hoc quaeritur, *quomodo* ortus sit quidam eventus, in quo prodigium inesse cernimus: modo manifestum sit, eum, quoniam a legibus naturae abhorreat, esse prodigium, nec posse, invito Deo, prodigium oriri. — Fuerunt etiam, qui existimarent,

cum quòvis miraculo coniunctum eſſe debere aliud, quod impediat, quominus, quae prodigio exorta ſit, mutationum ſeries latius ſerpat; omnia enim reducenda eſſe ad priſtinam formam; appellant autem tale prodigium *miraculum reſtitutionis.* Videtur ex his, quae hactenus disputavimus, hoc intelligi, *nobis non poſſe de eo conſtare, utrum tale miraculum requiratur,* cum neſciamus, utrum ſeries mutationum, quae ex aliquo miraculo pendeat, ſit contra conſilia divina, vel pertineat adeo ipſa ad deſcriptionem mundi, a Deo conſtitutam. — Cum porro prodigia omnia ſiant ad demonſtrandam oratorum divinorum auctoritatem: *Deus, poſtquam religionem aliquam miraculis ſatis commendavit ac ſtabilivit, non videtur ob cauſſam aliam, quamcumque demum, a legibus naturae diſcedere, easque novis miraculis interrumpere.* Neque enim confirmata iam ſatis religio novis prodigiis indiget; neque excogitari poteſt alia cauſſa gravior, quae Deum moveret, ut ſempiternas illas naturae leges exceptionibus frequentioribus incertas redderet. Igitur vehementer falli videntur, qui noſtris temporibus vel *precibus*, vel aliis rebus, inprimis *fiduciae*, in Deo poſitae, vim aliquam efficiendi prodigia tribuunt. — Manifeſtum etiam illud eſt, *prodigia ſola ſatis firmare religionis,*

cuiuscumque demum, originem divinam, modo ne laboret fides eorum historica. Nam cum Deus non possit cuiquam concedere licentiam pervertendi leges naturae, praesertim cum inde tanta vis erroris apud homines existeret, ut, quid a Deo proficiscatur, iudicare satis prorsus non possent: sequitur, ut, quae religio miraculis commendata sit, ea, qualiscumque demum sit, divinam habeat auctoritatem. Equidem cum Q. Cicerone defenderem divinationis praestantiam, et ad Deum eam referrem; si vera essent prodigia, quae memorat [25]), nec prudentior Tullius moneret, contemnendam esse cotem Attii Navii; nihil debere esse in philosophia commenticiis fabellis loci. Unde etiam factum videtur, ut in iis libris, quos Christiani divinos habent, in eo ponatur summa Dei dignitas, *quod miracula edat* [26]. Habeatur itaque orator divinus, quicunque manifesta miracula ediderit; nulla ratione habita doctrinae, quam proponat. Nam cum miracula, praeter Deum, auctorem habere possint nullum: manifestum est, eum, cuius iussu prodigia exoriantur, auctoritate divina pollere, et, *quid credendum sit, decernere posse.* — Colligitur

25) De divinatione l. I.

26) Vid. *Exod.* XV, 11. *Psalm.* LXXVII, 15. Bene etiam hunc locum illustravit *Farmer* pag. 295.

denique ex iis, quae disputavimus, *istas exceptiones*, quamquam unice proficiscantur a Deo, *interdum tamen posse, si necessitas postulaverit, hominibus quibusdam perniciosas esse;* cum interdum frangenda sit miraculis impiorum hominum pertinacia. Sed illa ipsa benignitas Dei, qua ductus humano generi consilia sua patefacit, et uberiorem sui cognitionem largitur, postulat, ut etiam prodigia plurima humani generis salutem augeant, atque etiam sic, quem auctorem habeant, declarent.

Iam exposita natura ea, quam habere debent miracula, sequitur, ut quaeramus, *utrum recte dicatur, ad iudicium de miraculis requiri universae naturae cognitionem, nec iudicare quemquam posse, qui eventus sint prodigia, nisi qui hanc rerum universitatem eiusque vires omnes ac leges perspiciat.* Atque illud ipsum, quod in definienda miraculi natura secuti sumus nominis potestatem, quam veteres tenent, vim disputationis adversariorum vehementer frangit. Dedit enim, ut iam supra monui, his dubitationibus locum philosophiorum nostrorum in definiendo inconstantia. Equidem non video, quid adversariis respondere possint ii, qui miracula, dicunt, *a singulari quadam et extraordinaria Dei efficacia* proficisci. Nam de illa efficacia nemini profecto constare potest

ſatis manifeſte, niſi ei, qui, quid natura poſſit, accurate ſciat, ac ſubtiliter intelligat rerum omnium vires; quam ſcientiam quis tandem ſibi arrogaverit, cum tam late pateat natura rerum, ac tot ſupereſſe videantur rerum creatarum ordines, quorum ne notionem quidem habeamus? Hanc difficultatem animadvertentes alii, putarunt, ita eſſe miraculi naturam explicandam, ut prodigia cenſeantur omnia, *quae manifeſte ſuperent vim humanam*; quam poteſtatem cum alii multi, tum nuperime S. R. *Leſs* vocabulo ſubiecit [27]). Sed neque ſic videtur ſatisfieri disputantibus adverſus miracula. Primo enim ne illud quidem ſatis confectum eſt, quid humanae naturae vires poſſint; ſed multae ſuperſunt adhuc animi corporisque humani quaſi latebrae quaedam atque receſſus, quos nondum ſatis perquirere potuit phyſicorum ac philoſophorum diligentia. Deinde multa cogitari poſſunt, vim humanam non ſuperantia illa quidem, ſed tamen prodigia habenda. Atque Gyges ille, de quo narratio eſt apud Platonem [28]), quoniam, cum palam annuli ſui ad palmam converteret, videri fingitur potuiſſe a nemine, ipſe vidiſſe omnia, multa profecto

27) Vid *Vertheidigung der chriſtlichen Religion* pag. 244 et 256.
28) *De Republ.* l. II. pag. 358 ſq. Ed. Ficin. *Addatur Cicero de Offic.* l. III. cap. 9.

efficere potuiſſet non excedentia quidem humanam vim, ſed in prodigiis nihilominus habenda. Neque enim hoc quaeritur in miraculis, *quanta* vis requiratur ad producendam aliquam mutationem [29]), ſed hoc, utrum ea vis in agendo ſequatur leges naturae conſtitutas a Deo, aç vulgo notas. Unde etiam in libris ſacris memoratur Eliſae aliquod prodigium [30]), qui effecit, ut ſecuris nataret; in quo profecto nihil egit, quod non potuiſſet vi humana fieri; quis enim negaverit, ab homine poſſe ſecuſim tolli? ſed quoniam abhorret a legibus naturae, ſecuſim ita tolli, ut aquis innatet, recte putatur prodigium effeciſſe Eliſa. Unde non ſatis accurate diſputare videntur, qui vim humanam conſtituunt regulam, ad quam in iudicio de miraculis eventus quisque ſit exigendus. Sed miſſis iis, quae alii de natura miraculorum praecepe-runt, videamus iam, quomodo, quae ſupra poſuimus, ad hanc cauſſam poſſint transferri.

Cum itaque quodvis miraculum ſit exceptio quaedam legum naturae vulgo notarum: in iudicio de prodigiis non hoc quaeritur, *qua vi efficiantur, vel quanta ſit illa vis.* Perinde enim nobis eſſe poteſt, quae vis aliquem eventum producat, ſive ipſius Dei, ſive naturae;

29) Conf. *Farmer* pag. 14 not. *d.*

30) 2 Reg. VI, 6.

modo hoc manifeſtum ſit, eventum ipſum *abhorrere a legibus naturae notis.* Etenim cum omnis miraculi vis, ut ſupra oſtendimus, unice cernatur in ea discrepantia; talis vero diſceſſus, invito Deo, minime fieri poſſit, ut etiam poſuimus ſupra: quis non videt, ibi miraculum recte ſumi, ubi conſtet, aliquem eventum a notis naturae legibus alienum eſſe. Atque hoc etiam de iis eventis dici poteſt, quae, in ſe ſpectata, vim humanam minime ſuperant. Cotem diſcindere, non excedit vires hominum; at ſi quis novacula praecideret, quis negaret, in ea re ineſſe miraculum, et cauſſam eſſe hanc, quod hic animadvertatur legum naturae notiſſimarum manifeſta violatio. Si haec recte ſe habent, ſequitur, ut vani prorſus ſint eorum clamores, qui contendant, iudicare de miraculis poſſe neminem, niſi qui naturae *vires* omnes perſpiciat. Neque enim opus eſt, ad *vires*, quibus miracula edantur, redire in hac cauſſa; cum de viribus naturae, ſi verum fateri voluerimus, paene ſciamus nihil: ſed ſufficit noſſe, *quid vulgo fiat, et quam normam natura ſequatur in omnibus, quae agit.* Atqui de hac omnibus per experientiam ſatis conſtat; unde, quoniam ab hac norma diſcedunt miracula, *omnes iudicare etiam prodigia poſſunt*, quamvis nec vires naturae noverint, nec definire

possint, qua vi eventus quisque fuerit productus. Cavendum itaque, ne, qui aliquem eventum prodigium esse affirmant, probandum suscipiant hoc, *eum non esse naturae viribus productum;* neque enim cadit in imbecillitatem humanam tanta scientia. Ad efficiendam vero in animo aequi iudicis assensionem sufficit, si liquido possit ostendi, eum prorsus abhorrere ab iis, quae vulgo observantur ac fiunt. Si quis, nonnisi verbis quibusdam usus, ingentem vim ranarum magnae regioni immittit, vel tempestates et grandinem inducit: edit profecto miracula. Sed ranas producere num superat vires naturae, quam quotannis profundere videmus ingentem earum multitudinem? Nonne quotannis tempestates oriuntur, a viribus naturae profectae? Nonne grandinem perhorrescunt agricolae, quoniam usu docti sciunt, eam a natura gigni posse? Igitur non definio, utrum, si orator quidam divinus talia effecerit, in ea re fuerit aliqua Dei vis extraordinaria, an naturae quotidiana; hoc me movet, rem ita contigisse, ut ab eo, quod vulgo fit, prorsus abhorreat. Nec vereor, ne posteri, me doctiores, aliquando perspiciant, in his rebus miraculum non fuisse. Etenim cum videam, hic fuisse legum naturae, quae quidem hominum verbis non solet obtemperare, aliquam exceptionem: credo nec

posteros aliter iudicaturos esse, qui sunt profecto eandem naturam, iisdemque legibus constitutam, habituri. Neque enim unquam *exceptio* fieri potest *regula*; et quo rectius perspiciuntur *leges*, eo accuratius intelligitur exceptio. Unde sperare adeo, iure quodam meo, possum, fore, ut posteri, accuratiori rerum naturalium cognitione aucti, clarius adeo videant, quantum fuerit hac in re et similibus multis prodigium.

Cum igitur, ut hactenus docuimus, ad iudicium de miraculis non requiratur hoc, ut *universae naturae vires* cognitas habeamus; cum de viribus, quae aliquem eventum mirabilem produxerint, hic prorsus non quaeratur: si tamen, ut adversarii volunt, quid sit miraculum, iudicare non possemus, causa inesse deberet in eo, quod non satis definire possimus, *quid legibus naturae conveniat, ac propter has leges in quavis re debeat evenire.* Redit igitur omnis disputatio ad hoc, ut ostendamus, *nos scire satis posse, quid vulgo sciscant naturae leges, adeoque iudicare etiam, quid ab hac naturae veluti consuetudine abhorreat.*

Sunt autem mutationum earum, quas evenire videmus in natura rerum, tria genera. Primum complectitur eas, *quae quotidie fiunt, ac tam constanter, ut semper eodem prorsus*

modo accident; veluti solem quotidie occidere; anni tempora aequabiliter recurrere; flumina nunquam aquas retro ad fontes agere; mortuos non redire in vitam, cet. In his haud obscurae esse possunt naturae leges, quas satis manifeste docuit multorum seculorum, et hominum omnium consentiens vox et experientia. Alterum genus est earum mutationum, *quae videntur quidem abhorrere a statis naturae legibus, quoniam rarius animadvertuntur; sed accuratius consideratae, cum iis consentiunt.* Ex hoc genere fere sunt ea, quae scriptoribus humanis portenta, ostenta, monstra dicuntur [31]); ut sanguine vel lapidibus pluisse; aedes, arborem, locum aliquem fulmine tactum esse; editum esse monstrum; fulsisse stellam crinitam; laborasse lunam, vel solem defeciisse. Haec et alia multa quamquam *rarius* eveniunt, interdum etiam causam habent obscuriorem, tamen propterea putanda sunt consentire cum legibus naturae, quod *interdum* eveniunt; nec potest ea de re hodie inter nos, quibus harum rerum causae manifestiores sunt, quam veteribus, ulla dubitatio esse. Satis enim constat, ipsam legum

31) Praeter Livium, quem supra iam excitavimus, aliosque scriptores antiquos, etiam *Suetonius* passim copiosus est in commemorandis prodigiis; ut in vita Iulii cap. 81. in vita Octavii cap. 94. in vita Vespasiani cap. 5. cet.

naturalium accuratam conſenſionem, qualis, ut hoc utar, eſt, cum ſol vel luna deficiunt, ſaepenumero efficere ea, quae imperitis facile videantur ab his legibus aliena. — Ultimum denique mutationum genus eſt earum, quae videntur a legibus naturae abhorrere propterea, *quod vires naturae quodam hominum artificio ita reguntur, ut aliquid oriatur, quod natura, ſibi relicta, ſic non effeciſſet.* Huc pertinent artes eorum, qui praeſtigiis quibusdam alios decipiunt, vel uberiori rerum naturalium cognitione inſtructi, his ita utuntur, ut eventus conſequantur mirabiles. Haec fuit olim veterum ſacerdotum, ut apud Aegyptios, peritia. Similibus artibus etiam dediti fuerunt, qui Graecis dicebantur Θαυματοποιοὶ et Θαυματεργοί, quorum miracula interdum nonniſi in quadam exercitatione corporis ac celeritate poſita erant. Eaedem fere apud nos ſunt circulatorum hominumque circumforaneorum praeſtigiae, quae, quamquam videantur cum legibus naturae pugnare, bene tamen cum iis conſentiunt. Poteſt etiam machinis iis, quas recentior aetas invenit, a phyſicis ita tractari natura, ut imperitis prodigia evenire videantur. — Iam ſi liquido poteſt oſtendi, eos eventus, quos miracula diximus, et quibus vim ineſſe cenſemus ad probandam interpretum divinorum auctoritatem, ſatis poſſe

ab his mutationibus omnibus distingui: effectum esse, puto, ad iudicanda miracula non requiri rerum omnium et universae naturae accuratam cognitionem; quae in nos profecto non cadit.

Atque in primo quidem genere res est in promtu. Nam quae mutationes ita eveniunt, ut certam semper et sensibus quasi subiectam legem sequantur: iis iam inde a teneris sensim ita assuescimus, ut vel minimam aberrationem sentiat animus, facilique negotio a reliqua naturae consuetudine distinguat. Qua in re nihil interest inter doctos et imperitos, sed unum idemque iudicium, idem omnium sensus. Iam si interpres quidam divinus solis impetum verbis cohiberet, eumque iuberet producere diem: quis esset tam stupidus, quin sentiret, factam esse ingentem mutationem, a statis legibus naturae prorsus alienam? Quod iudicium profecto tam certum esset, quam illa seculorum hominumque omnium consPirans experientia, quae docet, solem quotidie occidere. Sic, ut alio exemplo utar, omne vinum a natura gignitur in viribus; quem modum tam constanter tenet, ut ab eo nunquam deflectat. Iam si orator divinus aquam e puteo hauStam indnere iuberet vini generosioris naturam: num dubitaremus, in ea mutatione inesse aliquam exceptionem, quae invito Deo non potuerit

contingere? Sed haec tam manifeſta ſunt, ut lectoribus diffidere viderer, ſi copioſior eſſem. Hinc factum eſt, ut *Humius* hac ipſa perſpicuitate, qua miracula poſſunt a ſempiternis legibus naturae et eventis vulgaribus diſtingui, uteretur ad frangendam miraculorum fidem. Nam cum pugnent miracula cum experientia hominum omnium ac ſeculorum: nunquam, putat, prodigia poſſe habere aliquam veri ſpeciem, cum cuivis teſtimonio de miraculis repugnet omnium temporum hominumque conſentiens experientia [32]). Sic profecto disputare non poſſet acutiſſimus philoſophus, niſi perſpicue a nobis iudicari poſſet, quid ſit perpetuis naturae legibus conſentaneum, quidve ab iis abhorreat. Hoc etiam bene vidit Muhammedes; qui, cum intelligeret, homines etiam imperitos facile poſſe, quid a naturae legibus alienum ſit, perſpicere, maluit fateri, ſibi hoc a Deo non eſſe mandatum, ut auctoritatem ſuam miraculis ſtabiliret [33]); quam ſuſpectis prodigiis exponere ſeſe

---

32) Videatur *Humii* liber, qui, converſus in linguam vernaculam, inſcribitur: *Verſuche über die menſchliche Erkenntniſs:* part. II. pag. 254. Docte adverſus opiniones Humii disputat S. R. *Less* in libro aureo: *Wahrheit der chriſtlichen Religion:* pag. 366 ſqq.

33) Vid. *Sura* XXVI, 5. ſqq. XIII, 9. XVII, 91. ſqq. Quae vulgo narrantur Muhammedis miracula, invito aſſicta ſunt a ſectatoribus ſuperſtitioſis, et ridicula ſunt fere omnia.

ridentis multitudinis contemtui. De iis itaque miraculis, in quibus ineſt aberratio a perpetuis naturae legibus et experientia quotidiana, omnes omnino homines ſatis iudicare poſſe, certum eſt.

Veniamus ad alterum genus mutationum, quae obſervantur in hoc mundo; earum ſcilicet, quae videntur, quoniam rarius eveniunt, a ſtatis naturae legibus abhorrere, etſi, accuratius cognitae, cum iis conveniant. Atque hae, quamquam prae ſe ferunt aliquam miraculorum ſpeciem, unde etiam eodem nomine a veteribus appellatae ſunt; poſſunt tamen a prodigiis, quae ſupra diximus oratorum divinorum documenta eſſe, accurate diſtingui. Etenim primo multa, quae ad hoc genus pertinent, habent aliquam regulam, quam docuit longior uſus; ut lunam ſolemque deficere; monſtra naſci, ſi mater gravida aliquid mali paſſa ſit, vel oblata ſpecie quadam corruptam habuerit phantaſiam; arbores, aedificia, homines de caelo tangi. In his et ſimilibus multis miraculum ineſſe nullum, docti ſciunt ac ſubtiliter demonſtrant, imperitior multitudo ſentit et credit. At ſi quis, auctoritatem ſibi conciliaturus hominumque fiduciam, verbis vel precibus, ad Deum factis, efficeret, ut ruentia de caelo fulmina victimam aliquam adolerent, vel tempeſtates cum

grandine coniunctae ſtatim exorientur, vel exorta tempeſtas ſedaretur et conquieſceret: omnes profecto intelligerent, in his a conſuetudine naturae aberratum eſſe. Quae vero ex hoc genere ordinem modumque certum non habent; ea facile poſſunt a miraculis diſtingui hoc ſigno, quod miracula, de quibus nunc diſputamus, omnia fieri debent, ut ſupra vidimus, *iuſſu vel precibus alicuius hominis, qui perſuaderi aliis vult, ſe eſſe divinae voluntatis interpretem.* Iam ſi qua ſine eo iuſſu evenirent in rerum natura, quae viderentur minime convenire cum legibus mundi vulgo notis: ea, ſi vel maxime non modo imperitae multitudinis, ſed doctorum etiam virorum oculos in ſe converterent, nec explicari a quoquam poſſent, miracula tamen habenda non eſſent. In his enim, ſi miracula forent, ineſſet obſcura, adeoque vana prorſus et irrita Dei vox, cum interpres non adſit, qui exponat, quid Deus iubeat, vel docere velit. Nec metuendum eſt, ne forte impoſtores *ad ſe trahant* tales eventus mirabiles, atque ſic aliquam certe auctoritatem e re prorſus aliena emendicent: horum enim impudentia facile ita convincitur, ut negetur, pertinere ad ipſos eventum, quem nec praedixerint, nec poſtulaverint a Deo. Si quis autem praedicat, ſe effecturum, ut ingens flumen, et ingentis

imperii ſtagna omnia, lacus et fontes non quidem cruenta videantur, ſed ſint: quis quaeſo talem eventum non ſecerneret ab eo, ſi quando lacus vel flumen aliquod ad breve tempus inficitur colore rubro, qui vel ab arenae multitudine, vel a ſolis occidentis orientisve luce proficiſcitur? Accidit interdum, ut, longius deliquium paſſi, haberentur mortui, ſepelirentur, anatomicis traderentur; ſed poſt dies aliquot, praeter omnium opinionem, in vitam quaſi redirent. At ſi quis mortuum, iam ſepultum per aliquot dies, iam putredine corruptum, in vitam verbo revocaret; quis negare auderet, ſe poſſe talem eventum ſatis diſtinguere ab his, quae interdum in hominibus, nondum vere mortuis, natura efficiat? Sequitur itaque, ut miracula ſatis manifeſte ab iis eventis differant, quae rarius obſerventur, ac facile videri poſſint a legibus naturae abhorrere.

Reſtat, ut dicamus de ultimo genere, quo continentur mutationes eae, quae proficiſcuntur *ab arte humana*. Atque de iis quidem praeſtigiis, quibus vulgo ſolent circulatores allicere imperitam multitudinem, ac nummulis emungere, cum plerumque occurrant in rebus ludicris et vilibus, non opus eſt, copioſe dicere. Ea enim prodigia, de quibus hic loquimur, debent eſſe Deo digna, et ita comparata, ut ad

res graves, neceſſarias ac ſalutares humano generi pertineant; unde neminem, puto, fore, qui neget, miracula manifeſte ab his quotidianis praeſtigiis differre. Nec iudicandi difficultas ineſt in eventis mirabilibus iis, quae producuntur a phyſicis. Atque hi efficiunt quidem, ut hoc utar, fulgura; ſed facile diſtinguenda ab iis, quibus Moſes Aegyptios terruiſſe[34]), Elias miſſos ad ſe milites confeciſſe perhibentur[35]). *Illi* quidem *machinis* utuntur, et ſic aegre fulgura eliciunt atque extundunt; *hi verbis* effeciſſe dicuntur ingentes tempeſtates. Nec poteſt omnino ſine magna ſupellectile et machinationibus operoſis a phyſicis effici quicquam, quod hominum admirationem, rudiorum inprimis, excitet. Ab eo autem, qui miraculis volnerit auctoritatem oratoris divini ſibi conciliare, iam ſupra monuimus, abeſſe debere omnem molitionem, ferramenta, vectes et machinas; nam cum a Deo miſſum ſe dicat, imitari etiam in agendo debet Deum, nec machinis aggredi naturam, ſed, quid evenire debeat, *imperare*. Superſunt praeſtigiae magicae ac theurgicae, quarum ſaepe apud veteres mentio ſit. Fuerunt enim, qui profiterentur, ſe manes evocare poſſe, et ſciſcitari ex ipſis futura. Quae ſuperſtitio antiquiſſima eſt,

34) Conf. *Exod.* IX, 13 ſqq.
35) Vid. 2 *Reg.* I, 10.

et memoratur cum in libris sacris [36]), cum apud Homerum et alios scriptores antiquos saepissime [37]). Alii vero singulare quoddam cum Deis commercium mentiti, incautos decepere; ut constat, Iulianum imperatorem esse a philosophis quibusdam, vel potius impostoribus, inprimis Maximo, Ephesio, ad pristinam superstitionem talibus praestigiis reductum [38]). Sed ab horum etiam fraudibus facile distingui posse vera miracula, manifestum est. Solebant enim, qui vel manes eliciebant, vel theurgicae superstitioni dediti erant, amare noctem, abditos recessus et cavernas petere, ingenti apparatu iis, quos admittebant, incutere terrorem, quo reprimeretur inspiciendi propius omnia et explorandi libido; atque omnino iis artibus uti, quae iudicandi potestatem et perquirendi singula prorsus eriperent. Unde suspecta esse haec arcana, nemo negaverit. Alia omnia occurrunt, ut supra docuimus, in miraculis. Omnia fiunt manifeste, in conspectu hominum, ut cuique explorandi et indagandi locus detur. Nec adest

---

36) Iesa. VIII, 19. LXV, 3. 4.

37) Vid. quae *Chandler* disputat in Vita Davidis Cap. XVI. version. vernac. et *Farmer* breviter notat pag. 416.

38) Vid. quae e scriptoribus antiquis hac de re erudite, et, ut soler, eleganter exposuit Ill. *Cramer* in continuat. histor. Bossuetianae, part. III. pag. 401 sqq. inprimis pag. 413 sqq.

apparatus ingens, vel ſtudium aliquod arcendi profanos; ſed admittuntur ii ipſi, qui dubitant, ut ipſa rei perſpicuitate moti vel credere incipiant, vel tacere cogantur. Accedent omnino, ut ſupra vidimus, omnia miracula fieri in rebus manifeſtis et vulgo notis, quod ipſum obſcuritatem omnem excludit, atque efficit, ut etiam ab imperitis intelligi poſſit, quid ſit ab oratore divino peractum. Cum igitur bene poſſint ab his mutationibus omnibus diſtingui miracula, ſuaque natura ab omnibus differant: manifeſtum eſſe puto non modo hoc, ad iudicium de miraculis univerſae naturae cognitionem non requiri, verum etiam illud, doctos et rudes, modo velint animum ſatis attendere, de miraculorum indole iudicare poſſe.

Sed fuit etiam hoc ſeculum prodigiorum ferax. Nam quae Pariſiis, ad ſepulcrum *Franciſci Pariſii*, inde ab anno viceſimo ſeptimo ſeculi noſtri accidiſſe feruntur: ea ita comparata ſunt, ut et veri aliquam ſpeciem habeant, et difficiliorem effecerint diſputationem de miraculis omnem. Vix etiam conquievit is rumor, qui nuper ad nos venit de prodigiis per Bavariam a *Gasnero* editis, quae, quicquid contra diſputat auctor ipſe, ſi accidiſſent vere, miracula forent. Quaeri igitur poteſt, quid ſit de eventis iſtis iudicandum, ſi, quae ſupra

disputavimus, ad hanc caussam transferantur. Impedit autem iudicium de his rebus et ambiguum efficit illud, quod testes non adsunt, quibus tuto aliquid tribui possit. Nam illa prodigia Parisiensia etsi testem habere videntur satis locupletem, atque edita sunt in ea urbe, in qua fraudes vix videantur habere potuisse locum: tam explorata tamen non sunt, quin fides eorum vehementer laboret. Eadem difficultate premitur etiam *Gasneri* caussa. Nam qui de rebus gestis famosissimi viri scripserunt; legi autem multorum libellos ad hanc caussam pertinentes: ii omnes non dicunt testimonium ingenue et ab omni cupiditate alieni, ut solent auctores Novi Testamenti narrare miracula Iesu: sed iudicis induunt personam, manifeste vel odio ducti, vel abrepti studio quodam et reverentia viri. Omnino autem haec eventa vehementer suspecta esse censeo, si comparentur cum placitis iis, quae de miraculis supra posuimus. Nam cum miracula omnia fieri debeant ad firmandam interpretum divinorum auctoritatem; non video, cur Deus *mortuum* Parisium tot prodigiis commendaverit, qui consiliorum divinorum interpres esse non amplius poterat. Gasneri autem prodigia videntur indigna Deo, cum nihil novi docuerit vir ille, sed vulgares opiniones secutus sit. Si vero sumere adeo licet,

quod ab aliis satis effectum puto, religionem Christianam esse divinitus humano generi concessam: illa miracula prorsus damnanda videntur. Etenim vanum esset, firmatam satis religionem novis prodigiis stabilire, cum vis eorum, quae Iesus ipse cum suis edidit, minime exoleverit quasi vetustate ac perierit. Deinde si vera est Christiana religio, spectanda etiam est horum, qui nuper miracula edidere, *doctrina*, cum certa norma adsit, ad quam exigi possit. Atqui Parisii placita, quem satis constat fuisse sectatorem Ianseni, non modo iudicari possunt e libris sacris; ut igitur miraculis in hac causa non sit opus: verum etiam pugnare videntur cum iis, quae scivit Christiana religio. Gasneri autem opiniones fluxerunt, ut e libellis patet, quos ipse edidit, e locis librorum sacrorum perperam intellectis; est enim insectissimus interpres, earumque rerum imperitissimus, quarum debet cognitio esse in interprete docto. Quis itaque crediderit, tales opiniones miraculis firmatum iri a Deo, qui profecto insciam ac superstitionem vi sua obtrudere hominibus nec vult, nec potest.

Superest, ut paucis ostendam, *si vel maxime, quid sit miraculum, iudicari a nobis non posset, firmum tamen esse, quod ab iis ducatur pro auctoritate hominum divinitus missorum*

argumentum. Qua in re ita versabor, ut omnis disputatio maxime pertineat ad auctorem religionis Christianae, et hoc exemplo, quod est profecto omnium inculentissimum, doceatur, posse nos, etiamsi prorsus obscura esset miraculorum indoles, iis tamen tuto credere, qui tales eventus produxerint. Ego enim sic existimo, si vel maxime nesciremus, quae sit prodigiorum natura, hoc tamen manifestum esse, eos, qui eventus mirabiles efficiant, esse debere reliquis hominibus peritiores, maiorique instructos rerum naturalium cognitione, cum ea possint, quorum alii ne causas quidem perspiciant. Iam si istos euentus eo tempore, et in iis regionibus edant, ubi ad tantam rerum naturalium scientiam nec ingenii sui viribus eniti, nec accipere eam ab aliis ac discere potuerint: ipse profecto Deus eos adiuuerit, necesse est. Atque ut de auctore Christianae religionis quaedam dicamus: quis nescit, eum vixisse eo tempore, quo rerum naturalium cognitio satis manca vel apud eas gentes esset, quae eruditionis laude florerent; docuisse apud eum populum, qui istam scientiam prorsus negligeret; litteris operam dedisse nunquam, sed ad annum tricesimum obscuram vitam egisse. Iam cum manifeste ea peregerit, quae nunc, cum rerum naturalium cognitio amplificatur acutissimorum

virorum coniunctis ſtudiis, non modo imitatione non attingi, ſed ne intelligi quidem e cauſſis naturalibus poſſint: equidem non video, a quo vim ac ſcientiam res tantas efficiendi vel didicerit vel acceperit, niſi ſumere velimus, eum fuiſſe virum divinum, quem tantis operibus voluerit Deus humano generi commendare. Qua de re qui dubitant, cum etiam doctrinam propoſuerit praeſtantiſſimam vereque divinam: ii non modo temere iudicant, ac parum ſubtiliter; verum etiam animum produnt humano generi, quod Chriſtianae religioni plurimum debet, inimicum.

5.

De locis quibusdam, qui in sermonibus Domini temere putantur communes.

Cogitanti mihi saepenumero, ac repetenti memora longe diversissimas opiniones eorum, qui libros sacros enarrare instituunt: praeter difficultates eas, quae solent esse his libris propriae, tanti dissensus caussa videtur potissimum haec esse, quod solent fere, qui interpretantur, existimare, quae his libris contineantur, ea fere omnia *universe et hominibus omnibus scripta esse.* Quod itaque librorum humanorum interpretes omni studio agunt, ut accurate, considerent, quo tempore scripserit auctor quisque, et quibus hominibus; quae fuerint eo tempore hominum mores, opiniones, studia; quod denique scriptoris cuiusve consilium: id fere negligitur ab his, qui tractandos sibi sumunt libros sacros. Nam quae, ut iam de scriptoribus novi testamenti dicam, accommodate ad priscina tempora, mores, opiniones, hominumque conditionem ab

his viris ſcripta ſunt: ea vulgo exiſtimantur e conſuetudine dicendi noſtra, noſtroque ſenſu, qui differt profecto toto genere ab iſtorum temporum iudicio. Iam cum omnis interpretatio tum demum certa ſit ac probabilis, cum manifeſtum eſt, auctorem pro conditione ſua, conſilio, aequalium opinionibus et neceſſitatibus, non modo *potuiſſe* ſcribere, quae interpres ſibi videatur in ipſius oratione reperire, verum etiam *debuiſſe;* intelligi enim debet aliqua in ſententiae cum verbis copulatione *neceſſitas:* facile intelligitur, qui iſtam loquentium conditionem negligant, eos aperire viam libidini, quicquid cuique viſum fuerit, auctoribus ſacris obtrudendi. Atque ſic maxime ortam eſſe ingentem illam opinionum varietatem, qua diſtrahantur ſacrorum librorum interpretes, harum rerum peritis non poteſt obſcurum eſſe. Quae libido, *communes locos, et univerſe dicta ubique inveniendi*, cum inprimis perverterit interpretationem ſermonum eorum, quos a Domino habitos memoriae prodiderunt auctores rerum vitaeque Domini: decrevimus, *locos quosdam ex hoc genere paullo accuratius tractare*, et oſtendere, quae ipſis videatur, ſi caute voluerimus interpretari, vis eſſe ſubiecta atque poteſtas. Etſi autem praevideo, quae in his libellis quorum nun *primus* prodit, a me dicenda ſint,

ea non omnia nova fore: tamen, cum illa philoſophandi ſuper ſcriptura ſacra libido, et interpretationis grammaticae contemtus adhuc paſſim corrumpant adoleſcentium animos; *tironibus* certe haud inutile fore exiſtimavimus, ſi oſtenderemus, quomodo ſit interpreti docto ac diligenti verſandum in illuſtrandis locis ambiguis. Sed antequam ad rem ipſam accedimus, pauca videntur praefanda de cauſſis, quae efficiant, ut interpretes ſcripturae vulgo ſint ad inveniendos locos communes propenſi.

Ac primo quidem *ab inſtitutione puerili*, veluti quodam fonte, manare videtur ea libido. Satis enim conſtat, quam ſeduli ſint apud nos puerorum magiſtri in inculcandis locis librorum ſacrorum variis. Hos ita vulgo diſcimus, ut verborum ſonos imitemur, quam vero vim habeant ac poteſtatem, nec ſciamus, nec ſcire per aetatem poſſimus. Sed ille ipſe magiſtrorum ardor, quo ſolent tales locos inculcare tironibus, efficit, ut, praeſertim cum et ſua ſaepe addant interpretamenta, ad nos vel maxime putemus omnia pertinere, et, cum ſenſim diſcimus, ideas rerum diſtinguere ab ideis ſonorum, metiamur omnia e noſtro ſenſu, noſtraque conſuetudine [1]). Accedit, libros, e quibus vulgo

1) Optandum profecto eſſet, ut locorum eorum, qui pueris proponuntur diſcendi, a viris, harum rerum peritis,

diſci ſoleant prima legendi elementa, eſſe hos ipſos ſacros, eosque tradi pueris aliarum rerum omnium prorſus rudibus. Quibus quoniam non poſſunt non deeſſe omnia, quae ad intelligentiam librorum ſacrorum pertinent, plerumque etiam idoneus magiſter: incipiunt, excitata ſenſim animadverſione, quae legunt, aeſtimare e ſuo ſenſu, et ad noſtros mores trahere, eaque conſuetudo diu ante invaleſcit, quam diſcere incipiunt, quae ſint ad interpretationem libri vetuſti neceſſaria. Legimus itaque vulgo ac relegimus libros ſacros, didicimusque cum ipſorum verbis notiones iungere prorſus alienas, cum, tractandis ſcriptoribus humanis, formari tandem aliquando incipit et acui ingenium interpretandi legibus. Neque ſic ſtatim deletur vetus illa conſuetudo, omnia, quae libris ſacris continentur, e noſtrorum temporum indole iudicandi; qui mos, quoniam nobiscum adolevit, piusque videtur, radices agere vulgo ſolet tam altas, ut, quamquam in interpretatione ſcriptorum humanorum ſapiamus, tamen, cum

---

paullo accuratior haberetur delectus, nec omnia fere relinquerentur in re tam gravi imperitis *ludimagiſtris*. Sic, ut e multis locis, qui perperam proponuntur, vel unum proferam, ore omnium fere puerorum teritur illud Davidis *Pſalm.* LI, 12. 13. quod profecto praeter Davidem, qui tum fuerat *adulter*, et adhuc erat *rex* Iſraelitarum, ſimulque *vir* θεόπνευστος in *nemorem* cadit.

ad libros ſacros ventum eſt, recurrat illa trahendi omnia ad nos vetuſta libido, et vel invitos decipiat.

Accedit *ſcripturam in concione ſacra tractandi modus*, cui omnes a teneris audiendo aſſueſcimus. Nam qui publice dicunt, ſolent illi, pro more apud nos inducto, ita uti aliquo ſcripturae loco, ut oſtendant, quam vim habeat ad augendam rerum divinarum ſcientiam, ad vitae morumque emēndationem, ad alendos pietatis ſenſus, ad confirmandam denique fiduciam futuraeque felicitatis ſpem. Quae ratio de ſcriptura diſputandi cum propterea facile arripitur ab animis teneris ac placet, quod multum utilitatis habet, et uſurpatur ab iis viris, quorum auctoritate vehementer moventur; tum propterea tenetur et amatur, quod parum difficultatis habet, parumque moleſtiae iis praeſertim creat, qui inſtructi ſunt naturali quadam ingenii dexteritate. Cum igitur ad librorum ſacrorum interpretationem perventum eſt, fugiunt moleſtum illud grammaticum interpretandi genus, quod ſine linguarum multarumque rerum aliarum ſcientia nullum eſt; placentque ſibi vehementer, ſi omnia trahere poſſint ad noſtra tempora, et quovis loco effundere *piarum meditationum* ingentem aliquam vim. Ac dolendum profecto eſt, eos, qui publice dicant

in concione, fere nihil tribuere interpretationi librorum ſacrorum. Nam locos eos, ſuper quibus disputare ſe velle profitentur, vel prorſus non tangunt, et vulgo rem prorſus aliam, de qua ſcilicet aliquid in promtu eſt, interdum ſatis miſere iis aſſuunt; vel, neglecta orationis ſerie, vim tribuunt, piam quidem illam nec inutilem audientibus, ſed a loco ipſo alienam [2]). Quid dicam de conſuetudine, verba ſcripturae ſacrae *accommodandi* ad argumentum quodvis; magni enim ſibi multi videntur ac pii oratores eſſe, ſi congerere ex indicibus et conſarcinare poſſint integram orationem, et eloqui omnia librorum ſacrorum formulis. Dici non poteſt, quantopere ſic corrumpantur animi eorum, qui aliquando accurate voluerint interpretari libros ſacros. Occurrunt enim ultro pia illa cogitata, animumque impediunt, quominus veram cuiusque loci indolem perſpicue intelligat. Atque ſic apud eos inprimis, qui volunt ad eccleſiam accedere, naſcitur verae interpretationis contemtus, *quam putant parum utilem eſſe ad habendas orationes ſacras.* —

2) Quidni revocamus antiquum illud ſcripturam in concione tractandi genus, cuius exemplar praeſtantiſſimum reliquit Chryſoſtomus? Eſt profecto nullum aliud vel ad explanationem librorum ſacrorum popularem, vel ad movendos pietatis ſenſus, etiam in animis imperitae plebis, efficacius.

Sed alii maxime propterea ornant libidinem, in libris ſacris ubique videndi univerſe dicta, quod opinionis quodam errore ducti, *non ſatis recte ſentiunt de divina eorum origine.* Etenim quae auctorem habeant Spiritum ſanctum, ea, putant, ita ſcripta eſſe, ut quovis loco temporum omnium hominumque ſit habita ratio. Parum enim conſulere, cenſent, praeſtantiae dignitatique libri ſanctiſſimi eos, qui, ut in humanis libris fieri ſoleat, referant multa ad tempora illa priſtina. Hinc factum eſt, ut a multis excogitaretur, obtruderetur que auctoribus ſacris ubique fere ſenſus, quem dicunt, *realis*, *allegoricus*, *typicus*, *propheticus* cet. ab hoc fonte fluxerunt innumerae *emphaſes*, et Cocceianorum *periodi;* hinc denique exorta eſt perverſiſſima illa opinio, *poſſe unius loci ſententiam litteralem eſſe multiplicem;* hoc enim, ut iam alios taceam, librorum ſacrorum praeſtantiae admodum conveniens exiſtimat *Auguſtinus, Confeſſ* l. XII. *cap.* 31. Sed quis non videt, ſic converti libros ſacros in oracula flexiloqua et obſcura, quorum interpretationem regat nulla lex certa, et cuivis aperiri viam, fingendi, quaecumque viſa fuerint, et torquendi ſcripturam quovis modo. Cui libidini ſi locum feciſſet Deus, poſſemus profecto conqueri iure quodam noſtro de obſcuritate librorum ſacrorum, quibus

ſic deeſſet dos boni libri prima, quae in eo cernitur, ut abſit omnis ambiguitas.

Ex hac opinione naſcitur alia, quae vel maxime efficit hoc, ut, qui ad interpretandum accedant, ubique videant univerſe dicta. *Audent enim vel ii enarrare libros ſacros, qui nunquam didicerunt librum humanum intelligere.* Etenim quoniam aliam prorſus eſſe cenſent ſcripturae indolem, divinam ſcilicet multoque perfectiorem; alio etiam modo explicandam putant. Hinc multis per ambages ire videntur ii, qui per librorum humanorum interpretationem ad ſacros perveniunt. Sic exiſtit ingens bonarum litterarum contemtus, negliguntur libri Graecorum Romanorumque antiqui, quibus interpretandis formandus erat et alendus animus eorum, qui ſacros expoſituri erant; ad quos ubi perventum eſt, incipiunt philoſophari, compendia theologica in ore habere, opiniones comminiſci vanas, atque omnino ita torquere ſacrorum librorum orationem, ut putares, prophetas et apoſtolos ſcripſiſſe res Germaniae, et vixiſſe nuperrime. Sic itaque fit in libris ſacris, quod accidere vulgo vidi humanis auctoribus iis, quos legere primos ſolent pueri in ſchola, veluti Nepoti, epiſtolis Ciceronis, vel eiusdem officiis. Hos enim libros vulgo putant tam planos eſſe et perſpicuos, ut interdum non ſine

contemtu quodam et ſupercilio de iis loqui audias tirones, qui ad academias evolarunt. Scilicet plana putant, nec obſcuritatis habere quicquam, quae pueris propoſita erant; qui error inde exoritur, quod eo tempore plane deeſt intelligendi ſubtilitas, qua, quid intelligas nec ne, iudicare poſſis, ac difficultates animadvertere. Sic ii, qui ſtatim aggrediuntur libros ſacros, ne iudicare quidem poſſunt, quid ſit obſcurum, cum animum non acuerint ad ſentiendas difficultates. Placent igitur ſibi vehementer, ſi, quae paſſim de rebus divinis audiverint, ea omnia librorum ſacrorum locis allinere poſſint.

Quae hactenus disputavi de cauſis, quae pariant libidinem, locos ubique venandi communes: ea profecta ſunt ab experientia tum mea, tum aliorum. Nec puto fore quemquam, ad res communis vitae paullo attentiorem, quin ſenſerit ac didicerit uſu, quam efficacia ſint haec omnia ad impediendam interpretationem veram, quae ſcripturam ita explanet, uti temporum rerumque ipſarum ratio poſtulat. Conſuetudo vero illa, ubique inveniendi argumentum late patens et univerſe propoſitum, cum omnes libros ſacros, tum ſermones illos corrupit, quos ipſe Dominus, dum viveret, habuiſſe traditur; quorum locos nonnullos libellis

quibusdam vindicare decrevimus. Veniamus igitur ad eum, cui reliquam huius ſcriptionis partem deſtinavimus.

A Domino igitur quae disputantur Matth. XI, 28–30. ea vulgo trahuntur ad omnes, qui peccatorum conſcientia agitati, et hoc preſſi veluti onere, auxilium circumſpiciant. His polliceri putatur Dominus animi tranquillitatem, eosque convocare quaſi ad ſe, communem omnium fotera. Quam loci interpretationem, vulgarem illam, multisque doctis interpretibus probatam [3]), quis negaverit eſſe piam, et aptam ad excitandos alendosque ſenſus amoris erga Dominum, reverentiae ac fiduciae? At veram nemo dixerit, qui rationem habere voluerit contextus, temporis, quo haec differuit Ieſus, uſus denique verborum in locis aliis, noſtro ſimilibus. Quod ut accuratius intelligatur, iam paullo copioſius locum omnem enarrabimus; ſed addemus v. 27. quod poſtulare videtur orationis ſeries.

In antegreſſis itaque conqueritur Dominus de negligentia et levitate oppidorum eorum, in quibus et docuerat adhuc, et miracula ediderat plurima; doletque, nihil fere effectum eſſe ea opera, qua vel perditiſſimae civitates corrigi potuiſſent et emendari; v. 20–24. Fatetur

3) Conf. Origenes contra Celſum l. III. p. 150 ubi hunc locum etiam hoc modo enarrat.

tamen, non omnia fuisse irrita; et quamquam ii, qui sibi videantur docti et sapientes, in contemnenda meliori doctrina pergant: factum tamen esse ope divina, ut alii tirones multi, qui docilem attulissent et alienam ab omni superbia mentem, institutionem salutarem admitterent; qua in re inesse censet magnum sapientiae divinae documentum; v. 25 – 26. Disputasse autem hoc videtur Dominus eo tempore, cum septuaginta illi viri, quos miserat doctrinae melioris nuntios, laeti rediissent, ac nuntiassent, nec suis itineribus fructum defuisse; sic enim Lucas Cap. X, 1. cet. coll. v. 21. cet. rem omnem memorat. Delectatus igitur Iesus tironum suorum religiosa simplicitate, iam conversus ad populum universum, quem omnem instituere volebat et emendare, ea pronuntiat, quae enarranda nobis sumsimus.

Ac primo quidem v. 27. formula πάντα μοι παρεδόθη ὑπὸ τοῦ πατρός μου vulgo exponitur de *potestate* rerum omnium et *imperio summo*, quo sit a patre Dominus exornatus. Quam vim etsi possunt habere haec verba; nam eodem fere modo loquitur *Matth.* XXVIII, 18. vereor tamen, ut huic loco sit accommodata haec explicatio. Etenim de *doctrina et consiliorum divinorum expositione* loçutus erat in antegressis, ut iam observavimus, ac de eadem re verba

facere pergit. Subiicienda igitur formulae poteſtas eſt prorſus alia. Scilicet τὰ πάντα dicuntur interdum *de univerſa doctrina religionis;* ſic apud *Iohannem* Samaritis illa, *Cap.* IV, 25. ὅταν ἔλθῃ ἐκεῖνος, inquit, ſcilicet Meſſias, ἀναγγελεῖ ἡμῖν τὰ πάντα. Ac Dominus ipſe *Cap.* XIV, 26. ſuis praedicit: ὁ παράκλητος, ὑμᾶς διδάξει πάντα, quod *Cap.* XIV, 13. ſic eloquitur ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν. Verbum παραδίδωμι autem ſaepiſſime notat *docere, inſtituere aliquem.* Solent enim Hebraei de iis, qui aliquid *diſcunt*, uti verbo לקח, ac dicere, eos aliquid *accipere;* ſic eſt *Num.* XXIII, 20. unde לֶקַח ſaepiſſime de *doctrina et inſtitutis* uſurpatur; vid. *Prov.* I, 5. *Deut.* XXXII, 2. λαμβάνειν vero et παραλαμβάνειν in novo teſtamento *de diſcentibus;* ut 1 *Cor.* XI, 23. 1 *Theſſ.* II, 13. quam vim, ut notum eſt, etiam apud Latinos habet verbum *accipere.* De *docentibus* autem Hebraei utuntur verbis נתן, ut *Prov.* IV, 2. IX, 9. et מסר, conf. *Buxtorfii Tiberias pag.* 3 ſq. eosque *tradere* aliquid diſcentibus aiunt. Hinc δίδωμι et παραδίδωμι in novo teſtamento eſt *docere, Ioh.* VII, 22. XVII, 8. παράδοσις vero *praeceptum, inſtitutum* ſignificat; ſic legitur 1 Cor. XI, 2. ubi κατέχειν τὰς παραδόσεις eſt *obſequi praeceptis,* et 2 *Theſſ.* II, 15. ubi ſimilis formula, κρατεῖν ταῖς παραδόσεις, eamdem vim habet; adde etiam

Cap. III, 6. et *Matth.* XV, 2. ἡ παράδοσις τῶν πρεσβυτέρων eodem modo dicitur. Hunc ufum etiam apud Patres ecclefiafticos dominari fatis conftat; vid. Eufebius *Hift. Ecclef.* l. IV. *cap.* 14. pag. 203. *Ed. Stroth* 4). Hanc poteftatem verbo παραδοῦναι etiam hoc loco tribuendam cenfeo; fignificat enim Dominus, *fe effe ab ipfo patre edoctum, et accepiffe omnia, quae ad confilia Dei de humani generis falute pertineant.* Idem aliis verbis eloquitur *Ioh.* XIV, 24. et XVII, 8.

Pergit igitur: οὐδεὶς ἐπιγινώσκει τὸν υἱὸν κ. λ. Formula, γινώσκειν feu ἐπιγινώσκειν τινά eft *alicuius confilia noffe, fcire, quae fit alterius mens ac propofitum.* Sic ufurpatur *Ioh.* XVII, 25. ubi Dominus, ὁ κόσμος σε, inquit, οὐκ ἔγνω, ἐγὼ δὲ ἔγνων, *non hominibus perfpecta funt tua confilia, fed mihi funt.* Hoc itaque loco negat, *quemquam fcire, vel intelligere poffe, quis fit filius, quidve fit in orbe terrarum peracturus, praeter patrem, vel effe, qui patris confilia perfpecta habeat, praeter filium.* Inde efficit, *fe effe verum magiftrum, a quo accipere quisque debeat falutarem Dei notitiam,* addit enim: καὶ ᾧ ἐὰν βούληται ὁ υἱὸς ἀποκαλύψαι. Verbum

4) Conf. Plato in Philebo pag. 371. οἱ πρόσθεν παρέδοσαν ἡμῖν. et in Phaedro pag. 125. τραγῳδίας κόσμον ὄντα παραδιδόναι.

ἀποκαλύπτειν hic eſt *occultarum rerum ſcientia aliquem imbuere*, ut ſaepiſſime dicitur apud Hebraeos verbum גלה *conf. Dan.* II, 19. 22. 30. Alio modo hanc ipſam rem eloquitur Iohannes, *Cap.* I, 18.

Iam converſus ad gentem Iudaicam, quam eo tempore peſſimorum doctorum ſuperſtitio corruperat, et privaverat omni cognitione meliori, rogat, ut miſſis perditiſſimis magiſtris, ad ſe veniat, eamque diſcat religionem, quae ſit ad animi tranquillitatem, omninoque veram ſalutem efficaciſſima; v. 28 – 30. Οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, quos invitat, ſunt *Iudaei, legum Moſaicarum veluti onere, quas auxerat magna moleſtaque praeceptionum copia Phariſaeorum ſuperſtitio, oppreſſi ac defatigati.* Κοπιῶντες enim ſunt *feſſi, fracti laboribus et onere;* יגעים apud Hebraeos. Sic *Iſ.* XLVI, 1. legitur formula: ὡς φορτίον κοπιῶντι ἐκλελυμένῳ. Apud eundem *Cap.* XL, 28. dicitur de Deo: ὁ παντόκρατωρ, οὐδὲ κοπιάσει, *nihil ipſi deeſt, nunquam defatigatur;* et v. 30. κοπιάσουσι καὶπίσκει, *vel iuvenes deficere poſſunt ac delaſſari;* v. 31. denique οἱ ὑπομένοντες τὸν Θεὸν οὐ κοπιάσουσι, *qui fiduciam poſuerunt in Deo, iis nunquam deſunt vires.* Etiam *Deut.* XXV, 18. οἱ κοπιῶντες ſunt *extremum agmen feſſorum*, qui reliquos non ſatis ſequi poſſunt. Adde *Iſ.* XLIII, 22. 2 *Sam.*

XXIII, 10. Hoc igitur loco notat *fessam gentem Iudaicam*, quae sustinendo cerimoniarum oneri non amplius par erat. Etenim οἱ πεφορτισμένοι sunt proprie quidem illi, qui magno onere premuntur; hoc autem loco *traditionum et ceremoniarum veluti pondere prostrati Iudaei.* Hoc docet usus aliis in locis. Nam *Matthaei Cap.* XXIII, ubi Dominus copiosus est in carpendis magistrorum istius aetatis sceleribus, memorat v. 4. etiam hoc: δεσμεύουσι φορτία βαρέα καὶ δυσβάστακτα, καὶ ἐπιτιθέασιν ἐπὶ τοὺς ὤμους τῶν ἀνθρώπων. Hic manifeste φορτία illa sunt vanarum praeceptionum additamenta, quibus auxerant magistri male seduli legem Mosaicam, iam in se satis molestam. Similis translatio est *Actor.* XV, 10. ubi Petrus Mosaicae religionis instituta appellat ζυγὸν, *iugum, quod nunquam pati satis potuerit populus Israeliticus.* Haec formula de eadem, ut videtur, re legitur *Ies.* IX, 4. ubi οἱ ὁ· ἀφῄρηται ὁ ζυγὸς, ὁ ἐπ' αὐτῶν κείμενος. Frequentantur etiam imagines similes apud scriptores alios, a *vinculis* et *oneribus* ductae [5]), cum de legibus, praeceptis, ritibus sermo est. Huc pertinet *Siracidae* lo-

---

5) Dionysius Corinthiorum Episcopus apud Eusebium H. E. l. IV. cap. 23. pag. 186. Ed. Rud. monet Pinytum, ecclesiae Gnosbensis episcopum: ἀπὸ βαρὺ φορτίον ἐσαναγκες τὸ περὶ ἁγνείας τοῖς ἀδελφοῖς ἐπιτιθέναι.

cus *Cap.* VI, 24. 25. ubi praecepta ſua comparat cum vinculis, et addit: *ὑπόθες τὸν ὦμόν σε, καὶ βάσταξον αὐτὴν, καὶ μὴ προσοχθίσῃς τοῖς δεσμοῖς αὐτῆς.* Addatur locus ſimilis 1 *Reg.* XII, 9–11. De regum vero conſuetudine corporis cuſtodiam alendi, Xenophon fere eodem modo loquitur in *Hierone* Cap. VIII, 10. *τῦτο βαρύτερον φόρημα ὐδὲν ἐςι* *). Ex his itaque intelligitur, *gentem rituum legumque Moſaicarum onere preſſam* a Domino invitari.

Addit iam *cauſſam*, cur accedere debeant populares; *ἐγὼ*, inquit, *ἀναπαύσω ὑμᾶς.* Verbum *ἀναπαύειν*, ſeu *καταπαύειν* interdum exprimit Hebraicum הניח, ac dicitur de iis, *qui alicui poſt diuturnos errores ſedes oſtendunt ſtabiles;* ſic legitur *Deut.* XII, 9. 10. Hebr. IV, 8. Sed haec vis ab hoc loco aliena eſt. *Ἀναπαύειν* hic, ut res ipſa loquitur, *levare onus, ac demere* notat, cum antea de *baiulantibus* ſermo fuiſſet. Sic fere legitur *Sir.* III, 6. ubi formula eſt: *ὁ εἰσακούων κυρίε ἀναπαύσει μητέρα αὐτῦ, homo pius matris calamitates levat, quaevis onera ipſi demit.* Iam cum onus, de quo loquitur Dominus, cernatur *in lege illa Moſaica, inexorabili et moleſta:* facile intelligitur, hic promitti a Domino *religionem, omnis operoſi apparatus*

*) Conf. etiam Cyropaed. l. III. c. 1. §. 14. et Conſtitut. Apoſtol. l. 1. c. 6.

expertem. Abrogare enim volebat τὰ ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα, quibus Iudaei adhuc ἤθελον, ut ait Apostolus *Gal.* IV, 9.

Has melioris religionis leges uti lubentes accipiant, monet v. 29. Appellat autem suae doctrinae placita ζυγὸν, quoniam simili imagine antea usus erat [7]). Neque enim alias unquam Christianae religionis praecepta eo nomine appellantur, quod hic fit propter contextum; quae elegans allusio prorsus periret, si οἱ πεφορτισμένοι essent peccatorum onere laborantes. Formula μάθετε ἀπ' ἐμοῦ est satis perspicua. Monet, *se esse sectandum, non perversos populi magistros.*

Sed addit rationem, cur avocet populares a magistris religionis Iudaicae: ὅτι πρᾶός εἰμι, inquit, καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ. Nomen πρᾶος dicitur de iis, *qui sunt animo miti et humano,* quam vim etiam apud bonos scriptores habet; vid. *Aristoteles ad Nicom.* l. IV. *cap.* 5. Hic, uti postulat natura loci, dicitur *de doctore communi,* hoc est, ut cum *Plinio* loquar, *Epistol.* l. I. *ep.* 10. *de doctore obvio et exposito, qui sit plenus humanitatis et facilis adfatu.* Vid. *Sir.* III, 17. et *Zach.* IX, 9. Sic etiam capienda formula ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ, qua *animus* indicatur

---

7) Conf. Xenophon Cyrop. l. III. c. 1. §. 15.

ſuperbiae expers, et a faſtu omni alienus. Nam ταπεινῶν ἑαυτὸν dicitur de iis, *qui omnem ſuperbiam exuunt;* vid. *Sir.* III, 18. IV, 7. et 1 *Petr.* V, 5. 6. Scilicet oſtendit Dominus, *ſe eſſe longe remotiſſimum a faſtu illo inepto Phariſaeorum et reliquorum populi magiſtrorum*, ad quos plebi non patebat aditus. Late reprehendit et caſtigat eam ſuperbiam *Matth.* XXIII, 6-12. et alibi ſaepe. Ipſe vero quam communis fuerit et expolitus, vel illud docet, quod nec eam plebem contemſit, quam Phariſaeorum ſuperbia populi univerſi ſentinam putabat.

Quam iam pollicetur ἀνάπαυσιν, ea, ut iam monui, cernitur *in demto onere legum Moſaicarum*, quibus abrogatis non poterat non oriri animi laeta tranquillitas, quam adhuc impediverat legum ſeveritas inexorabilis *). Suae enim religionis praecepta oſtendit eſſe χρηστά, hoc eſt, *iucunda, quorum obſervatio ſit cum gaudio animique hilaritate coniuncta;* uſurpatur fere hoc nomen ut טוֹב apud Hebraeos. Τὸ Φορτίον τὸ χρηστὸν eſt *eadem religio perfectior*, quam antea ζυγὸν dixerat. Alludit haec formula ad leges Moſaicas et Phariſaicas traditiones, quas in nomine προσταγμάτων appellaverat Φορτία. Negat, ſe quicquam moleſti praecipere, vel in

*) In Conſtitut. Apoſtol. ſ. I. c. 6. Hic locus diſerte de removenda lege Moſaica exponitur.

iubendo asperum esse. Succurrit locus similis, qui nostrum bene illustrat, apud *Diogenem Laertium* l. I. *segm.* 63. ubi epigramma suum in Solonem, Atheniensium legislatorem proponens Laertius, eleganter canit:

θῆκε νόμους αὐτοῖς ἄχθεα κουφότατα.

Imposuit mitis non grave legis onus; ut bene vertit Grotius. — Loci itaque hactenus expositi vim sic fere eloquor: *ego sum ab ipso patre edoctus religionis magister. Nam praeter patrem nemo scit, quis sim, quidve sim in orbe terrarum peracturus; uti vicissim nec patris consilia quisquam praeter me, et eos, quos erudio, habet perspecta. Igitur, populares, cum sim divinitus constitutus religionis doctor, agite, ad me accedite. Ego vobis, molestae legis observatione sessis et succumbentibus oneri, illa praeceptorum pondera demo. Accipite meas leges, sectamini me; aditus ad me vobis omnibus patet, sum enim expositus et expers superbiae. Apud me invenietis levamen; religio enim, quam ego doceo, eas habet leges, quarum est iucundissima observatio; mea praecepta nemini possunt esse molesta.* — Haec hactenus; propediem, si Deo visum fuerit, plura dabimus.

6.

De veterum inductione ad locum Diogenis Laertii Lib. III. Segm. 53 - 55.

Diogenes Laertius in *vita Platonis*, quae est *de Vitis et Dogm. claror. Philos.* l. III, gratificatus feminae cuidam, Platonis studiosissimae, cui opus suum dicaverat, nonnulla disputat de dialogorum, quos Plato reliquit, argumento atque natura inde a segmento 47. Quod quamquam profitetur facturum sese στοιχειωδῶς καὶ ἐπὶ κεφαλαίων, copiosior tamen est in explicando argumentationis genere eo, quo plurimum usus est Plato, et quod Graeci ἐπαγωγὴν, *inductionem* Latini appellant; vid. *segm.* 53-55, quem locum fere integrum repetit *Suidas* in verbo ἐπαγωγή. Haec *Diogenis* disputatio cum sit paullo obscurior, et abhorrere videatur quodammodo ab his, quae alii philosophi antiqui, nominatim *Aristoteles*, de hoc genere argumentationis

praecipiunt: putavimus, non alienum fore ab hac opportunitate ſcribendi, ſi *quadam diſputatiuncula eum illuſtremus*, et *inductionis*, nobiliſſimae apud ſcriptores antiquos, Socraticos maxime, argumentationis *vim omnem atque naturam paullo diligentius exponamus*; praeſertim cum *Diogenis* interpretes doctiſſimi, *Aldobrandinus*, *Kulmius*, *Iſaacus* et *Merianus Caſauboni* ad hunc locum ſint breviores; *Menagius* vero ex illis ſuis divitiis fere nihil depromſerit.

Monet igitur *Diogenes ſegm.* 53. *Ed. Menag.* Platonem in argumentando frequenter uti inductione: ποιούμενος δὲ, inquit, τὰς ἀποδείξεις πλείσῳ χρῆται τῷ τῆς ἐπαγωγῆς τρόπῳ, ἃ μὲν μονοτρόπως, ἀλλὰ διχῇ. *In demonſtrando plurimum utitur inductione, eiusque non uno genere, ſed duplici.* — Quam vera ſint, quae de hoc more Platonis obſervat *Diogenes*, obſcurum eſſe non poteſt paullo diligentiori Platonis lectori. Etenim cum Socratem ubique fere diſputantem inducat Plato: hoc argumento utitur imitatus Socratis in diſſerendo conſuetudinem, *qui hoc modo ſermonis plurimum uſus eſt propterea, quod nihil ipſe aſſevre ad perſuadendum volebat, ſed ex eo, quod ſibi ille dederat, quicum diſputabat, aliquid conficere malebat, quod ille ex eo, quod iam conceſſiſſet, neceſſario ap-*

approbare deberet, ut *Cicero* ait *de Inuent.* l. I. c. 31. conf. in *Topicis* cap. 10. et *Quinctilianus de Institut. Orator.* l. V. c. 11. §. 3. *ed. Gesner.* Scilicet nihil est hoc genere accommodatius dissimulationi illi Socratis, quam servavit in omni vita; unde non modo *Platonis* libri sunt hoc argumentationis modo referti, verum etiam *Xenophontis*, quae de Socrate reliquit, *memorabilia.*

Nomen ἐπαγωγῆς, (raro scribitur παραγωγή, vid. varietas lectionis ad *Topica Ciceronis* c. 10.) illustrari posse videtur duobus modis. Ac primo quidem duci poterit *ab ipsa argumentationis natura.* Nam *illecebrae* omnis generis, et *quae facile movent hominum animos atque impellunt*, Graecis dicuntur ἐπαγωγά. Nobilis locus, qui hunc usum illustrat, est in *Epicteti Enchir.* cap. 34, ubi *Epictetus*, πρόσεχε, inquit, μή σε ἡττήσῃ το προσηνὲς αὐτοῦ, καὶ ἡδὺ, καὶ ἐπαγωγόν, ubi Scholiastes, a *Cel. Heyne* editus: ἐπαγωγὸν ἅπαν λέγεται τὸ πεῖθον, εἴτε κάλλος εἴη, εἴτε λόγος, εἴτε ἄλλο τι τοιοῦτον. Sic etiam *Xenophon* usurpat in *Memorab.* l. II. c. 5. §. 5. et *Scidas* ἐπαγωγὰ interpretatur ἀπατηλὰ, πιθανὰ, ἐφολκά. Atqui hoc ipsum πιθανὸν *Aristoteles* tribuit huic potissimum argumentationi *Topicor.* l. I. c. 10, ubi inductionem, ait, πιθανωτέραν, καὶ σαφεστέραν, καὶ κατὰ τὴν αἴσθησιν γνωριμωτέραν

esse syllogismo. Latinos etiam sic uti verbo *inducere*, satis constat; vid. v. c. *Cicero Philipp.* II. c. 32. et *Caesar* de B. G. l. I. c. 27. cet. — Sed altera ratio magis placet. Videtur enim nomen ἐπαγωγῆς inde ortum, quod haec argumentatio *exemplis* constat et *similitudine*. Nam *afferre similitudinem*, Graecis est ἐπάγειν εἰκόνα seu παράδειγμα. Sic est apud *Xenophontem* in *Oeconom.* c. 17. §. 15. ubi Socrates, ἀτὰρ, inquit, ἐνθυμοῦμαι — εἰσὶν ἐκ τοῦ εὖ τὰς εἰκόνας ἐπάγεσθαι. Unde hoc verbum frequenter usurpatur de iis, qui hoc genere argumentationis usi, exempla afferunt; vid. *Aristoteles Rhetor.* l. I. c. 2. et *Topicor.* l. VIII. c. 2. *Cicero* autem eo loco, quem laudavimus supra, ubi copiosus est in illustranda inductionis natura, utitur cap. 32. formula, aliquid *inducere* per similitudinem, et allata exemplа ipsa *inductiones* appellat. Unde inductio seu ἐπαγωγὴ nomen videtur habere ab exemplis, quibus tota continetur. Sed revertamur ad *Diogenem*.

Formas igitur inductionis antequam copiosius persequitur, notionem ipsam ἐπαγωγῆς ita describit: ἔστι μὲν γὰρ ἐπαγωγὴ λόγος, διὰ τῶν ἀληθῶν τὸ ὅμοιον ἑαυτῷ (Suid. αὐτῷ) ἀληθὲς εἰκότως ἐπιδείκνυν. *Est autem inductio sermo, e veris quibusdam simile sibi verum apte efficiens.* Illud εἰκότως non satis perspicue ab interprete

Latino translatum eſt *proprie;* rectius *Aldobrandinus* in nota convertit *accommodate.* Exponendum eſt *apte, convenienter;* vernacule dixeris: *auf eine natürliche paſſende Art.* Sic legitur apud *Xenophontem* in *Oecon.* c. 2. §. 17. ἔυρον ἐπισκοπῶν πάνυ οἰκείως ταῦτα γιγνόμενα, quod noſtri recte eloquerentur: *ich habe gefunden, daſs dies ſehr natürlich zugehe.* Unde etiam *Ariſtoteles Topicor.* l. VIII. c. 2. de ipſa inductione verba faciens, παραδείγματα οἰκεῖα dicit *exempla apta, perſpicuitatem adiuvantia.* Vult igitur *Diogenes* hoc, in inductione poſtulari quaedam *non dubia,* quae habeantur tam manifeſte vera, ut facile concedantur a quolibet; ab his eſſe *progrediendum ad alia ſimilia,* quae ſint et ipſa, ob ſimilitudinem earum rerum, quae antea conceſſae fuiſſent, probanda; idque fieri debere *convenienter et apte,* hoc eſt ſic, ut ſimilitudo eius rei, cuius confirmandae cauſſa fiat ioductio, cum inductionibus illis primis, ſeu allatis exemplis, perſpicue intelligatur.

Cum hac definitione iuvat iam comparare alias, a vetuſtis philoſophis propoſitas, ut vis ac natura inductionis planius perſpiciatur. Ac primo quidem *Ciceronis* de hac argumentatione disputatio bene convenit cum his, quae *Laertius* praecipit. Breviter tangit inductionis naturam in *Topicis* c. 10. ubi, *ſunt,* inquit,

ſimilitudines, quae ex pluribus collationibus, perveniunt, quo volunt — haec ex pluribus perveniens, quo vult, appellatur inductio. Intelligitur facile, *Ciceronis collationes* eſſe τὰ ἀληθῆ *Diogenis* h. e. *exempla quaedam manifeſta, e quibus eliciatur aliud ſimile verum.* Sed uberius hanc rem perſequitur *Cicero* alio loco, *de Invent.* l. I. c. 31. 32. ubi argumentationis, de qua quaeritur, naturam ita finit: *inductio eſt oratio, quae rebus non dubiis captat aſſenſionem eius, quicum inſtituta eſt: quibus aſſenſionibus facit, ut illi dubia quaedam res, propter ſimilitudinem earum rerum, quibus aſſenſit, probetur.* In iis, quae ſequuntur, illuſtrat hanc definitionem exemplo aliquo, et leges huius argumentationis exponit cap. 32. Re ipſa conſpirat amice cum *Diogene Cicero;* nam *res non dubiae*, quas memorat, ſunt ea, quae *vera* appellat *Laertius;* atque haec non dubia afferuntur, ut uterque ſciſcit, ad firmandum aliud, iſtis ſimile. In eo diſcedit *Cicero* a *Diogene*, quod in definiendo aliquam habuit rationem conſuetudinis Socraticorum, qui, more ſuo, interrogantes eos, quibuscum diſputabant, ita uti ſolebant inductione, ut manifeſtis quibusdam exemplis captantes aliorum aſſenſionem, facerent id, quod vellent effici, et ſic imprudentes ab eo, quod conceſſillent, ad id, quod

non conceſſuri fuiſſent, ſi praevidiſſent, deducerent. Unde etiam leges, quas c. 32. ſcribit iis, qui ſint inductione uſuri, plane ſunt accommodatae interrogationibus Socraticis, et ductae maximam partem, ex *Ariſtotelis Topicor.* l. VIII, c. 1. 2. — *Ciceronem* preſſe ſequitur *Fabius*, ut ipſe fatetur, *Inſtitut. Orator.* l. V. c. 11. unde de inductione, haec disputat §. 3: *nam illa*, ſcilicet inductio, *qua plurimum Socrates eſt uſus, hanc habuit viam; cum plura interrogaſſet, quae fateri adverſario neceſſe eſſet, noviſſime id, de quo quaerebatur, inferebat, cui ſimile conceſſiſſet. Id eſt inductio.* Add. §. 27, ubi de interrogationibus Socraticis iis praecipit, quibus inductio olim maxime ſolebat exornari. Ex his omnibus ſatis intelligitur cum hoc, in omni inductione, auctoribus philoſophis vetuſtis, *a manifeſtis exemplis veniendum eſſe ad dubia quaedam*, quae propter ſimilitudinem cum antea allatis probanda ſint: tum illud manifeſtum eſt, *notionem inductionis*, a *Laertio* et *Cicerone* traditam, *patere latiſſime*, et locum habere in quavis rerum ſimilium collatione, eo conſilio inſtituta, ut a manifeſtis lucem accipiant, iisque confirmentur incerta.

Sed ab his diſſentire videtur in finienda inductionis notione *Ariſtoteles*, graviſſimus profecto ſcriptor in hac cauſſa, cum ob incredibilem

ingenii ſollertiam et ſubtilitatem, qua ſingula perſequitur, cum propterea, quod non uno loco hac de re praecipit. Delibabimus iam ex hoc genere pauca, ut rectius intelligatur, quod infra planum faciemus, *Diogenis decreta a placitis Ariſtotelis non eſſe diverſa.* Ac primo quidem perſpicuam ἐπαγωγῆς notionem tradit *Ariſtoteles Topicor.* l. I. c. 10, ubi inductionem appellat τὴν ἀπὸ τῶν καθέκαστα ἐπὶ τὰ καθόλε ἔφοδον, ſeu, ut Suid. habet, πρόοδον, *progreſſionem a rebus ſingulis ad univerſas.* Praecipit itaque, in omni inductione a formis, alicui generi ſubiectis, argumentando veniendum eſſe ad genus ipſum. Sic igitur, hoc enim exemplum ſtatim ſubiicit, ex eo, quod peritus gubernator, et hanc artem doctus, eſt optimus, itemque auriga, efficitur enuntiatio patens latius, ut in quavis re, quicunque ſit exercitatus, is etiam ſit optimus. Haec vero inductionis notio manifeſte *anguſtior* eſt ea, quam *Diogenes* tradit, cum *Cicerone* et *Quinctiliano.* Etenim quam argumentationem illi cerni putant in quavis rerum ſimilium collatione, eam *Ariſtoteles* non niſi ad eas res trahit, *quae ſint generi cuidam ſubiectae tamquam formae*, et quarum collatione genus ipſum confirmetur, vel omnino e quibus efficiatur placitum aliquod late patens et univerſale. Hac difficultate motus *Suidas*,

quamquam praemiserat locum *Diogenis*, tamen, ut ſolet interdum ſatis negligenter res varias, pugnantes etiam, undiquaque congerere, poſtquam attulit etiam hunc e *Topicis Ariſtotelis* locum, addit: διὸ οὐχ ὑγιῶς λέγουσιν οἱ λέγοντες, τὴν ἐπαγωγὴν λέγειν εἶναι ἀπὸ ὁμοίων ἐπὶ τὸ ὅμοιον· ἀγνὲς ὅμοιον τὸ καθόλου τοῖς ὑπ' αὐτό· τῆς δὲ τοῦ καθόλου δείξεως χάριν ἡ ἐπαγωγὴ μάλιστα. Revocat igitur ex ipſe inductionem ad id genus argumentationis, quod a rebus ſingularibus progreditur ad univerſa; unde addit: ὁ γὰρ λέγων ὁ διὰ τῶν καθέκαστα τὸ καθόλου δεικνὺς καὶ πιθάνως, ἁπλῶς ἐστιν ἐπαγωγή. Atque hanc notionem copioſius confirmat *Ariſtoteles* alio loco, ubi ſubtiliter exponit inductionis naturam, eiusque tradit formulam aliquam univerſalem. In *Analyticis* igitur *Prior.* l. II. c. 23. inductionem ita deſinit: ἐπαγωγὴ μὲν οὖν ἐστι, καὶ ὁ ἐξ ἐπαγωγῆς συλλογισμός, τὸ διὰ τοῦ ἑτέρου θάτερον ἄκρον τῷ μέσῳ συλλογίσασθαι, h. e. *inductio, et ratiocinatio ex inductione fit, cum alterum extremum tribuitur medio propter alterum.* Scilicet in omni inductione cenſet ineſſe debere tria; primo quidem enuntiationem ſeu rem aliquam dubiam, quam *primum extremum* appellat; deinde exempla quaedam ſingularia, quae poſſint cum enuntiatione dubia conferri, haec *tertium* dicit; denique haec exempla quamdam habeant, neceſſe

eſt cum primo extremo ſimilitudinem; hanc appellat, *medium*, ac praecipit, propter tertium concludendum eſſe, primum extremum ineſſe in medio, hoc eſt, ab illa ſimilitudine non abhorrere; unde paucis interiectis addit: ἡ δὲ, ſc. ἐπαγωγὴ, δείκνυσι διὰ τοῦ τρίτου, τὸ ἄκρον ἐν μέσῳ, ſc. εἶναι. Igitur univerſalis quaedam formula inductionis ex mente *Ariſtotelis*, ſi primum extremum notaveris littera A, medium littera B, tertium denique littera C, haec eſt:

Omnia, quae inſunt in C, conveniunt τῷ B
Iam cum A ſimile ſit τῷ C
Cogitur, etiam A convenire τῷ B.

Liceat hanc formulam illuſtrare exemplo, quod eſt apud *Platonem de Republ.* l. V. pag. 658. Ed. Fic. Socrates igitur diſputans eo loco de optima reipublicae forma, oſtendit, eam civitatem eſſe praeclare conſtitutam, in qua ſint omnia civibus omnibus communia, ut nemo dicere poſſit τὸ ἐμόν, καὶ τὸ οὐκ ἐμὸν, *hoc meum, hoc alienum eſt*: haec enuntiatio eſt extremum illud primum, quod notavimus littera A. Ad firmandum hoc placitum affert exemplum corporis humani, quod ſit ita conagmentatum, ut, afflicta parte aliqua, doleat corpus integrum, et omnia ſint membris omnibus communia; in hoc exemplo ineſt tertium, ſeu τὸ C. Iam vero hoc exemplo facile efficitur, quo arctius ſint

devinctae alicuius totius partes, eo perfectius esse totum ipsum; haec enuntiatio est medium, seu τὸ B. Cum igitur τῷ C, seu *corporis humani*, sit aliqua similitudo cum τῷ A, seu *civitate*; consequitur, ut τὸ A propter hanc similitudinem contineatur τῷ B, hoc est, ut ea civitas sit optima, cuius cives sint arctissimo vinculo copulati. Iam cum hoc modo in omni inductione ratiocinemur, facile intelligitur, *inductionem progredi a singulis rebus ad universa quaedam*, unde paucis interiectis eodem loco observat *Aristoteles*: δεῖ δὲ νοεῖν, τὸ γ τὸ ἐξ ἁπάντων τῶν καθέκαστα συγκείμενον· ἡ γὰρ ἐπαγωγὴ διὰ πάντων. *Est autem* τὸ C *intelligendum de aliquo e singulis omnibus compositio; nam inductio efficitur ex omnibus.* Scilicet illud extremum, quod significavimus littera C, complecti debet in inductione iusta singulas formas, ei generi, quod medium appellavimus, subiectas; conf. quae eadem de re disputat *Topicor.* l. VIII. c. 2. et *Rhetor.* l. I. c. 2. Unde intelligitur, in omni inductione, si *Aristotelem* audiamus, *a formis concludi ad genus*, adeoque laborare, quae supra viderimus, *Diogenis* et *Ciceronis* de inductione praecepta, et *nimis late patere*, cum inductionis naturam tribuant cuivis rerum similium collationi, etiam ei, ubi, praetermisso genere, a similitudine unius formae

ad alteram fiat progreſſio. Hinc videtur factum, ut *Kulmius* ad locum *Diogenis* indignaretur, ac pronuntiaret, quae de inductione diſputet Diogenes, ea eſſe *deducta e fonte non liquido, ſed inquinato.* At haec perperam dici, nec eſſe inter *Ariſtotelem* et *Laertium* pugnam aliquam, planum faciemus ex his, quae ſequuntur apud *Diogenem;* ad hunc igitur revertamur.

Propoſita itaque inductionis *notione*, pergit: δύο δὲ τῆς ἐπαγωγῆς εἰσὶ τρόποι, ὅτε μὲν κατ' ἐναντίωσιν, καὶ ὁ ἐκ τῆς ἀκολουθίας. *Sunt autem inductionis genera duo; alterum, quod fit e contrario; alterum, quod eſt e conſecutione.* Haec inductionis diviſio, quam in iis, quae ſequuntur, illuſtrat exemplis *Diogenes*, ipſi videtur propria, nataque e librorum Platonicorum lectione. Eſt etiam, ſi rem volueris ad vivum reſecare, *vitioſa*, cum, quam dicit κατ' ἐναντίωσιν, ea ne ſit quidem legitima inductio, ſed contorta et fallax concluſiuncula, ut ſtatim docebimus — Ὁ μὲν οὖν, pergit, κατ' ἐναντίωσιν ἐστὶν, ἐξ οὗ τῷ ἐρωτωμένῳ περὶ πάσαν ἀπόκρισιν ἀκολουθήσει τὸ ἐναντίον. *Inductio, quae fit e contrario, eſt, cum reſpondenti, quicquid reſponderit, oſtenditur contrarium eius, quod ipſe vult.* Affert talis argumentationis exemplum hoc: ὁ ἐμὸς πατὴρ τῷ σῷ πατρὶ ἤτοι ἑταῖρός ἐστιν, ἢ ἐ-

αὐτὸς· εἰ μὲν ἄν ἕτερός ἐστι τῷ ἐμῷ πατρὸς ὁ σὸς πατὴρ, πατρὸς ἕτερος ὤν, οὐκ ἂν εἴη πατὴρ· εἰ δὲ ὁ αὐτὸς ἐστι τῷ ἐμῷ πατρί, ὁ ἐμὸς ἂν εἴη πατήρ. *Pater meus aut alius eſt, quam tuus, aut idem; ſi alius eſt tuus pater, quam meus, cum ſit a patre diverſus, non poterit eſſe pater; ſi idem eſt, qui meus, meus pater erit.* — Hoc exemplo manifeſtum eſt, quod paullo ante diximus, inductionem κατ' ἐναντίωσιν eſſe vitioſam argumentationem, et quidem ex eo genere, quod *diſiunctivum* appellat recentior conſuetudo; in quo, praetermiſſo membro uno, poſſunt incautis offundi tenebrae, quamquam argumenti ipſius nulla prorſus vis ſit. Etenim verum eſt illud: meus pater aut idem eſt tuus, aut a tuo diverſus; iam ubi pergit: ſi tuus a meo diverſus eſt, meus non poterit eſſe tuus; ſi idem eſt cum meo, meus erit pater: omittit tertium aliquod, nempe hoc, eumdem eſſe poſſe utriusque patrem ſimul. Eadem eſt ratio alterius, quod affert *Diogenes*, exempli: καὶ πάλιν, inquit, εἰ μή ἐστι ζῶον ὁ ἄνθρωπος, λίθος ἂν εἴη, ἢ ξύλον. οὐκ ἔστι δὲ λίθος, ἢ ξύλον· ἔμψυχον γάρ ἐστι, (Suid. ἔμψυχος, ſed nihil mutandum) καὶ ἐξ αὐτῶ κινεῖται ζῶον ἄρα ἐστιν. εἰ δὲ ζῶόν ἐστι, ζῶον δὲ καὶ κύων (lege ὁ κύων, ut res ipſa loquitur, et Suidas habet) καὶ ὁ βοῦς, εἴη ἂν καὶ ὁ ἄνθρωπος ζῶον, καὶ κύων, καὶ βοῦς. *Si animal homo non eſt, erit*

lapis, vel lignum; atqui non eſt lapis vel lignum, cum animum habeat, ac ſe ipſe moveat; eſt igitur animal. Iam cum etiam canis et bos animalia ſint, erit et homo animal, et canis et bos. Scilicet vitium ineſt in eo, quod nonniſi duae formae ſubiiciuntur in hac argumentatione generi animalis, praetermiſſis reliquis omnibus. Relinquitur ergo, quod inductionis genus *Laertius* appellet τὸ κατ' ἐναντίωσιν, id eſſe vitioſum, nec hoc nomine dignum. Cuius generis unde notionem hauſerit, ſtatim indicat ipſe: καὶ ἔτος μὲν ἐ τῆς ἐπαγωγῆς κατ' ἐναντίωσιν καὶ μάχην τρόπος, ᾧ ἐχρῆτο, ὰ πρὸς τὸ δογματίζειν, ἀλλὰ πρὸς τὸ ἐλέγχειν. *Hoc eſt genus illud inductionis per contrarium, ad rixas compoſitum; quo utitur*, ſc. Plato, *non in exponendis ſuis placitis, ſed in refellendis aliis.* Scilicet diſſimulandum non eſt, Platonem ſaepenumero uti artibus iis, quas in Sophiſtis vulgo ſolet ſatis acerbe reprehendere, ut concluſiunculis quibusdam contortis, tamquam praeſtigiis, homines ab his, quae clara ſunt, depellentem fingat Socratem, eique tribuat aliquam Sophiſtae perſonam. In talibus igitur locis occurrunt inductiones illae mancae et fallaces, quas *Diogenes* appellavit κατ' ἐναντίωσιν.

Veniamus ad *genus alterum*, verum illud ac praeclare a *Diogene* expoſitum, et oſtendamus,

quam bene conveniant eius praecepta cum placitis *Aristotelis*. Ὁ δὲ τῆς ἀπολυθίας, inquit, ἐστὶ διπλοῦς· ὁ μὲν τὸ ἐπὶ μέρους ζητούμενον, διὰ τοῦ ἐπὶ μέρους ἀποδεικνύς. ὁ δὲ τὸ καθόλου διὰ τοῦ ἐπὶ μέρους πιστούμενος. *Illud autem genus, quod fit e consecutione, duplex est; alterum quidem id, quod de forma quadam, generi subiecta, quaeritur, per aliam formam demonstrat; alterum, genus ipsum per formas confirmat.* Inde igitur ab hoc loco veram inductionis naturam eiusque formas exponit *Diogenes*, cum, ut iam monuimus, illud genus, quod antea memoraverat, propterea tantum videatur excogitasse, quod tales argumentationes vitiosas, sed aliquam tamen mentitas inductionis speciem, invenerat saepe in libris Platonis. Quae vero nunc de inductione tradit praecepta, ea, quam vera sint, intelligitur ex his, quae addit. Pergit enim: καί ἐστιν ὁ μὲν πρότερος, ἐπαγωγικός, ὁ δὲ δεύτερος, διαλεκτικός. *Primum genus est rhetorica inductio, alterum dialectica.* Igitur *rhetoricae* inductionis naturam ponit in eo, *si forma quaedam, subiecta generi, confirmetur collatione alius formae*, quae eodem genere contineatur, adeoque absit omnis progressio a rebus singularibus ad universalia. Manifestum autem est, talem inductionem posse alio nomine *exemplum* appellari. Hoc illustratur iis, quae

ſtatim addit: οἷον ἐν τῷ προτέρῳ ζητεῖται, εἰ ὅδε ἀπέκτεινεν ἀπόδειξις, τὸ εὐρῆσθαι αὐτὸν κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον (Suid. τὸν καιρὸν) ἡμαγμένον. *Sic quaeritur in prima, utrum iſte interfecerit; argumentum eſt, eum fuiſſe illo tempore cruentum caede.* Sententia *Diogenis* haec eſt, quae rhetorica inductione demonſtrentur, ea non eſſe debere enuntiationes late patentes et univerſales, ſed ſingulares, et, quas noſtra conſuetudo dicit, *individuales;* atque has firmari aliquo exemplo, veluti ſi ex eo, quod quis fuerit aliquo tempore cruore conſperſus, demonſtretur, eum eſſe caedis, illo tempore factae, auctorem, quoniam ſigna quaedam culpae in eo reperiantur. Quae vero cauſſa ſit, cur rhetorica inductio nonniſi in *ſingularibus* verſetur, ad univerſalia nunquam aſſurgat, ita exponit *Laertius* ἐντεχνὸς δ' ἐστὶν ὁ τρόπος τῆς ἐπαγωγῆς ὅτος, ἐπειδὴ καὶ ἡ ἐντεχνὴ περὶ τὰ ἐπὶ μέρους, ἃ τὰ καθόλου τὴν πραγματείαν ἔχει. *Dicitur haec inductio propterea rhetorum, quod omnis rhetorice in particularibus verſatur, ab univerſalibus aliena eſt.* Scilicet τὰ ἐπὶ μέρους ſunt *variae quaeſtiones et genera cauſſarum*, quae tractat rhetorice, ut ſemper, non quid univerſe aequum, iuſtum, pulcrum, vel iniquum, vitioſum, tetrum ſit, anquirat, ſed quid in hac vel illa cauſſa (noſtri appellant *einen Invidualfall*), ſit iudicandum, demonſtret.

Haec eſt vis verborum, quae ſtatim addit: ζητεῖ γὰρ ὁ περὶ αὐτῆς τῆς δικαίας, ἀλλὰ περὶ τῶν ἐπὶ μέρους δικαίων. *Neque enim hoc quaerit, quid univerſe ſit iuſtum; ſed quid ſit iuſtum in hac vel illa cauſſa.* Suidas poſt verba αὐτῆς τῆς δικαίας addit ἁπλῶς, non male, ut videtur *Kulnio.* Equidem receptae lectioni faveo, quae eſt concinnior; Plato quidem centies ſic loquitur, nunquam addito verbo ἁπλῶς. Ex his omnibus conſequitur, *quae inductio a Diogene dicatur rhetorica, eam nonniſi exempli vel ſimilitudinis habere vim*, quo genere ſolent oratores illuſtrare, quae dicunt. Conſentit *Cicero*, qui *Topicor.* c. 10. alterum ſimilitudinis genus inductionem appellat, quae ex pluribus collationibus pervenat, quo velit; alterum vero in eo cerni ait, *cum una res uni, par pari comparetur.* Haec vero poſtrema eſt rhetorica illa inductio, quam *Diogenes* memorat; quamquam *Tullius* non ſit uſus nomine.

Sed haec omnia, quamquam videntur aliena ab iis, quae ſupra commemoravimus ex *Ariſtotele*, recte ſe habent, cum *Ariſtoteles* ipſe de exemplis, vel ſimilitudine uſurpet inductionis nomen, eamque diviſionem, quam *Laertius* laudat, ſua auctoritate confirmet. Ac primo quidem in *Rhetor.* l. I. c. 2. poſtquam monuerat,

omnem argumentationem in dialecticis dici vel ἀπαγωγὴν, vel συλλογισμὸν, *in rhetorica*, docet, *haec genera aliud accipere nomen*: syllogismum appellari *enthymema*; exemplum vero *inductionem rhetoricam*; καλῶ δ' ἐνθύμημα μὲν, ῥητορικὸν συλλογισμὸν, παράδειγμα δὲ ἐπαγωγὴν ῥητορικήν. πάντες δὲ τὰς πίστεις ποιοῦνται, διὰ τὸ δεικνύναι, ἢ παραδείγματα λέγοντες, ἢ ἐνθυμήματα. Ex hoc loco, quem iam notaverat *Aldobrandinus*, intelligitur, propositam a *Diogene* divisionem non abhorrere ab *Aristotelis* decretis, vel usu vetusto. Nec pugnant cum hoc loco, quae alibi praecipit *Aristoteles*, ubi παράδειγμα, seu exemplum, *distinguit* ab inductione. Sic in *Analyt.* Prior. l. II. postquam c. 23. formulam dederat inductionis universalem, quam proposuimus supra: adiungit c. 24. similem formulam exempli, et in fine capitis demonstrat, qua in re exemplum ab inductione differat. Nam quod exemplum diversum esse dicit ab inductione, ex eo non consequitur, ut, cum utriusque argumentationis aliqua sit similitudo, non possit interdum *communi inductionis nomine* appellari; quod *Aristotelem* ipsum fecisse, locus docet, quem paullo ante protulimus e *Rhetoricis*. Sic etiam capiendus est locus alius *Topicor.* l. VII, c. 1. ubi seiungit quidem similitudinem ab inductione; sed ab inductione, angustius dicta, et

quam Dialectici appellant; cum enim latius accipitur nomen ἐπαγωγῆς, exemplum ſimul comprehendit.

Supereſt igitur inductionis, quam modo memoravimus, ſtrictius ac proprie dictae natura, quam *Laertius* ita exponit: ὁ δὲ ἕτερος ἐστὶ διαλεκτικὸς, προαποδειχθέντος τοῦ καθόλου, διὰ τῶν (Suid. rectius, ut videtur, τοῦ) ἐπὶ μέρους· οἷον ζητεῖται, εἰ ἡ ψυχὴ ἀθάνατος· καὶ εἰ ἐκ τῶν τεθνεώτων οἱ ζῶντες, ὅπερ ἀποδείκνυται ἐν τῷ περὶ ψυχῆς διά τινος καθολικοῦ, ὅτι ἐκ τῶν ἐναντίων τὰ ἐναντία. *Alterum genus eſt dialecticum, in quo ante omnia genus aliquod probandum eſt per ſingulas; ut cum quaeritur, utrum animus ſit immortalis, et utrum viventes exoriantur e mortuis. Hoc in libro de animo demonſtratur enuntiatione late patente: contraria e contrariis exoriri.* Praecipit igitur, inductionis *dialecticae* hanc eſſe vim, ut *a ſingulis progrediatur ad univerſa*, et recte poſcit enuntiationem aliquam univerſalem, allatis exemplis confirmatam, demonſtratamque; haec enim eſt illa ἀπὸ τῶν καθέκαστα ἐπὶ τὰ καθόλου ἔφοδος, quam *Ariſtotelem* ſciſcere ſupra vidimus. Sic in exemplo, quod affert, ineſt enuntiatio univerſalis, *contraria fieri e contrariis*, ad quam perventum eſt, ut ſtatim uberius docebitur, per ſingula. Quod vero ait, immortalitatem animi hac enuntiatione demonſtrari ἐν τῷ περὶ ψυχῆς, id

ad Platonis *Phaedonem* pertinet, quem ſermonem ſcriptores antiqui, ut eſt ex omni antiquitate longe celeberrimus, vulgo τὸν περὶ τῆς ψυχῆς, ſc. διάλογον, vel τὸ περὶ ψυχῆς γράμμα, vel βιβλίον appellant; unde *Cicero librum, qui eſt de animo* dicit, *Tuſcul.* I. c. 11. qua de re plura congeſſit *Fiſcher, Vir. Cel.* in obſervatione ad indicem eius ſermonis, non praetermiſſo hoc ipſo *Laertii* loco. Ipſa vero disputatio, quam exempli loco ex eo dialogo affert, eſt ſubtilis illa et ampliſſima argumentatio, quam Socrates explicat inde a §. 48. *ed. Fiſch.* — Enuntiatio autem univerſalis et late patens, quam ineſſe debere cuivis inductioni docet *Laertius*, invenienda eſt *per collationem exemplorum ſingulorum*, et ex his efficienda; hoc breviter ſic eloquitur: καὶ αὐτὸ δὲ τὸ καθόλου κατασκευάζεται ἐκ τινῶν ὄντων ἐπὶ μέρους (rectius, ut videtur, Suidas: ἐκ τινῶν τῶν ἐπὶ μέρους, nam vulgata lectio videtur ex errore orta, temere repetito antegreſſae ſyllabae ſono) οἷον ὅτι τὸ καθεύδειν ἐκ τοῦ ἐγρηγορέναι, καὶ ἀνάπαλιν, καὶ τὸ μεῖζον ἐκ τοῦ μικροτέρου, καὶ ἀνάπαλιν· τούτῳ δὲ ἐχρῆτο εἰς τὴν τῶν ἐναντίων δεικνύντων κατασκευήν. *Atque id ipſum univerſale efficitur e particularibus quibusdam; veluti quōd ſomnus e vigilia, et contra, maius e minore, et contra, exoritur. Hoc inductionis genere uſus eſt* Plato *ad exponenda ſua placita.*

Haec igitur petita ſunt ex ea Platonis diſputatione, quam iam indicavimus; ibi enim e pluribus exemplis efficitur hoc, contraria e contrariis oriri; vid. inprimis §. 51. unde conſequi putat Plato illud, quod in eo ſermone ſtudioſiſſime firmat ac varie, ut e morte vita oriatur, adeoque morti ſuperſtes ſit animus humanus. Quae vero hic diſputantur a *Diogene* de natura inductionis dialecticae, ea, facile intelligitur, quam accurate conveniant formulae illi, ex *Ariſtotele* ſupra allatae, et quam ſint ad hanc regulam exacta. Etenim quam dicit in inductione ante omnia adeſſe debere *univerſalem enuntiationem*, eam *Ariſtoteles medium* appellat; *exempla* vero, quibus firmatur haec enuntiatio, ab *Ariſtotele* dicuntur *tertium; demonſtranda denique res*, cuius cauſſa afferuntur exempla, *extremum primum;* ut in exemplo, a *Diogene* allato, enuntiatio, contraria oriri e contrariis, medium eſt; hoc firmatur exemplis, e ſomno vigiliam, e minore maius, cet. exoriri, in his igitur ineſt tertium; oſtenditur denique, eodem modo e morte vitam naſci, adeoque animum humanum immortalem eſſe; in hoc eſt primum extremum, quod ſic oſtenditur eſſe in medio. Atque hoc modo facile poſſunt inductiones omnes, quae apud ſcriptores Socraticos frequenter leguntur, revocari ad hanc formulam et exigi.

Supereſt, ut ex his, quae diſputavimus ad locum *Diogenis*, eliciamus nonnulla, quae iam ſatis manifeſta putamus. Ac primo quidem liquido conſtat, *Diogenem de inductione non praecipere perperam et male*, ut *Kühnio* viſum, ſi diſceſſeris ab eo genere, quod appellat κατ' ἐπαγωγήν. Docuimus enim, hoc genus a *Diogene fingi*, et alienum eſſe ab inductionis natura. — Deinde manifeſtum eſt, nomen ἐπαγωγῆς apud ſcriptores antiquos *duplicem habere poteſtatem*, quarum altera pateat late, et comprehendat etiam exempla quaevis; altera, in anguſtum concluſa, non niſi legitimam aliquam argumentationem indicet. Illam in definiendo ſecuti ſunt *Diogenes*, *Cicero*, *Quinctilianus*; hanc nomini vulgo ſubiicit *Ariſtoteles*. — Nunc etiam poterit iudicari illud, quod ſolet a Dialectices magiſtris recentioribus praecipi, *quae apud nos dicatur inductio, eam ab antiqua illa Socraticorum eſſe diverſam.* Qui ſi hoc volunt, inductionis genus, quod a nobis tradatur, alienum eſſe ab ea inductione, quam antiqui *rhetoricam* appellant, praecipiunt illi quidem veriſſime; rhetoricam enim inductionem, oſtendimus, eſſe exemplum quodcumque demum. Sed quae apud veteres appellatur *dialectica* inductio, ea profecto *minime diverſa eſt ab inductione, quam nos dicimus.* Et enim apud veteres,

cum praecipiunt de legibus dialecticae inductionis, praetermittunt id, quod noſtri ſolent inculcare ſtudioſe, *exemplum nullum eſſe praetermittendum* in plena et legitima inductione, id non habet hanc vim, ac ſi aliter iudicaſſent ea de re. Eos enim et ipſos poſtulaſſe exemplorum *omnium* plenam et abſolutam enumerationem, quamquam in inductionis definitione id vulgo taceant, intelligitur ex his, quae *Ariſtoteles* diſputat Topicor. l. VIII. c. 2. ubi praecipit, ſi quis in inductione multarum rerum, cum multa ſint allata exempla, tamen voluerit negare, ab his poſſe ad genus totum perveniri: ab eo poſtulari poſſe, ut exceptionem afferat, hoc eſt, exemplum aliquod, ab eo genere, quod demonſtrare voluerimus, abhorrens. Sic praecipere *Ariſtoteles* non poſſet, niſi putaſſet, inductionis vim cerni in eo, ut *omnia* exempla enumerentur, eandemque frangi, ſi oſtendi poſſit, exemplum aliquod, idque alienum a genere toto, praetermiſſum eſſe. Hoc expreſſe docet eo loco, quem attulimus iam ſupra ex *Analyt. Prior.* l. II. c. 23. δεῖ δὲ νοεῖν, inquit, τὸ γ τὲ ἐξ ἁπάντων τῶν καθέκαστον συγκείμενον· ἡ γὰρ ἐπαγωγὴ διὰ πάντων. Tertium igitur debet ex *omnibus* formis, generi ſubiectis, eſſe conflatum, quae ſi omnes enumeratae fuerint, legitimam inductionem efficiunt. Ceterum lubenter fateor, ſcriptores

antiquos, cum utantur hoc inductionis genere, raro enumerare omnia exempla, quod apud nos ſolent Dialectici poſtulare acerbius; ſatis enim, illi exiſtimabant, firmam eſſe inductionem, ſi, propoſitis exemplis pluribus, adverſarius non habeat, quod excipiat, neque in eo videntur erraſſe. Sed hoc ipſum fecit, ut recentioribus videretur antiqua inductio plane diverſa ab hac noſtra: quae opinio, ſi diſceſſeris ab eloquendi modo et ornatu eo, quem antiqua inductio accipit ex interrogationibus Socraticis, a vero alieniſſima eſt.

Sed veniendum eſt ad id, cuius cauſſa haec ſcriptiuncula prodit. Eſt igitur *conferendis ſummis in philoſophia honoribus* ab Ordine Philoſophico in hac academia dictus dies proximus XVII. Octobris. Pro munere itaque, quo Ampliſſimus Ordo per hoc ſemeſtre nos ornavit, eos omnes, qui voluerint exſtare monimentum aliquod publicum diligentiae et eruditionis ſuae, invitamus et hortamur, ut id petant a noſtro Ordine, eumque ſibi ſperent aequiſſimum. Quae res uti cedat feliciter, eaque ſiat ad communem omnium, et cuiusque privatam utilitatem ingens acceſſio, vehementer optamus.

7.

Consilium bene merendi de universo humano genere ingenii. supra hominem elati documentum.

Etsi omnis historia hoc habet, ut varietate rerum ac novitate eventuum ducat legentium animos, et afficiat insigniter; optimus tamen quisque movetur inprimis eorum memoria, qui, praeclari facinoris, aut artis bonae famam quaerentes, hoc egerunt, ut ingenio, laboribus, virtute, sapientia denique reliquis ventri deditis atque somno antecellerent, suique memoriam quam maxime longam efficerent. Quorum uti quisque fuit laborum patientissimus, in contemnendis vero voluptatibus, honore, divitiis, omninoque rebus humanis fortissimus: ita solet maxime coli, et admiratione dignus haberi. Sed quoniam in magna rerum copia aliud fere solet alii natura iter ad gloriam ostendere; etsi magnam nominis famam omni tempore habuerunt ii, qui civitates aut nationes bello divicerunt:

eorum tamen memoriam, qui, alieni ab ea ferocia, quae vulgo folet inefle in victoribus, profuere quamplurimis, et auxere laboribus, ingenio, prudentia rerum publicarum falutem, quis eft, quin maxime deveneretur et amet? Quorum conflia quafi pleniore ore laudamus, quo graviora fuerunt emolumenta, quae pepererunt; et quo maior eorum multitudo, de quibus bene meriti funt. Cum igitur gentium fingularium focietates, et rerum publicarum, ab immenfa illa generis humani focietate in exiguum anguftumque concludantur: quantum et quam divinum cenfebimus, *omnibus* prodeffe velle, et elaborare in eo, ut ad *communem hominum omnium utilitatem* aliqua fiat acceffio? Etenim ut is, qui reipublicae prodeft, facile praeftat ei, qui tantum fuis; ita, qui de univerfo humano genere bene mereri poffet, immenfo propemodum fpatio poft fe relinqueret reliquos omnes. Tantae vero magnitudinis fpeciem, fi hiftoriam audimus, nemo complexus eft animo praeter *auctorem Chriftianae religionis*, in quo fuit mentis tanta altitudo, et hominum omnium tantus amor, ut corrigendi genus humanum ac beandi ingens conflium caperet. Quod conflium mihi femper tantum vifum eft, ut, fi nullo alio argumento conftaret, Iefum fuiffe oratorem divinum, humanoque

generi divinitus concessum sotera, vel sola tantae rei contemplatio ad colendam eius auctoritatem me moveret. Sed observasse mihi videor, hunc locum ab his, qui religionis Christianae veritatem demonstrent, fere negligi. Quamquam enim copiose de beneficiis iis disserunt, quae sunt a Domino humano generi tributa: hoc tamen vulgo praetermittunt, *ipsam deliberationem, ipsumque, haec omnia tribuendi consilium tantum esse ac tam excelsum, ut satis ostendant, Iesum fuisse virum plane singularem ac divinum.* Hac igitur de re nunc pauca differere, mecum constitui. Ac primo quidem *ipsum consilium Domini, de universo genere humano bene merendi, quale fuerit, et qua in re positum,* paucis ostendam; deinde docebo, *ante tempora Iesu neminem tanti consilii vel notionem habuisse*, et maximorum hominum animos ad eius animum fuisse angustos; demonstrabo denique, *quam vim habeat hoc consilium ad firmandam auctoritatem Iesu, et declarandam dignitatem eius singularem atque divinam.*

Non iam disputabimus *de moribus et animo* Iesu, cuius notationem ac veluti imaginem iam alii satis accurate expressérunt [1]).

---

1) Veluti *Duchal* in *Presumtive Arguments for the Truth*

Nec ea pars consilii Iesu hic a nobis attingenda est, *quae cernitur in expiandis morte violenta, et eluendis sanguine generis humani delictis*; quod beneficium quamquam et ipsum late patet, et ad omnes pertinet, hic propterea a nobis praetermittitur, quod nonnisi ea hic memorari possunt, quibus etiam *alii viri probi* interdum devinxerunt sibi genus humanum, ut ex hac comparatione intelligatur, quam angusti etiam optimorum hominum animi fuerint, si contendantur cum auctore Christianae religionis, qui non propinquis, non patriae, sed universo generi humano consulere secum constituerit. Intactas vero relinquimus in hac causa lites eas, quas nuper excitavit acerbus ille Guelpherbytanus disputator de consilio Iesu; cuius furer cum sit ab aliis iam satis repressus [2]): nos hac in re sequemur scriptores re-

---

of the Christian religion, Serm. I. cuius libri vernacula versio prodiit *Tigur.* 1762. Addenda sunt, quae S. V. *Less* habet: *Wahrheit der Christl. Rel.* pag. 627 sqq. et *Rich. Steele* in libello, cuius vernacula versio inscribitur: *Christlicher Held, oder Beweis, dass keine andern Grundsätze, als die von der Religion hergenommen werden, einen grossen Mann zu bilden, fähig und hinlänglich sind:* inprimis pag. 45 sqq.

2) Conf. inprimis S. R. *Selbstschlag Antibarbarus, part. II Berol.* 1779. et *Semleri, Fort. Cel. Beantwortung der Fragmente eines Ungenannten, insbesondere von dem Zwecke Jesu und seiner Jünger.* Huc etiam pertinet *Guil. Bell,*

rum ac vitae Domini ſacros, ac docebimus breviter, quae fuerint eius conſilia, et quid actum ſeſe, profeſſus ſit, inter homines.

Sunt autem duo, quae ſcriptores de conſilio Ieſu tradunt; primo quidem hoc, eum conſulere voluiſſe *omnibus*, et complecti *univerſum genus humanum;* deinde beneficium, quod hominibus tribuere voluerit, ponunt in *emendatione hominum omnium, qua perduceretur ad ſempiternam felicitatem.*

Continuit quidem ſeſe, dum in his terris viveret, Chriſtianae religionis auctor Palaeſtinae finibus, exteros docendo vix attigit. Profeſſus etiam eſt, ſuam operam popularibus tantum deberi [3]), quos ita docuit, ut, uſus quavis opportunitate, ad morum emendationem et honeſta quaevis eos cohortaretur. Iuſſit etiam ſuos, dum ipſe adeſſet, nonniſi Iudaeos docere, exteros, atque ipſos etiam Samaritanos, intactos relinquere [4]). Sed cum haec ageret, ſaepiſſime declaravit, ad ſuam curam *omnes* omnino homines pertinere, nec Iudaeos tantum caros eſſe

Argli Unterſuchung der göttlichen Sendung Johannis des Taufers und Jeſu Chriſti, cuius libri verſionem nuper dedit *Henke*, *Vir. Cel.* quam etiam epimetro adverſus disputatorem illum auxit. — Alios multos iam praetermitto.

3) Vid. *Matth.* XV, 24.

4) Conf. *Matth.* X, 5.

Deo, cuius auspiciis missum se aiebat. Sic cum aliquando, apologo quodam proposito, doctrinae suae sectatores cum semine bonae indolis comparasset, monuit ipse, agrum, in quo crescere debeat hoc semen, esse τὸν κόσμον [5]), et indicavit, se effecturum, ut ubique sint homines verae virtutis studiosi. Et cum alio tempore centurioni Romano beneficium aliquod tribuisset, miratus hominis ingenuam indolem, praedixit fore, ut multi ex universo terrarum orbe barbari felicitatis eius participes fiant, qua fruantur pii maiores Iudaeorum [6]). Unde etiam suis, per quos humano generi consulere volebat, praedixit, ipsos a popularibus perditis omni quidem modo vexatum iri; sed eam rem habituram esse hanc vim, ut et Iudaei, et reliquae gentes instituantur, ac sapere discant [7]). Solebat sectatores suos saepe describere imaginibus, a grege desumtis; hinc alio loco fatetur, se etiam alias oves, praeter has, quas tunc curaret, hoc est, praeter Iudaeos habere, quarum curam in posterum acturus sit [8]). Clarissime vero consilium suum late patens et homines omnes complexum aperuit, cum ex orbe

5) Vid. *Matth.* XIII, 38.
6) Vid. *Matth.* VIII, 11.
7) *Matth.* X, 18.
8) *Conf. Ioh.* X, 16.

terrarum diſceſſurus, extrema mandata ſuis daret, eosque iuberet, factis per orbem terrarum itineribus, inſtituere gentes omnes, atque corrigere [9]). Neque ſic complexus eſt Chriſtianae religionis auctor aequales tantum ſuos ſuorumque; ſed cum converſio illa, quam moliebatur, tanta eſſet, ut ad omnem poſteritatem pertineret, et per futuras hominum aetates porrigeretur: facile intelligitur, eius conſilium eſſe ita comparatum, ut maius auguſtiusque cogitari nullo modo poſſit.

Sed nec praeclarius cogitari poteſt, et humano generi utilius. Nam conſtituit ſecum Chriſtianae religionis auctor *corrigere homines omnes*, et, qui praeceptis ſalutaribus obtemperare vellent, eos *perducere ad veram felicitatem*. Tria autem ſunt, quibus illa emendatio, quam efficere decreverat, continebatur. Ac primo quidem *evertere voluit et abrogare cultum illum Deorum*, qui eo tempore late dominabatur per omnem terrarum orbem, et a quo veluti fonte manabant ſcelera fere omnia. Saepe enim profitetur, ſe ad religionem patriam adducturum gentes reliquas, quae doctrinae de Deo uno ſuperſtructa erat tamquam fundamento. Quod placitum cum ſit coniunctum

9) Vid. *Matth.* XXVIII, 19. 20. *Marc.* XVI, 15. 16.

cum multis aliis, ut de providentia Dei, et cura rerum humanarum, de animi immortalitate, aliisque multis, sine quibus nulla est mentis sapientia, nulla animi tranquillitas: manifestum est, Christianae religionis auctorem voluisse genus humanum gravissimarum rerum scientia augere, et ad veram sapientiam adducere. — Alterum, quod perficere secum constituerat, cernitur in *emendatione morum et animi ad veram virtutem conformatione.* Monet enim suos, uti gentes omnes observare iubeant, ac tenere, quae praecepisset, omnia [10]). Atqui ea praecepta proposuit, quibus nihil cogitari potest praestantius, nihil ad corrigendos hominum animos efficacius, nihil denique ad augendam generis humani felicitatem utilius [11]). Efficere itaque apud homines omnes illud decrevit, quod, uti liberis, propinquis, civibus contingeret, omni tempore optavit optimus quisque, et quod semper difficillimum iudicatum est a philosophis omnibus. — Voluit denique

---

10) Conf. *Matth.* XXVIII, 20.

11) Conf. *Essai de philosophie morale, attribué à Mr. de Maupertuis, chap. VI.* Alios enim, qui hoc argumentum tractarunt, iam praetermitto, quoniam, cum sint Christianae religionis doctores, videri facile possunt partium studiosi. *Maupertuisius* autem nemini erit in hac causa suspectus, vel nimium favere videbitur Christianae religionis dignitati.

genus humanum communi quodam amoris et amicitiae vinculo ita devincire, ut, odio omni deleto, et conciliatis opinionum doctrinarumque vanarum divortiis, *generis humani non nisi una civitas et respublica esset*, vel, ut ipse ait, *unus grex, cui praesit pastor unus.* Hinc fit, ut copiosissimus sit in commendanda hominum omnium caritate, ac saepissime moneat, sectatoribus suis hoc agendum esse, ut ipsis sint eadem studia, eaedemque voluntates [12]). Quod igitur Pythagoras in amicitia paucorum voluit, *ut unus fiat e pluribus* [13]); eam animorum consensionem efficere voluit Christianae religionis auctor in hominibus omnibus, atque sic devincire humani generis societatem. Quae [illegible] omnium colligatio ac familiaritas, quis non videt, quam salutaris sit, et ad efficiendam etiam singulorum felicitatem necessaria; atqui huic amori omnium erga omnes tamquam fundamento imposuit Christianae religionis auctor praeceptorum suorum veluti aedificium [14]). Ex his omnibus intelligitur,

12) Conf. *Luc.* X, 25. sqq. *Matth.* XXII, 34 — 40. ret. Inprimis autem hoc pertinet Iohannis Evangelium, quod, hunc amorem fere semper a Domino inculcatum esse, satis docet.

13) Vid. *Cicero de Officiis* l. I. cap. 17. et *de Legibus* l. I. cap. 18.

14) *Plato* cum videret, quam efficax sit omnium erg

consilium, quod Iesus ceperit, non modo maximum esse et patere latissime, verum etiam ita comparatum, ut omnia complectatur, quae humanam felicitatem efficiant, augeant, atque conservent, adeoque tali consilio cogitari posse nihil divinius.

Sequitur, ut ostendamus, *ante auctorem Christianae religionis rem tantam ac tam praeclaram in mentem venisse nemini; sed Iesum fuisse primum, qui studium iuvandi homines, eorumque commoda augendi, ad omnes traduceret.* Etsi enim iam ante tempora Christi multi fuerunt viri nobiles et eximii, qui omnes vires, omnemque vitam ad usum aliorum transferrent, iisque vel ingenio et sapientia, vel virtute et constantia praecellent: omnes [illegible]

---

omnes benivolentia ad augendam [illegible], nec intelligeret, quo demum vinculo arctius devinciri posset humana societas: in libris iis, quos *de republica* scripsit, ita finxit civitatem suam, ut communes, [illegible], uxores *esse deberet*, *communem etiam prolem*. Sic enim putabat cives omnes ex necessitate et amoris vinculo coniungi posse, quos *fratres*, *parentes et liberi*, omnisque consanguinei continerentur. Hoc enim fuisse philosophi consilium, cum [illegible] illam maximam omnes suaderet, ipse hic docet *de Republ.* l. V. pag. 699. Quod itaque *Plato* [illegible], nunquam [illegible] esset in *parva civitate*; id *plurimis plane* [illegible] perficere decrevit Christianae religionis auctor *apud homines omnes*, apud multos perficit; atque hic videmus, quantopere divina sapientia superet humana commenta.

16 [e]

niſi generis humani *cuidam parti* ſua ſe debere exiſtimarunt. Nemo unquam fuit, qui ad amorem hominum *omnium* erigeret animum, vel emendandi genus humanum conſilium capere auderet; a quo conſilio quam alienus fuerit etiam optimorum hominum animus, ex eo intelligitur, quod ultra *patriae* fines, quam unam omnes omnium caritates complexam eſſe, *Cicero* ait, nemo fere unquam progreſſus eſt. Unde factum eſt, ut talis tantique conſilii, quale quantumque cepiſſe vidimus Chriſtianae religionis auctorem, apud veteres ne *notio* quidem reperiatur. Quod ut luculentius pateat, primo quidem *eorum, qui de genere humano bene meriti cenſentur, memoriam breviter recolemus*; deinde *oſtendemus, nec praecepta philoſophorum de moribus tantae magnitudinis continere veſtigia*; contemplabimur denique *fabulas antiquorum poetarum*, ut intelligatur, *ipſos poetas tale ac tam praeclarum conſilium ne fingendo quidem attigiſſe.*

Etſi igitur eorum virorum memoria, qui beneficiis cumularunt alios, et virium omni contentione auxerunt ſalutem publicam, animo meo ſemper iucundiſſima fuit; ab eorum enim iniquitate alieniſſimus ſum, qui, cupiditate abrepti neſcio qua, cenſent, homines, a vera religione alienos, nihil gerere, moliri potuiſſe

nihil, quod sit laude dignum, vel probandum: hoc tamen verissime dici puto, inter tot praeclaros homines, in quos hodieque tanquam in illustria exemplaria intueri quemque decet, fuisse neminem, qui angustias illas humanae mentis superaret, atque *omnes* iuvandi homines consilium aliquod caperet. Atque ut initium faciamus ab *Hercule*, qui maximum nomen apud veteres adeptus est praeclaris facinoribus ac beneficiis, in genus humanum collatis, tale tamen ac tam salutare consilium ab eo captum esse, quis quaeso censuerit. Etenim ut taceam, veteres ne scivisse quidem satis, quem potissimum Herculem colerent; plures enim fuisse, quorum praeclare facta tandem in unum congererentur, antiqui scriptores ipsi fatentur [15]): quis nescit, ne fabulas quidem tale consilium Herculi tribuere, qui ira Iunonis ad delenda monstra *invitus* fere impellitur. Nec laborasse traditur in instituendo, corrigendo, formando humano genere, sed in liberandis hominibus a variis monstris, ac defendenda viribus manuque aliorum vita. Cuius beneficii fructum ne percepere quidem omnes homines, sed fuit quibusdam gentibus, inter quas versatus esse perhibetur, proprius. — *Ur-*

15) Cons. *Cicero de Nat. Deor.* L. III. c. 16.

bium vero *conditores*, qui congregatam multitudinem e prima illa feritate ad manſuetudinem traduxerunt, ac docuerunt, uti communi iure, et legibus obtemperare, etſi praeclare de ſuis meriti ſunt, longiſſime tamen abſunt ab inſtituto illo ampliſſimo, quo auctor Chriſtianae religionis, fuſos quaſi ac diſſipatos per orbem terrarum homines congregare, et aliquam generis humani civitatem ingentem condere decrevit. — Atque ſic etiam de iis iudicandum eſt, *qui viribus ac manu patriam vel defenderunt, vel auxerunt opibus.* Talibus exemplis abundarunt olim Graeci et Romani; quis enim ignorat Miltiadis, Themiſtoclis, Leonidae, Ageſilai, Epaminondae, Philopoemenis, Bruti, Fabricii, Camilli, Marcelli, Scipionum aliorumque animos elatos, praeclare fortiterque facta, patriaeque ſanctiſſimum amorem? Quorum virorum virtutem, rerum humanarum contemtum, ſapientiam et animi magnitudinem, qui non miratur, et amat, vel tantis exemplis non movetur et accenditur: nae, eum humilem cenſeo, et honeſti ſenſu fere expertem. Sed tantorum virorum magnitudo quid eſt ad excelſum Ieſu animum, qui non anguſtis *patriae* finibus cohibetur, ſed homines *omnes* cives cenſet, omnibus conſulit, omnes iuvare decernit et beneficiis augere? Fuerunt quidem

olim, qui universum genus humanum animo complecterentur quodammodo, sed magis *stulte et arroganter*, quam prudenter et pie. Talis fuisse perhibetur *Sesostris*, *Alexandri*, *Pyrrhi* libido, vel potius furor, qui vastassent quidem, si potuissent, terrarum orbem, et sub iugum misissent genus humanum; digni autem vix sunt, quorum nomina hic legantur, cum de his instituta disputatio sit, qui consilio, prudentia, virtute *profuerint* aliis [16]). Quae autem *Xenophon* de *Cyro* reliquit, ea, ut cum *Cicerone* loquar, non ad historiae veritatem, sed ad institutionis exemplum scripta sunt [17]), nec tamen assequuntur eam animi magnitudinem et consiliorum praestantiam, quas fuisse vidimus in auctore Christianae religionis. Idem dicendum est de *Caesare*, cuius excelsum animum ac virtutes plane singulares tantopere mirantur veteres — [18]) Veniamus ad *legum latores*, et

---

16) Cons. *Seneca de Benef.* l. I. c. 13. Nec poenitebit legisse, quae de talibus consiliis praecipit *Th. Abbt*, *Vom Verdienst* pag. 261 sqq.

17) Cons. *Diog. Laert.* l. III. *segm.* 54. et quae *Menagius* ad eum locum notavit.

18) Cons. quae de animo Caesaris disputat, veterum auctoritatibus usus, *Berger*, in libro aureo, *de naturali pulcritudine orationis* pag. 84 sqq. Verissimum est *Fergusoni* de hoc viro iudicium: *der Gegenstand der Begierde des Cäsars war nicht, groß oder gut, sondern der erste zu seyn und zwar in Ansehung der Sachen, die von dem*

philoſophos. Atque illis quidem, dici non poteſt, quantum debeant civitates, et quam ſalutare ſit conſilium, gentes formandi legibus, et respublicas conſtituendi [19]). Igitur recte laudantur ſeptem illi Graeciae ſapientes, non tam propter philoſophandi ſubtilitatem, quam prudentiam et aequitatem; fuerunt enim, ut veriſſime Dicaearchus ait apud *Diogenem* [20]), ἔτε σοφοὶ, ἔτε φιλοσόφοι, συνετοὶ δέ τινες καὶ νομοθετικοί. Sed quam alieni fuerint legum latores antiqui ab voluntate illa in univerſum genus humanum, et a conſilio, iuvandi omnes, non modo illud docet, quod patriae potiſſimum rationem habuerunt, ac debuerunt habere; verum etiam illud declarat, quod admiſcuerunt legibus ſuis non pauca, quibus formarentur cives duri ac feroces, proni ad bella et imperandi libidinem, ſuperbi denique ac barbaros prae ſe contemnentes. Quae omnia cum ſint ſatis manifeſta, praeſertim ſi de civitatibus Lacedaemoniorum Romanorumque cogitaveris, iam non

---

groſſen Haufen bewundert werden; lieber der erſte in einem Dorfe, als der zweite in Rom. Vid. *Grundſätze der Moralphiloſophie*, cuius libri verſionem vernaculam dedit *Garve Vit. Cel.*

19) *Legenda ſunt*, quae *Cicero* disputat *de Officiis* l. I. c. 22. ad minuendam eorum opinionem, qui arbitrantur, res bellicas maiores eſſe, quam urbanas.

20) l. I. *ſegm.* 40.

latius perſequar. — *Philoſophorum* vero ſi prudentiam, amorem in genus humanum, ſtudium denique et ardorem, inſtituendi quamplurimos ac formandi ſpectaveris, facile princeps eſt *Socrates*. Quis enim eſt, qui virum de inſtitutis ſuis differentem audire apud *Platonem* in *apologia*[21]) poſſit, quin commoveatur, et admiretur animi illam magnitudinem, qui conſilii ſui memor, res humanas omnes infra ſe poſitas deſpiciat. Negat enim, ſe mortis periculo abſterreri a conſuetudine cum civibus, vel impediri poſſe, quominus aliis proſit, eosque, quavis opportunitate uſus, ad honeſta quaevis cohortetur. Negat, ſe moveri iudicum ſuorum auctoritate, vel obtemperare ipſis poſſe, ſi docendi venia ſe privare vellent, et addit magnificam illam vereque divinam vocem: *πείσομαι δὲ τῷ θεῷ μᾶλλον, ἢ ὑμῖν.* Profitetur, ſe Dei quodam beneficio civitati conceſſum eſſe, et tanti officii memorem, per tot annos, neglecta re familiari, unice intentum ſaluti publicae, adire ſigillatim civem quemvis, et uti patres ſoleant, vel fratres natu maiores, cohortari ad virtutis amorem. Sed talis vir ac tantus quantum abeſt ab illa animi excelſa vi ac virtute,

21) Maxime c. 17. 18. Ed. Fiſch. Huc etiam pertinent loci multi e memorabilibus Socratis, quae Xenophon reliquit; veluti l. I. c. 2. §. 20.

quae apud auctorem Chriftianae religionis peperit ingens illud confilium, de quo disputavimus fupra? Socrates laborat in formandis civibus fuis, et emendandis Athenis; Iefus genus humanum, per orbem terrarum late fufum, et aetates hominum omnium futuras corrigere decernit. Socrates quamquam videt, quam vanae fint et impiae vulgi de natura Dei opiniones, Deorum cultum Athenis non modo evertere non audet, verum etiam dandum aliquid cenfet opinionibus civium, et in illius fuperftitionis focietatem venit [22]); Iefus iftam opinionem de Numinibus fictis prorfus evellere ex animis hominum omnium nititur, eosque adducere ad Numen fupremum, quod adhuc neglexerant. Socrates a confilio fuo non abfterretur Athenienfium ingratorum minis, ac tandem affectus fupplicio, utitur mortis genere minime ignominiofo, fed miti et honefto; Iefus ita capit fuum confilium, ut concitet in fe odium popularium atrox, exterorum vero, Graecorum inprimis ac Romanorum, rifus atque

---

22) Conf. *Plato in Apol. Socr.* §. 14. et *Xenophon in Apol.* §. 11 fqq. Unde etiam fagaciffimi discipuli Socratis femper faverunt vulgari fuperftitioni; conf. *Diogenes Laert.* l. II. *fegm.* 56. ubi *Xenophon* appellatur εὐσεβὴς καὶ φιλόθυτος, καὶ ἱερεῖα διαγνῶναι ἱκανός. Adde Xenoph. *Mem.* l. I. cap. 3. §. 1.

contemtum; tandemque eo supplicio afficitur, quod, iudice Cicerone, crudelissimum teterrimumque est. Atque omnino quamquam Socratem ex omni antiquitate maxime miror, eum tamen sive rerum gravissimarum scientiam spectes, sive iuvandi genus humanum ardorem, ab iis viris, quos *apostolos* vocant libri sacri, longe superari video; tantum abest, ut cum religionis Christianae auctore ipso comparari posse videatur [25]). Reliquos autem philosophos omnes, de singulis enim dicere longum foret, a tali consilio, ac tam salutari, quale Iesum cepisse supra vidimus, prorsus abhorruisse, vel illud docet, quod investigationi veri se dantes et amantes otii, ad rem tantam, et cum tot laboribus coniunctam, animum non potuerunt erigere. Manifestum igitur est, ex omni antiquitate, inter tot praeclaros viros, ac bene de aliis meritos, fuisse neminem, cui consilium in mentem veniret, beneficiis obstringendi sibi genus humanum omne, si ab auctore Christianae religionis discesseris.

---

25) Videantur, quae passim hac de re occurrunt in libris, quos nuper *de genio Socratis* scripserunt Viri Docti. Inprimis huc pertinet S. R. *Less* libellus: *Parallel des Genius des Socrates mit dem Id undern Christi. Gött.* 1777. et *Ioh. Car. Iusti, V. Cl. historisch-philosophische Abhandlung über den Genius des Socrates. Lips.* 1779.

Sed nec *in libris philoſophorum*, quantumvis refertiſſimis bonorum praeceptorum copia, tantae rei veſtigia occurrunt. Fatentur quidem et obſervant, hominum omnium eſſe aliquam ſocietatem, cuius vinculum ſit ratio et oratio; homines hominum cauſſa generatos eſſe, ut ipſi inter ſe alius alii prodeſſe poſſent [24]): ſed illa erga homines omnes ſingularis benivolentia quae pepcit apud auctorem religionis Chriſtianae omnes iuvandi ſtudium, et amor ille fraternus, quo voluit devincire hominum societatem, requiritur in ſcriptis antiquorum philoſorum. Hoc vel intelligitur ex eo, quod non carpunt ingentem illum *amorem patriae*, qui fuit in Graecis et Romanis. E quo quamquam manarunt multa egregia facinora, plerumque tamen etiam fluxit barbarorum aliquod odium, vel certe contemtus, qui alere ſolebat vincendi cupiditatem ac principatus. Mirum igitur non

24) In illuſtrando hoc argumento verſatur *Ciceronis* liber *de legibus* primus, et magna pars libri primi *de Officiis*. Notionem vero ampliſſimi conſilii, quod Chriſtianae religionis auctor cepit, attingit fere *de Off.* l. III. c. 5. *ubi, magis eſt*, inquit, *ſecundum naturam*, pro omnibus gentibus, *ſi fieri poſſit*, *conſervandis aut iuvandis maximos labores molestiasque ſuſcipere, quam* [illegible] *illum, quem hominum fama, beneficiorum memor, in concilio caelestium collocavit*, quam vivere in ſolitudine non modo ſine ullis molestiis, *ſed etiam in maximis voluptatibus*.

est, cum absoluta videretur olim numeris omnibus et maxima eius virtus, qui *patriae* profuisset; ad consilium illud amplissimum, bene *de toto genere humano* merendi, assurgere potuisse neminem. Ut taceam, fuisse multos, qui illud Cyrenaicorum, vel Hegesiacorum potius placitum probarent, τὸν σοφὸν ἑαυτοῦ ἕνεκα πάντα πράξειν, οὐδένα γὰρ ἡγεῖσθαι τῶν ἄλλων ἐπίσης ἄξιον ἑαυτῷ[25], quod quantopere extinguat amorem illum aliorum, quis non videt? Ac sufficit profecto, nosse philosophorum antiquorum *de finibus bonorum malorumque opiniones*, e quibus facile iudicari potest, multas disciplinas, si sibi consentire vellent, nunquam potuisse ad illam animi elationem eniti, quae requiritur ad consilium tantum ac tam salutare. Nec fallere quemquam debent sententiae, quae passim occurrunt, late patentes et egregiae, veluti illa Theodori πατρίδα εἶναι τὸν κόσμον, quam etiam Socrates probasse dicitur[26]); nam vim habet prorsus aliam, nec pertinet ad amorem ac benivolentiam erga homines omnes, sed hoc sciscit, sapientem ubique beate vivere posse, et patriam esse, ubi bene sit.

---

25) Vid. *Diogenes Laertius* l. II. *segm.* 95.

26) Cons. *Diog. Laert.* l. II. *segm.* 103. et *Cicero Quaest. Tuscul.* l. V. c. 37. e quo loco intelligitur, quam vim habeat illa vox.

In *fabulis* autem *poetarum* etsi mores magnorum virorum ita saepe describuntur, ut virtutis exprimatur imago aliqua perfectior, quam solet in vita humana occurrere: apud veteres tamen nemini unquam ea tribuitur animi magnitudo, quam fuisse vidimus in auctore religionis Christianae. Atque ii quidem viri, quorum mores elegantissime describit *Homerus*, multa habent, quae laudanda sint et admiratione digna. Sic in *Achille* expressit herois imaginem, in quo insit rerum humanarum contemtus, animus ingens, gloriae cupiditas insatiabilis, amicorum tenerrimus amor. *Hector* autem omnia habet, quae virum bonum efficiunt; fortitudinem sine ferocia; honoris cupiditatem sine fastu; patriae suorumque amorem ingentem, sine illa saevitia adversus hostes, qua furit Achilles. Taceo iam *Vlyssis* prudentiam, et animum propositi tenacem; *Nestoris* moderationem, qui gelide omnia tractat, et esse solet laudator temporis acti; reliquorum denique mores, in quibus exprimendis notandisque cernitur profecto summum vatis artificium [27]). Sed quis non videt, hos viros omnes

---

27) Vid. *Beut ie neue philosophische Versuche tom. I. pag.* 115 [illegible]. et *vitam Homeri*, a *Plutarcho* conscriptam, ubi passim adspergunt[illegible] observationes, ad illustrandum hunc locum aptae. Conferri etiam poterit *Plato* in *Hippia*

longe remotissimos esse ab ea animi excelsa virtute, iisque consiliis, de quibus hic disputamus? *Virgilius*, in exprimendis hominum moribus, et fingendis magnorum animorum consiliis Homero longe inferior, nihil prorsus habet, quod huc possit referri. Fabulas reliquorum poetarum, qui recte his duumviris posthabentur, praetermitto. Satis enim ex his, quae hactenus disputavi, puto, intelligi posse, ante auctorem Christianae religionis fuisse neminem, qui consilium illud ingens caperet, vel de capiendo cogitaret, quod supra exposuimus. Mirum igitur non est, post eius tempora exstitisse, qui ad tantam animi magnitudinem, quantum possent, eniterentur, incensi illi hoc praestantissimo exemplari. Satis enim constat, quo studio familiares Iesu, quos Apostolos appellavit ipse, elaboraverint in augenda salute humana, quem magistri ardorem omnium optime imitatus est *Paullus* [28]); taceo multos alios, qui Christianae religionis praeceptis impulsi, vitam omnem ac vires in efficienda generis humani felicitate consumserunt. Unde etiam videtur factum esse, ut recentiores poe-

---

minore statim ab initio; et quae a *Philostrato* disputantur in *Heroicis*.

28) Conf. *Rom.* XV, 15 — 24. 1 *Cor.* IV, 9 — 13. 2 *Cor.* XI, 22 — 30. Phil. I, 21 — 26. cet.

tae in fingendis magnorum hominum animis antiquos fere superent, postquam auctor Christianae religionis et exemplo docuit et praeceptis, quae consilia sint fere magna, et qua in re cernatur virtutis verae et excelsae divina praestantia [29]).

Restat, ut dicamus, *quam vim habeat hoc consilium auctoris Christianae religionis ad firmandam declarandamque dignitatem eius et auctoritatem divinam.* Pertinent autem; quae disputabimus, non eo, ut existimemus, aliquam ex hac re peti posse demonstrationem, qua *necessario* efficiatur hoc, Iesum fuisse hominem divinitus missum; nam hoc argumentorum genus non cadit in hanc caussam: hoc vero consequitur, ut Iesus fuerit homo plane singularis, cui parem nunquam viderit orbis terrarum; qui, si hoc consilium etiam perfecerit, et aliis argumentis, veluti miraculis, humano generi commendatus sit, non possit orator Dei ad homines maximus non haberi.

---

29) Sic *Fenelon* in elegantissima *de Telemacho* fabula passim aspergit ea placita, quae apud scriptores antiquos tractata quaeras, inprimis ubi de officio principum erga cives agit. Sed optime veram animi magnitudinem expressit *Terrassonus*, Francogallus, in libro, quem nuper convertit *Claudius*, *V. Cel. Geschichte des Aegyptischen Königs Sethos*; cuius regis animum et mores ita finxit auctor, ut facile intelligatur, eum e placitis Christianae religionis profectis.

Ad res igitur arduas ac salutares humano generi excogitandas gerendasque tria potissimum sunt, quae requirantur. Primo quidem *singularis sapientia et animi sollertia*, quae plura simul complectatur et provideat, quae adsunt, rite cognoscat, futura cernat, causas denique rerum earumque progressus et quasi antecessiones ita prospiciat, ut, quicquid evenerit, statim possit, quid agendum sit, prudenter decernere. — Sed vanae sunt consiliorum descriptiones, quantumvis optime excogitatae, nisi accesserit *vis quaedam animi, alacritas et constantia*, quae adhibeat apta adminicula, in agendo ferveat, impedimentis nullis absterreatur, res externas despiciat, atque ita sit propositi tenax, ut nulla re possit ab instituto dimoveri. — His virtutibus qui instructus est, potest quidem ille res maximas efficere, et concitare aliorum admirationem; sed deest adhuc ornamentum aliquod, quo efficiatur, ut tantarum rerum auctor etiam *ametur*. Accedat igitur ultimum, quod inesse debet in eo, qui magna consilia et utilia generi humano capere voluerit, *benivolentia scilicet erga homines omnes, et societatis humanae ingenuus amor*. Ab hoc veluti fonte manent ac deriventur instituta, consilia, coepta omnia, ut intelligatur, ea nec cupiditate gloriae vel dominandi libi-

dine, nec avaritia suscipi. Quae virtutes eo debent maiores esse, quo latius patent, et quo graviora sunt, quae capiuntur, consilia. Efficiuntur autem his virtutibus ea ingenia, quae maxima sunt ac splendidissima; in quo tamen genere hoc odiosum est, quod raro coniunctae reperiuntur, sed multis, qui cogitandi et inveniendi celeritate polleant, desit peragendi alacritas; et in iis hominibus, in quibus utrumque reperiatur, saepenumero desideretur benivolentia erga genus humanum; unde existunt homines callidi, seditiosi, proclives ad bella et principatus amantes. — Atqui ex eo consilio, quod cepisse vidimus Christianae religionis auctorem, intelligitur, in hoc viro has virtutes fuisse summas, eumque talem se gessisse, qualem nunquam viderit terrarum orbis.

Etenim quantam censebimus esse eius *sapientiam*, qui apte excogitaverit id, cuius splendidissima ingenia et sapientissimi viri ne notionem quidem habuissent? Nam qui ante auctorem religionis Christianae aliquid ausi sunt humano generi salutare, ii vix patriam, plerumque satis exiguam, complexi sunt animo, de ornando genere humano cogitarunt nunquam; tantum ac tam excellens consilium non ceperunt etiam maximorum ingeniorum angustiae. Ac prodesse decrevit Christianae religio-

nis auctor hominibus omnibus *ea doctrina*, quae diſſiparet tenebras, etiam ſapientiſſimis viris usque ad illa tempora offuſas; iisque praeceptis, quae indoli humanae eſſent accommodatiſſima, et ita comparata, ut et imbecillitati humanae ſuccurrerent, et humanam naturam ad ſummam dignitatem eveherent, ad quam poſſit eniti. Eae ipſae animorum angustiae, quibus cohibentur conſilia reliquorum etiam ſummorum hominum, quominus ad univerſum genus humanum pertineant, efficiunt plerumque, ut in inſtitutis humanis aliquid inſit, quod nonniſi quibusdam vel gentibus, vel terris ac regionibus, vel ingeniis denique et rerumpublicarum formis conveniat; adeo ſemper ex aliqua parte laborant vulgaria conſilia! Eo vitio etiam infecti eſſe ſolent cultus religioſi, ab impoſtoribus inventi; quo ipſo impeditur eorum per omnem terrarum orbem propagatio. Sed ea religio, qua Ieſus conſtituit imbuere genus humanum, tam excellens eſt et perfecta, ut hominibus omnibus, ingeniis, rebuspublicis, aetatibus, terris denique, ſit accommodata [30]). In hoc ipſo, quis non videt,

30) Negavit etiam hoc nuper diſputator ille Guelpherbytanus non modo de religione Chriſtiana, verum etiam de quavis religione revelata. Cui acumate ſatisque reſpondit *Doederlein*, V. S. R. in libro, qui inſcribitur:

ineſſe ſummae ſapientiae documentum, quae omnium hominum, infinitis fere regionum mariumque ſpatiis diremtorum, ingenia norit neceſſitates cognitas habeat, conditionem denique perſpiciat? Atque haec ſapientia, quam ne ſtultiſſima quidem arrogantia tumens unquam habere ſe poſſe iactavit, fuit in eo viro, qui patriam habuit litterarum lucis expertem, et aetatem iuvenilem obſcurus transegit, nullius magiſtri diſciplina formatus. Quis igitur eſt, non quidem ex omni antiquitate, ſed ex omni humano genere, qui poſſit contendi cum ingenio, quod fuit in auctore religionis Chriſtianae infinitum profecto ac vere divinum?

Veniamus ad *animi vim et conſtantiam*, quae fecit, ut tanti conſilii cogitationem non modo aleret Ieſus et conſervaret, ſed perficeret etiam et exſequeretur. Quam vim fuiſſe ſummam, et *rei* docet, quae ipſi propoſita erat, *gravitas*, et *decernentis conditio*, et *impedimenta*, quibus premebatur. Ac primo quidem hoc agebat, ut peſſimae ſuperſtitionis, per orbem terrarum fuſae, monſtra tolleret, et vitia illa, quae tunc inter homines late dominabantur atrociſſima, emendaret. Iam quis eſt, qui

---

Fragmente und Antifragmente, part. ſec. Nec praetermittenda ſunt, quae Hartley disputat: *Betrachtungen über den Menſchen*, tom. II. pag. 423. verſ. verno.

nesciat, quantum sit et quam arduum, inveteratas opiniones, praesertim si indoli corruptae blandiantur, evellere ex animo vel unius hominis, eumque ad sapientiam virtutemque conformare? Quis ignorat, Socratem omni virium suarum contentione, quamquam sapientissimus iudicatus esset, non potuisse Athenas, parvam urbem ad orbem terrarum, a superstitione liberare et corrigere? Atqui quod ille Athenis efficere non potuit, id apud homines omnes efficere decernit Christianae religionis auctor. Quantam igitur fuisse censebimus vim animi et constantiam, quae tanti consilii, tamque late patentis, oneri par fuit, quod nostra imbecillitas ne cogitando quidem assequitur. — Iam adde *decernentis conditionem.* Hanc summam conversionem orbis terrarum molitur Iudaeus de plebe, opibus, divitiis, gratia destitutus, oriundus ex ea gente, quae isto tempore apud reliquas omnes odio flagrabat et contemnebatur. Quis non sentit, quantum sit hoc, quod homo obscurus animum erigere potuerit ad res eas, quas nunquam assecuti sunt ingenia maxima? — Nec metuit *difficultates*, quibus impediri videt undiquaque, quod instituit. Non timet popularium atrox odium, quod capiti videt imminere quotidie. Non recusat labores, cum docendi munere coniunctos, quibus fere

conteritur. Non defatigatur suorum tarditate, apud quos institutione sua, praeceptis, rebusque gestis parum videt effici. Nihil profecto est ad reprimendam magnorum ingeniorum alacritatem et impetum efficacius, quam si animadvertunt, se fere frustra laborare, et institutis suis deesse successus. At ne hoc quidem Christianae religionis auctori molestum est; tantam enim constantiam, tantam in erudiendis amicis suis ac praeparandis et patientiam probat, et prudentiam demonstrat, ut imperitis benigne indulgeat, ad ipsorum imbecillitatem demittat sese quovis modo, nec nisi ea doceat ac proponat, quae ipsorum ingenio videantur accommodata. Hoc peperit vocem illam divinam profecto ac prudentissimam: ἔτι πολλὰ ἔχω λέγειν ὑμῖν, ἀλλ' οὐ δύνασθε βαστάζειν ἄρτι [31]). Atqui hos homines, apud quos per integrum triennium parum effecerat, missurus erat ad corrigendos philosophos Graecos et Romanos, ad evertendam superstitionem, imperii Romani po-

31) Continet profecto methodus ea, qua Iesus in docendo usus est, et sapientiae summae, et singularis constantiae illustria documenta, ac digna esset, quae paullo uberius describeretur. Multa nuper egregie observavit hac de re *Conr. Ysenninger, Vir. Plur. Rev.* in libello, cuius index est: *von der Popularitat im Predigen*, inde a pag. 65. quamquam iis, qui hoc argumentum diligentius tractare voluerint, nondum omnia praeripuerit.

tentia firmam, et ad efficiendum illud, in quo adhuc frustra desudaverant maxima omnium temporum ingenia. Denique nec imminens supplicium, idque deterrimum, fregit divinam illam animi vim; nec unquam videtur de consilio suo magis cogitasse Iesus, idque vi maiori complexus, quam cum in eo esset, ut ad crucem raperetur. Etenim iam paene damnatus profitetur coram iudice: *ἐγὼ εἰς τοῦτο γεγέννημαι, καὶ εἰς τοῦτο ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον, ἵνα μαρτυρήσω τῇ ἀληθείᾳ.* Nec ignoravit haec impedimenta gravissima, sed ita praevidit animo, ita praesensit, ut ea de re saepissime verba faceret, suisque omnia praediceret. Iam mihi dicat aliquis, quem ex omni historia cum auctore Christianae religionis comparare possimus, vel in quem cadat animi tanta magnitudo, tanta vis atque constantia?

Longissime vero superat reliquos omnes *benivolentia erga genus humanum et amore.* Etenim quo maior est eorum, quos complectimur, multitudo, quo graviora sunt, quae ipsis tribuimus, quo denique molestiores, ut prodesse possimus, labores devoramus, eo maior censetur nostra fuisse benivolentia. Atqui ex hoc amplissimo consilio, quod Christianae religionis auctorem cepisse diximus, patet, in eo amore, qui ad gerendas res tantas ipsum impulerit,

haec omnia fuiſſe ſumma. Summi enim fuerunt *labores* ii, quos exhauſiſſe eum, dum viveret, et cum ſupplicium pateretur, memorant auctores ſacri. Notavimus iam ſupra ea impedimenta, quae praeſtantiſſimo inſtituto obſtabant, et in quibus ſuperandis tantopere laboravit Ieſus. Atque hoc ſtudium indefeſſum a ſumma benivolentia erga homines manaſſe, cum illud docet, quod huic praecepto, ut iam ſupra monuimus, ſua de moribus praecepta ſuperſtruxit veluti fundamento; tum vita illa praeclara demonſtrat, quam homines beneficiis cumulando transegit; per omnem enim patriam διῆλθεν εὐεργετῶν. — Quae vero tribuere decrevit humano generi, ea profecto tanta ſunt, quanta vix cogitando aſſequimur: Nam quae ſplendidiſſima omnium temporum ingenia non viderunt, vel potuerunt exquirere, ea docuit imperitam adeo multitudinem; quae virtutes, quae pietas et conſtantia olim nonniſi in paucis fuerant viris bonis ac ſingularibus, eae fecit, ut colerentur a plurimis [32]); quem denique

32) Veriſſime *Bonnetus* ait, *primum Chriſtianorum coetum fere nonniſi Socrates et Epictetos habuiſſe*; conf. eius librum praeſtantiſſimum, qui inſcribitur: *Philoſophiſche Unterſuchung der Beweiſe für das Chriſtenthum* pag. 308. Qui liber, in linguam noſtram converſus a *Lavatero Vir. Cel.* ut alia multa bonae frugis, ita etiam non-

tot disputationibus vix invenire potuerunt antiqui philosophi bonorum finem, ad eum perducere secum constituit universum genus humanum. Maximum vero in hac benivolentia illud est, quod *omnes* complexus est Christianae religionis auctor. Sic enim proxime accedit ad illum Dei ipsius amorem, qui hoc habet proprium, ut ad omnes pertineat, omniumque curam agat. Ita enim quisque Deo simillimus est, uti quam plurimos amat et iuvat; ad tantam vero similitudinem cum Deo, quantum hoc ipso consilio expressit Christianae religionis auctor, quis quaeso unquam aspiravit, aut omnino potuit aspirare? Hoc ipsum fecit, ut sagacissimus meritorum ratiocinator [33]). Domini merita non quidem metiretur; nam cum sint infinita, metiri non poterat: sed admirabundus pie deveneraretur.

Quae hactenus disputavimus, iis non obstat, si quis dicat, hoc ingens consilium non exsequi potuisse Iesum, sed superesse maximam fere generis humani partem, quae ista bona nondum percipiat. Etenim *iam ipsa tantae rei cogitatio* requirit dotes illas ac virtutes omnes, quas memoravimus, et auctor Christia-

---

nulla continet, ad illustrandum argumentum apta, quod hactenus tractavimus.

33) *Abbt* in libro *de meritis* pag. 189.

nae religionis vir divinus eſſet ac plane ſingularis, etiam ſi irriti fuiſſent tanti conatus. Deinde quam humile eſt, ac nobis, ad quos iſtius conſilii fructus pertinent, indignum, elevare velle ac minuere ea, quae vere evenerunt. Etſi enim magna pars generis humani ſalutare illud conſilium nondum ſenſit; tamen quis eſt, qui animo complecti vel metiri audeat ea bona, quae apud reliquos homines iam producta ſunt? Ad haec enim, ſi verum fateri voluerimus, omnia omnium praeſtantiſſimorum virorum, quos antiquitas habuit, merita fere nihil ſunt; tantas enim res geſſit iam Ieſus, quantas audere vix hominis eſt, perficere nullius niſi Dei. Et ipſi profecto philoſophi recentiores, qui ſibi interdum vehementer placent in carpenda Chriſtiana religione, miſeri eſſent ac pauperculi, niſi ex hac in ſuas tenebras lucem aliquam derivaſſent, et furripuiſſent ipſi multa bona, quae iam ſuperbe iactant. Cogitemus denique, tantum conſilium, quantum ceperit Chriſtianae religionis auctor, nonniſi *ſenſim* poſſe perfici; quod cum per tot ſecula non modo duraverit, ſed etiam pluribus ſemper profuerit: ſpes profecto eſt, fore, ut magis magisque habeat eventum, ac tandem perficiatur totum. E qua ſpe ita quisque maiorem capiet laetitiam, ut ipſe eſt non modo

vir melior, verum etiam generis humani amantior.

Venio iam ad id, cuius cauſſa haec praefanda fuerunt. Scilicet quod nuper mihi clementiſſime delatum eſt, philoſophiam publice in hac academia docendi munus extraordinarium, id iam auſpicandum eſt oratione ſollemni, et ſignificanda devotiſſimae mentis pietas in *Sereniſſimum Electorem ac Patriae Patrem Fridericum Auguſtum, ſummosque Patronos ac Fautores*, quorum adhuc benivolentiam ſum expertus. Dicam vero *de revocanda Latine de philoſophia ſcribendi conſuetudine;* ad quam orationem audiendam *Rectorem Academiae Magnificum, Illuſtriſſimum Comitem, Patres Academiae Conſcriptos* et *Fautores reliquos, Commilitones denique Generoſiſſimos ac Nobiliſſimos* decenter invitamus.

8.

Carmina poetarum cur placeant constantius, quam sapientiae doctorum philosophumena.

Cum *Platonis* nuper *de Republica* libros legerem, et in eum locum incidissem, ubi poetas, quales tum erant, eiiciendos de civitate sua censet [1]): quaerere coepi, et cogitare paullo diligentius, quidnam caussae sit, cur ii poetae, quos *Plato*, ne quid detrimenti capiat respu-

1) Lib. III. pag. 617. ed. Fic. Ἀνδρῶ δὴ, inquit δυνάμενον ὑπὸ σοφίας πάντοδαπὸν γίγνεσθαι, καὶ μιμεῖσθαι πάντα χρήματα, εἰ ἡμῖν ἀφικοῖτο εἰς τὴν πόλιν αὐτός τε, καὶ τὰ ποιήματα βουλόμενος ἐπιδείξασθαι, προσκυνοῖμεν ἂν αὐτὸν, ὡς ἱερὸν καὶ θαυμαστὸν, καὶ ἡδύν· εἴποιμεν δ' ἄν, ὅτι οὐκ ἔστι τοιοῦτος ἀνὴρ ἐν τῇ πόλει παρ' ἡμῖν, οὔτε θέμις ἐγγενέσθαι· ἀποπέμποιμέν τε ἂν εἰς ἄλλην πόλιν, μύρον κατὰ τῆς κεφαλῆς καταχέαντες, καὶ ἐρίῳ στέψαντες. Hos Platonis consilium singulari dissertatione defendit Maximus Tyrius, quae est Dissertationum VII. Heraclides vero Allegor. Homer. c. 4. Platonem vehementer et acerbe vituperat.

blica ſua, abire iubeat, inde ab antiquiſſimis temporibus legantur, edifcantur, et inhaereſcant penitus in mentibus hominum; philoſophorum vero placita, ſeu, ut vulgo appellant, *ſyſtemata*, quamquam excogitata ſubtiliter, et artificioſe demonſtrata, intereánt facile, et ubi ſemel exuerint novitatis gratiam, penitus oſoleſcant. Ac poetae quidem, qui, mentis excitati viribus, et quaſi divino quodam ſpiritu inflati, ſcribunt, non modo popularibus cari eſſe ſolent, et ab aequalibus laudari: verum etiam ab exteris celebrantur, probanturque poſteritatis iudicio; ea enim ingenii vis eſt, ut minime arrogans vel vana ſit *Flacci*, illa vox, qua ſibi pollicetur

Monimentum aere perennius —
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, et fuga temporum — [2])

Nam quae poetae ii, qui ſibi ſidentes, duces rexerunt examen [3]) ab omni tempore pepererunt: ea ſolent ab hominibus omnibus, qui non

---

2) *Odar.* l. III. od. 30. v. 1—5. quem locum imitatur *Ovidius Metamorph.* l. XV. v. 871 ſqq.

3) Sic *Horatius* principes in hoc genere, quos imitari ſolet ſcribillantium immanis turba, deſcribit *Epiſt.* l. I. ep. 19. v. 32. 33.

plane hebetes ſunt, vel elegantiae ſenſus expertes, ita laudari, ut in ea re ſit gentium, lingua, moribus, tempore, regionibus denique longe diverſiſſimarum, , conſentiens quaedam vox, atque adeo ipſius naturae veriſſimum aliquod iudicium. Sic nondum periit admirabilis pulcritudo, vel cecidit grandites ſublimis carminum eorum, quae ex ultima antiquitate Hebraica ad nos venerunt, et codice ſacro continentur [4]). Homerum, Sophoclem, Euripidem, Pindarum, Theocritum, alios, e Graecis, Terentium, Horatium, Maronem, Ovidium, alios, e Latinis, probavit ſeculorum omnium conſenſus. Oſſiani ingenium et animi inflammationem, quamquam in gente barbara et inculta exſtitit, quis non miratur? Praetermitto recentiores multos, qui vel e noſtris, vel e gentibus finitimis, tantum valuere natura, ut eorum carmina vivere poſſe videantur; ſatis enim certum eſt, poetis omnibus, quos divina quaedam ingenii vis commoveat, contingere ſolere hoc, ut conſtanter laudentur ab omnibus, ipſorumque ſanctum quaſi ac venerabile nomen nulla unquam violaverit barbaria [5]).

4) Huc pertinent *Louthi*, elegantiſſimi harum rerum aeſtimatoris, *Praelectiones de ſacra Poeſi Hebraeorum*, et quae ex hoc genere paſſim ad eas notavit *Michaelis*, *Vir Generoſ.*

5) Conf. *Cicero*, *pro Archia poeta*, cap. 8. Erat enim haec

Sed alia omnia philosophis eveniunt; qui quamquam omnis sapientiae putentur magistri, et sint saepe magnam apud multos consecuti auctoritatem: raro tamen probantur multitudinis iudicio; posteritatis autem approbatione ita fere carent, ut, non dicam paucorum seculorum, sed annorum adeo decursus saepenumero et auctorum memoriam, et decretorum deleverit vestigia. Nulla unquam fuit disciplina, quae gentibus omnibus placeret: nec philosophus ullus, quem, praeter sectatorum imbecillem plerumque turbam, alii magnopere mirarentur; ipsa vero sententiarum tanta varietas est, tantaeque vicissitudines, ut, quod vulgo apud nos in vestium generibus fieri solet, etiam hic habeat locum, ut recentissima quaeque placeant, antiquiora contemnantur. Atque sic exstiterunt deinceps Pythagoreorum, Academicorum, Peripateticorum, Cynicorum, Stoico-

---

apud veteres pervulgata opinio, poetas furore divinitus immisso correptos, et Musarum numine plenos, canere. Unde *Plato* eo loco, quem attulimus supra, poetam appellat ἄνδρα ἱερὸν καὶ θαυμαστόν, qui sit colendus, ac dimittendus honorifice. In *Phaedro* autem pag. 1234. furoris et inspirationis divinae quatuor genera constituit, et μαντικὴν ἐπίπνοιαν Apollini, τελετικὴν Baccho, ποιητικὴν Musis, ἐρωτικὴν denique Veneri et Amori tribuit. *Longinus* autem in curvo περὶ ὕψης libello sect. XXXIII. pag. 184. *ed. Toll.* δαιμονίου πνεύματος ὁρμὴν poetis tribuit; ut iam locos alios praetermittam.

rum, Epicureorum, Scholaſticorum, Carteſianorum, Wolfianorum, aliorumque diſciplinae, quarum quaevis, ſpreta antiquiorum auctoritate et placitis, pollicebatur nova, mox ſuccreſcentium diſciplinarum viciſſim expertura contemtum. Haec conſideranti mihi, haud alienum ab hac opportunitate ſcribendi viſum eſt, ſi cauſas anquirerem, *cur poetarum carmina conſtantius placeant, quam ſapientiae doctorum philoſophumena;* praeſertim cum haec diſputatio habitura nonnulla ſit, quae ad monendos et philoſophos noſtros, et poetas, videantur pertinere. Erit igitur omnis quaeſtio bipartita: primo quidem *rei, quam propoſuimus, cauſas indagabimus;* deinde videbimus, *quid ex hac veluti pateſactione conſequatur.*

Ac primo quidem *ipſa materia*, quam tractant philoſophi, et in qua verſantur, impedire videtur, quominus eorum placita poſſint omnibus, et omni tempore probari. Nam cum philoſophia ſit divinarum humanarumque rerum, tum initiorum cauſſarumque cuiusque rei cognitio, ut *Ciceroni* videtur [c]): occupatur profecto *in multis rebus occultis et involutis ab ipſa natura*, quarum ſit difficilis inveſtigatio. Eſt enim haec naturae perpetua fere conſuetudo, ut, indagantis fugiens quaſi conſpectum,

c) Conf. *Quaeſt. Tuſcul.* lib. V. cap. 3.

impediat, quominus ſatis poſſit explorari, a quibus initiis et cauſis ſingula, quae eveniant, proficiſcantur. Unde in phyſicis ab omni tempore pauca fuerunt, quae ſatis explorate percepta eſſent, ut ſapientiſſimus quisque mallet cohibere aſſenſionem [7]), quam ut multi temere fecerunt, non ſatis cognita ſine ulla dubitatione defendere. Ac vero philoſophiae partes, quae ſunt de arte differendi et de moribus, habent et ipſae non pauca, de quibus eſſe poſſint variae et discrepantes indagantium opiniones. Argumento eſſe poſſunt captiones et contortae concluſiunculae, quibus olim dialectici, quaſi praeſtigiis quibusdam, ludere ſolebant et premere imperitos; et ambigua illa diſputatio, utrum inſit iudicium veritatis in ſenſibus. De moribus autem ab omni tempore ita diſputatum eſt, ut eſſet ingens de rebus iis, quae ad bene beateque vivendum pertineant, concertatio. Accedit *ingens copia eorum, quae philoſophis debent eſſe propoſita;* is enim demum *Platoni* videtur philoſophus, qui ſit promus ad deguſtandum quodvis doctrinae genus, et ad

7) Veluti Socrates, qui prorſus avocandam ab his quaeſtionibus philoſophiam reuſuit; vid. *Xenophon Memorab.* l. I. cap. 1. §. 2. ſqq. et Cyrenaici, qui, auctore quidem *Diogene Laertio* ἀφίσαντο φυσικῶν, διὰ τὴν ὑπερκειμένην ἀκαταληψίαν. Conf. l. II. ſegm. 92.

diſcendum promtiſſimus, eo vero ducatur cognoſcendi res omnes deſiderio, quod nunquam poſſit expleri, nunquam exſatiari [8]). Cum igitur tanta ſit earum rerum, in quibus inveſtigandis occupatur philoſophorum induſtria, obſcuritas, et cauſſarum ignoratio; infinita etiam propemodum cognoſcendarum rerum multitudo: quis mirabitur, exoriri opinionum ingentem varietatem, et ſententias discrepantes. Sequitur enim quisque, penes quem aliqua auctoritas eſt, id, quod videtur maxime probabile, idque vehementius amplexatur; inde exiſtunt disciplinae variae, et opinionum viciſſitudines, ut quod huic aetati placuerit, id poſteritatis iudicio contemnatur. Ipſa enim difficultas videndi veri, et explorandarum rerum mira obſcuritas infinitis erroribus locum dat, et efficit, ut, qui ſerius philoſophantur, facile poſſint rectius multa et ſubtilius disputare iis, qui rem tantam primi ſunt aggreſſi.

---

8) *De Republ.* l. V. pag. 665. docuerat, aut philoſophos imperare, aut reges philoſophari debere; quod ut rectius intelligatur, in iis, quae ſequuntur, philoſophi notionem format, et more ſuo, interrogando elicit; igitur pag. 666. extr. τὸν δὲ ὄν, inquit, ἐυχερῶς ἐθέλοντα παντὸς μαθήματος γεύεσθαι, καὶ ἀσμένως ἐπὶ τὸ μανθάνειν ἰόντα, καὶ ἀπλήστως ἔχοντα, τοῦτον ἐν δίκῃ φήσομεν φιλόσοφον.

Artis poeticae plane alia vis est atque natura. Omnis enim, ut veteribus visum est, imitatione continetur [9]); nam poetis hoc est inprimis datum, ut vitae animique humani, et rerum omnium, quae splendere possint, et verbis augeri, imagines effingant, e quibus legentium animi concipiant motum et delectationem. Sunt itaque poetae eorum omnium animadversores sagacissimi, quae ad commovendos hominum animos pertineant; utuntur numeris verborum dulcibus et inoffensa copulatione; instituunt exquisitam collectionem eorum omnium, quae sint personis, temporibus, locis, negotiis denique adiuncta; habent orationem, visionum evidentia splendidam, acrem et concitatam, quae ex inflammatione animi profecta, omnia subiiciat oculis, regionibus et rebus, vita menteque carentibus, affingat vocem, actum, consilia, commotiones, quae denique

---

9) Vid. *Aristotelis* librum *de poetica*, inprimis cap. IV, ubi studium imitandi, quo a pueris tenemur omnes, Poeticae, putat, originem dedisse. Eleganter itaque *Plato* eo loco, quem attulimus iam supra, poetam appellat *ἄνδρα, δυνάμενον ὑπὸ σοφίας παντοδαπὸν γίγνεσθαι, καὶ μιμεῖσθαι πάντα χρήματα.* Sed poeticae imitationis natura rectius est, et luculentius exposita a philosophis recentioribus; vide, ut iam alios taceam, *Sulzerum* nostrum, in opere doctissimo: *allgemeine Theorie der schönen Künste etc.* art. *Dichter*, *Dichtkunst*, *Nachahmung*.

18 [2]

imaginum ἐνεργείᾳ legentium animos ad ſe rapiat, ac vehementer concutiat. Iam cum omni tempore eadem ſit humanae mentis indoles, eidemque ad eam aditus, ut pulcritudinis quadam oblata ſpecie commoveatur, efferatur rebus fecundis, a malis autem declinet: facile intelligitur, quae ſint ab ingenioſo poeta profecta, ea omnibus et omni tempore placere poſſe; eos enim motus animorum, ea deſideria, eas actiones, eos denique fortunae caſus et commutationes cecinit, quae cum ob orationis veneres et imaginum evidentiam probentur, tum conſentiant cum uſu vitae et ingenuo naturae ſenſu. Morum vero diverſitas etſi poteſt quodammodo minuere voluptatem legentium, praeſertim imperitorum, qui ad ſuos mores omnia referunt; minime tamen prorſus delet id, quod in poetis miramur. Quamvis enim gens quaeque legibus, conformatione morum externa, conſuetudinis vi, ritibus, reipublicae denique forma ac temperatione differat a reliquis omnibus: ſunt tamen in ipſa mentis humanae natura, et vitae caſibus multa, quae habeant conſtantiam quandam, ordinemque aequabilem. Placent igitur heroum ab Homero, Marone, Oſſiano, aliis, expreſſae imagines, quamquam contineant multa, a noſtris moribus aliena. Delectamur Terentii, Shakespearii,

Molierii, aliorum, fabulis, quoniam quasi in tabula quadam pictos proponunt hominum mores, nec ullam vitae domesticae partem reliquerunt intactam; quorum personae quamquam tempore, lingua, gente, et omnino externa morum conformatione a nobis differunt, placent tamen propterea, quod ita sunt effictae poetarum artificio, ut iisdem studiis dediti sint, iisdem opinionibus regantur, eadem denique confectentur, quorum studio hodieque omnes trahimur. Ipsa igitur argumenti natura, in quo philosophi ac poetae versantur, ita comparata est, ut illi nec semper, nec omnibus placere possint, hi si ingenio valeant, facile capiant omnium animos.

Alterum, quod efficit, ut facile intereant philosophorum sententiae, et explodantur, cernitur *in inani de verbis pugna, et in libidine, res tritas et centies dictas orationis novitate, et insolitorum nominum veluti praestigiis occultandi.* Illi enim philosophorum, eorum inprimis, qui artem aliquam philosophiae et subtiliorem disciplinae descriptionem amant, vulgaris consuetudo haec, ut vel subtilitatis aliquam consectati gloriolam, vel libidine abrepti, nova, nec satis ab aliis intellecta, proponendi, vehementer augeant partiendi et definiendi [illegible]

eaque verborum gloria decretis ſuis novam aliquam ſpeciem concilient. Unde conſequitur rerum omnium ingens perturbatio, et ambiguitas, quae efficit, ut diſciplina quaevis, unice ſuis delectata verbis, contemnat reliquas, nulla ſit in verbis facilis, et intenta rebus. Augetur haec confuſio magnopere eorum, qui ſunt cuique diſciplinae addicti, imbecillitate puerili. Nam qui ad alicuius magiſtri auctoritatem totos ſe conferunt, ii fere ſolent, certis quibusdam ac deſtinatis ſententiis adſtricti, in eius verba iurare, ut ſtatim contumelentur et nutent, ſi aliis utare nominibus, vel inanibus pugnis, e verborum obſcuritate et inconſtantia loquendi natis, quas ſolent magna animorum contentione committere, parum commoveare. Multis hoc poſſet exemplis illuſtrari, ſi eam ubertatem caperent libelli anguſtiae. Quis neſcit, Zenonem Stoicum verborum novorum uſu, novam placitis ſuis faciem conciliaſſe, cum rebus ipſis a Peripateticis minime differrent [10]. In illa nova *de mundo optimo* pugna, facile poſſet oſtendi, quamquam vehementer commoverit ea res hominum animos, tamen pleroſque verbo,

---

10) Hoc Cicero multis *locis* v. c. *de Finib.* l. III. cap. 5. et *de Nat. Deor.* l. I. cap. 7. Videantur etiam, quae de diſciplina Stoica diligenter diſſeruit Brucker, in *Hiſt. Crit. Philoſophiae* Tom. I. p. 902. ſqq.

re minime discrepasse. Sed haec loquendi inconstantia, hae vanae de verbis concertationes afferre solent interitum philosophorum disciplinis. Nam ubi sensim deferbuit ille pugnandi ardor; etiam vim amittere solent novorum verborum praestigiae, praesertim, si sit a peritioribus demonstratum, qui vehementer discrepare videantur, eos, remota verborum ambiguitate, oratione pugnare, ratione convenire, ut igitur

Hi motus animorum, atque haec certamina tanta
Pulveris exigui iactu compressa quiescant.

Atque sic, convulso fundamento, facile corruunt placitorum optime, ut videbatur, coagmentatorum veluti aedificia, et contemta iacent.

Huius pestis prorsus immunia sunt carmina poetarum. Etsi enim vatibus

— — *licuit, semperque licebit,*
Signatum praesente nota producere nomen [11]):

ea tamen licentia, si sit pudenter sumta, tantum abest, ut pereat carminis pulcritudo, ut augeatur adeo, et vim accipiat maiorem. Nam quae a poetis proferuntur nova nomina, ea vulgo continent imagines rerum, sensibus subiectarum, quae cum sint omnibus notae, novo

11) Conf. *Lucretii* elegantissimus hac de re locus in *Arte Poetica* v. 47-70.

verbo adimunt obſcuritatem, novitatis gratiam relinquunt. Deinde cum poetis hoc ſit propoſitum, ut oratione pulcra et dulci, imaginumque vi, auditoris animum agant, quocumque voluerint: ſedulo cavent, ne quid in ipſorum carminibus inſit, quod vel ambiguum et alienum haberi poſſit ab ingenuo naturae ſenſu, vel nimis abditum ſit et intellectu difficile. Ut enim pictores omnes in eo conſentiunt, quod naturam imitando exprimunt, eamque ob cauſſam pictura, tacens opus, et habitus ſemper eiusdem, ſic in intimos penetrat affectus, ut ipſam vim dicendi nonnunquam ſuperare videatur [12]): ita poetae, eandem naturam ſecuti ducem, vel nonniſi ea proponunt, quae poſſint facile ab omnibus percipi, adeoque omnibus placere, vel, ſi quando attingunt abdita et obſcura, ita ſolent omnia exornare, atque illuſtratione imaginum conſpicienda proponere, ut et delectationem aliquam habeat eorum cognitio, et pugnandi de rebus obſcuris libido prorſus opprimatur. Ea vero diſcrimina, quae a temporibus, terris, gentiumque diverſitate proficiſcuntur, quamquam frangere quodammodo poſſunt apud imperitos carminum vim, tantum tamen non valent, ut omnem carmi-

12) Sic verſibus *Quinctilianus de Inſtitut. Orat.* l. XI. c. 3. §. 67.

nis praestantiam apud legentem deleant; quod in libris philosophicis saepe efficit disciplinae diversitas; nam in quovis carmine bono nihilominus erunt multa, quae hominum omnium sensu et iudicio possint probari.

Atque in eo, *quod philosophi a naturae iudicio tantopere discesserunt, et vanis dediti contemplationibus, quid natura rerum ferat et postulet, saepenumero neglexerunt*, alia caussa inest, quae ipsorum scriptis affert contemtum. Ita enim quisque philosophatur optime, ut est sagacissimus animadversor eorum omnium, quae in natura rerum eveniunt, et incorrupto mentis humanae iudicio, quod sensum vulgo communem appellant, religiosissime obtemperat. Nam quis ignorat, in accurata rerum omnium contemplatione omnem operam curamque consumere debere philosophum, et per hanc pervenire ad caussas et leges eas, quibus continetur haec rerum universitas. Ab hac via qui deflexerit; is vel phantasiae ludibriis deceptus, monstra pariet; vel, si ingenii acumine aliquid possit, contortis conclusiunculis, et quaestionibus obscuris delectabitur, ut olim Stoici multi fecerunt [15]), et postea Scholasticorum insiceta turba; vel acute demonstrabit et subtiliter

(15) Dialecticos fere nimio studio dedit: conf. *Cicero Topicor.* c. 2.

placita multa, quae apte quidem et bene videantur cohaerere, sed ab ingenuo naturae sensu prorsus abhorreant, e quo genere sunt somnia, quae *Berkeley*, Anglus, acutissime coagmentavit [14]); vel denique eam philosophiam probabit, quae lucem eripiat, et de rebus omnibus dubitet, quod antiqui philosophi multi fecerunt, ac nuper demum *Humius*, Anglus. Quae omnia quoniam prorsus sunt a iudicio naturae eiusque voce aliena, etsi possint nonnullos vel decipere et in errorem coniicere, vel allicere gloriolae cuiusdam proposita spe: facile tamen corruent, et incorruptae multitudinis iudicio damnata iacebunt.

Etiam hoc vitium a Poesi abest, quae tota cernitur in imitando, et naturam ubique sequitur ducem. Quamquam enim fictionibus aegre caret; nam a fingendo nomen habet, et

— — — *pictoribus atque poetis*
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas [15]),

tamen haec ipsa fingendi licentia legibus regitur certis, et naturae consuetudinem servat [16]);

---

14) Vid. *Dialogues entre Hylas et Philonous, tr. de l'Anglois, à Aust. 1750.*

15) Conf. *Horatii Ars poetica* v. 9. 10.

16) Quod praecipuis legibus, quae praecipit *Beattie*, Anglus, vid. *Principes de Persuasion* part. I. p. 52. 133.

cum philosophi, ubi semel naturam deseruere, nullis legibus adstricti, errent, nec affirmare dubitent, nivem esse nigram [17]), aequalia esse peccata et recte facta [18]), praeter mentes nihil esse in natura rerum cet. [19]). — Ridentur poetae ii, qui phantasiae vi abrepti, miscent omnia, et monstra canunt; nec delectant, vel prosunt, quod utrumque debet esse poetae propositum; sed indignationem excitant, et auditori fastidium movent. Iam si quis, uti decet castum doctumque poetam, etiam fictiones omnes ad naturae seu probabilitatis leges exegerit et conformaverit; quod vetustiorum poetarum optimus quisque fecit: placebit, quamdiu naturae leges durabunt, quas habituri profecto sumus semper easdem.

Restat, ut dicamus de ultima caussa, quae efficit, ut sapientiae doctorum φιλοσοφήματα facile situm contrahant, et tineas inertes pascant. Solent enim ii, qui ratione quadam et via philosophantur, *plerumque contemnere dicendi elegantiam, atque rebus, ut aiunt, intenti, verba parum curare.* Eo vitio iam olim multi

17) Quod dixisse fertur Anaxagoras; conf. *Cicero Academ. Quaest.* L. IV. cap. 23 et 31.

18) Notum Stoicorum paradoxon; conf. *Cicero in Paradox.* c. 3.

19) Quam sententiam *Berkeley movit*, in libro, cujus inscriptio [illegible]

laborarunt, quorum libri hac ipsa de caussa non tulerunt aetatem. Satis constat, hanc fuisse Epicuri negligentiam dicam an fastum ineptum, eorumque omnium, qui de illo grege essent, ut putarent, nihil opus esse, eum, qui philosophus futurus sit, scire litteras [20]. Sed hoc ipsum fecisse videtur, ut interirent illae κυρίαι δόξαι, quarum erant apud Epicureos tanta auctoritas, cum neque distribute scriptae essent, neque ornate. Atque omnino ex illa disciplina, si a *Lucretio*, poeta, discesseris, nihil ad nos pervenit, praeter ἀποσπασμάτια ea, quae sunt ab aliis conservata. Fuerunt etiam *Ciceronis* aetate, qui Latine de philosophia scriberent, sed ineleganter; de quorum libris verissima est *Ciceronis* sententia, qui negligendam censet lectionem sine delectatione [21]) eamque inscitiam vehementer reprehendit. Quod quam recte fecerit, comprobavit posteritatis iudicium, quae eos libros omnes interire passa est. Recentiores philosophi dici non potest, quantopere hac in re peccaverint. Praetermitto iam sordes et barbariem Scholasticorum, de quibus dicere iam nihil attinet: illud miror, ac paene doleo, eos etiam viros, qui castius

20) Vituperat hanc inscitiam saepenumero *Tullius* v. c. *de Finib.* lib. II. cap. 4. et in *Quaest. Tuscul.* lib. II. c. 3.

21) In *Quaest. Tuscul.* lib. II. cap. 3.

philosophandi genus, depulsa barbarie, restituerunt, in ea re lapsos esse. Eo enim nomine satis constat, reprehendi posse recentiores disciplinarum gravissimos auctores, Cartesium, Wolfium, Crusium, alios, quorum libros, quoniam a sermonis elegantia nullam fere commendationem habent, iam fastidit aetas nostra delicatula. Atque sic ipsa placita et ea bona negliguntur, quae ex his libris peti possunt ab his, qui genus dicendi tenue non curant; iam enim homines nostri sunt tam delicati fastidii, ut consectentur genus quoddam philosophandi venustius, quod totum contineatur fabulis amatoriis, et ralationibus de libris novis. — Quanta autem vis sit orationis in conservanda librorum, qui de philosophia scribuntur, dignitate: Platonis, et reliquorum, qui a Socrate profecti sunt, Ciceronis etiam, qui e Platone plurimum profecit, abunde docent exempla; quorum libri non modo ad nos venerunt, verum etiam teruntur ab omnibus, qui sapiunt, iis quoque, qui illorum decreta minime approbant. Idem etiam contigit scriptoribus nonnullis recentioribus, qui sunt veterem illam ubertatem et elegantiam Socraticae disciplinae aliquo modo imitati.

Iam quantopere hac in re carmina superent libros philosophorum, nihil attinet, copiosius

demonstrare. Sunt enim poëtae animi commovendi artifices maximi, eaque oratione utuntur, quae numerorum suavitate miroque concentu, visionum vero granditate, evidentia et pulcritudine capiat auditorum animos, et praeter fidem stupore defigat.

Deinceps, ut supra propositum erat, *dicamus de his, quae videntur e nostra disputatione consequi.* Ac primo quidem quod genus humanum tam constanter in laudandis excellentium poëtarum monimentis conspirat; id *humanae naturae non modo longe honorificentissimum est, sed etiam vim habet magnam ad minuendam opinionem eorum, qui negant, insitos ab ipsa natura nobis esse quosdam virtutis igniculos* [22]. Nam quomodo demum vivere possent carmina, nisi ipsa natura in auribus, et in ipso velut aditu mentis, posuisset sensum aliquem pulcri, et impetum ad omnia, quae ordinem aptum, et elegantem partium omnium consensionem prae se ferunt; quem impetum nisi ad prava detorserit consuetudo, vel perversae institutionis error, facile poterit

22) Conf. quae hac de re disputat *Grotius*, *de iure belli et pacis*, in prolegom. § 5. sqq. Inprimis autem huc pertinet non allata a Grotio Socratis disputatio de hoc argumento apud *Platonem de Republ.* l. I. p. [illegible] sqq. et apud *Xenophontem Memor.* l. IV. cap. 4. inprimis inde a § 19.

honorum carminum vis ita regere, ut ad ipsam virtutis et honestatis omnis pulcritudinem contendat. Falluntur itaque, qui existimant, natura nihil esse honestum, sed omnia hominum arbitrio constituta esse. Nam haec perpetua et constans hominum fere omnium sententia de carminibus iis, quae continent expressas morum imagines, non tam loquitur, quam clamat, omni tempore virtutem laudatam, scelera vituperata esse, ac fuisse etiam de virtutibus ac vitiis idem fere temporum omnium hominumque iudicium. Quas enim virtutes Homerus in heroibus suis laudat, eas hodieque probamus et magnificamus; quod fieri non posset, nisi ipsius naturae quaedam vox ad colenda quaelibet honesta homines animos cohortaretur. Quamquam igitur in virtutibus singulis interdum differunt hominum sententiae, et ii ipsi, qui sunt virtutis studiosi, saepenumero contaminantur vitiis quodam seculi, qualis est illa feritas, quam habent mores ab Homero expressi: hoc tamen facile intelligitur, cum ea carmina, quae magnorum animorum sensus, et fortia facta patrum canunt, omnium alliciant animos, etiam barbarorum, esse aliquem a natura profectum honesti sensum, quem nec seculi prāvitas, nec foeda barbaries prorsus possint delere.

Ex his, quae sunt hactenus disputata, intelligitur etiam *singularis dignitas et praestantia poeticae*, hominum omnium et seculorum confirmata iudicio. Efficitur autem ea dignitas duabus rebus; primo amplectitur poesis omnia, quae sunt in natura rerum grandia, pulcra, et admiratione digna; in quibus exprimendis oratione utitur, quae venustate, numeris et visionum evidentia hominum animos commoveat et afficiat insigniter; deinde efficacissima est ad instituendum, formandum, emendandum genus humanum, et excitandum omnis honesti amorem. Satis enim constat, et ab aliis demonstratum est, quam vim habuerint antiquissimis temporibus carmina ad traducendos homines e pristina illa feritate ad mansuetudinem [23]), ad constituendas civitates, formandos hominum mores, inflammandam patriae caritatem et ardorem pugnandi, acuendam prudentiam, moderandam denique religionem; praetermitto iam delectationem, quam parit, et quod eloquentiam aluit et finxit, litteris vero humanioribus ita semper profuit, ut barbariae et resisteret diutissime, et prima eam depelleret [24]).

---

23) Comparandus hic est locus elegantissimus *Horatii* in *Arte Poetica*, v. 391-407.

24) Lege *praefationem*, ab *Ernesto* S. V. praemissam *operibus Ovidii*, Lipsiae, curante *Fischero*, V. Cel. editis.

Haec omnia quamquam saepius cum ab aliis dicta sunt, tum nuper demum a *Sulzero*, philosopho, ut Germanum decet, gravissimo, diligenter inculcata [25]): tamen repeti debent saepius, cum tanta sit nostris temporibus corruptissimorum poetarum turba, quantam patria nunquam vidit. Argumento est ingens eluvies versiculorum, fabularum amatoriarum, aliorumque ex hoc genere librorum, qui quotannis profunduntur, et vulgo sunt vel lascivia corruptissimi, vel orationem habent vitiosam, turgidam et meretricio cultu maculosam. Quae itaque divinitus humano generi data erat poetica, ut religioni prodesset, virtutem commendaret, fortiter et praeclare facta posteritati famaeque traderet, animum denique suavissime

---

25) Conf. eius *Vermischte philosophische Schriften*, et quidem commentationem eam, quae inscripta est: *Von der Kraft in den Werken der schönen Künste*, pag. 122. Inprimis huc pertinet eiusdem *Allgemeine Theorie der schönen Künste*: art. *Dichter*, et *Dichtkunst*. Quae vero *Sulzerus* passim gravissime monuit de dignitate cum poesis, tum reliquarum bonarum artium, quarum curam diligenter iis commendat, qui reipublicae praesunt; ea dudum ante *Plato* iam disputaverat, qui in libris *de Republica* ostendit, magistratus bene constitutae civitatis diligenter providere debere, ne a poetis et artificibus reliquis bonis moribus inferatur damnum aliquod. Huc pertinet locus, iam supra allatus, lib. III. p. 617. et alius eiusdem libri, pag. 619.

pascerent et institueret, eius dignitas apud nos proculcata iacet leviſſimorum hominum petulantia, quorum multi de verborum obſcenitate non concedunt vetuſtis poetis iis, qui ſcripſere corruptiſſimis reipublicae Romae temporibus. A quo vitio quanta mala ad omnem rempublicam dimanent, facile poſſet oſtendi, ſi iam id ageremus; illud non poſſumus praetermittere ſilentio, quod, in hac frequentia et celebritate academica viventes, videmus quotidie ac dolemus, iuvenes eos, qui bonarum litterarum cauſſa ad nos mittuntur, vel peſſimo illo verſiculos conſcribendi furore correptos eſſe, quamquam vulgo ſint deſtituti ingenio, et negligere artes eas, quae reipublicae proſint; vel certe recentiorum carminum illecebris atque blanditiis ita capi, ut haec ament unice, haec legant, haec ediſcant, adeoque honeſtis iucunda, doctrinae, ingenuo homine dignae, leviſſimarum anteponant quisquiliarum lectionem. Ac poetae, quos tantopere amplexatur noſtrorum hominum inſcitia, profecto ſaepe ii non ſunt, quorum carmina videantur vivere poſſe. Nam cum experientia docuerit, damnari poſteritatis iudicio, quae fictione ſint Horatii illi tabulae ſimilia [26]); orationem contineant vel turgidam,

26) *De Arte Poet.* v. 1—5.

vel humilem, vel novorum verborum monſtris refertam; a doctrina, quae in poetis debet eſſe maxima et exquiſita, nullam habeant commendationem; laſcivia denique et levitate inquinata ſint: verendum profecto eſt, ne illud iudicium ad plurimos libros poetarum noſtrorum, male limatulorum, aliquando pertineat, qui, veterum elegantiam et caſtitatem negligentes, non poterunt venire in laudis perpetuae ſocietatem.

Sunt denique nonnulla, quae videantur ad monendos eos pertinere, qui *philoſophari* inſtituunt. Atque illud quidem in promtu eſt, cum philoſophorum decretis hoc maxime aſſerat contemtum et interitum, quod ſa pennumero praeter orationem novam et inauditam nihil fere habent, quod non ſit ab aliis magis perſpicue diſputatum: *cavendum eſſe in omni philoſophia, ne verborum ambiguitate decipi nos patiamur.* Ii demum prudenter agere videntur, qui nec diſciplinae, cuicumque demum, nec ſententiis certis ac deſtinatis addicti, e fontibus omnium, iudicio et arbitrio uſi ſuo, quantum videatur, hauriunt, et ad hoc inprimis animum convertunt, ut, quid cuique rei inſit, accurate perſpicere diſcant, notiones habeant diſtinctas, et intelligere incipiant, quomodo, quae diſcrepare videantur, ſaepe verbis pugnent, re conveniant. Neque enim eſt diſciplina, quae

ſit prorſus a vero aliena; neque ullus unquam philoſophus de natura rerum cogitavit, quin quaedam recte videret ac bene. Haec qui ubique cernere, et ingenuum naturae ſenſum ſecutus, excutere omnium philoſophorum libros didicerit, ut, orationis diverſitate ſemota, ſubtiliter intelligat, quam pulcre ſaepenumero etiam eae disciplinae conſentiant, quae vehementer videantur diſtractae: is ita philoſophabitur, ut omnium aetatum ſapientes ipſi ſcripſiſſe videantur, et contemnet magnopere anguſtam eorum paupertatem, qui disciplinae ſuae, vel compendioli cuiusdam vinculis compreſſi, reliquos omnes nihil videre exiſtimant. — Deinde ſponte conſequitur, *in omni philoſophia regnare debere diligentem naturae contemplationem.* Nam prona ſunt in ruinam et facile cadunt eorum decretorum aedificia, quae ratiunculis a priori, uti vocant, et definitionibus rerum arbitrariis ſuperſtructa ſunt. Habet hoc aetas noſtra, ut in philoſophando diligentius ſpectet naturam, et per diuturnam obſervationem, maxime in phyſicis, ad cauſſas rerum omnemque naturae conſuetudinem progrediatur. Debet autem hoc fieri etiam in reliquis philoſophiae partibus, ut et intelligatur ſubtilius, quomodo quaevis notio e rebus ipſis ducta ſit, et ſenſim evaneſcant ſomnia multa,

quae, quamquam cogitari poſſint, et ſint ſaepe acute demonſtrata, tamen, cum temere excogitata fuerint, minime conſentiunt cum natura rerum. Relinquamus igitur fictiones poetis, totique convertamur ad indagandam et penitus pernoſcendam rerum univerſitatem. — Quoniam denique etiam orationis magna vis eſt ad conſervanda ea, quae de philoſophia ſcribuntur, *monendi profecto ſunt, qui ſermone patrio philoſophiam illuſtrant, ne aetatis noſtrae vitio quodam perniciosiſſimo corrumpi ſe patiantur.* Etſi enim eos, qui facere id poſſunt, vehementer cohortandos exiſtimo, ut huius quoque generis laudem, quae oritur e philoſophia ſermone patrio explicata, languenti iam fere Francogalliae et Angliae eripiant: tamen ſeverum dicendi ſtudium a philoſophandi impetu ne ſeiungant, nec ſimplicem, uberrimumque ſermonem vernaculum, peregrinis, vel male fictis nominibus novis contaminent. Scilicet ex quo tempore mos invaluit, ſcribendi de rebus philoſophicis vernacule, et quidem eleganter: peccarunt multi in eo, quod coeperunt inanes illos verborum ſonos, ac paene dixerim monſtra, quibus ſermonis patrii naturalem pulcritudinem cultumque ſimplicem foedavit poetarum recentiorum licentia, etiam ad eloquenda philoſophiae praecepta traducere, et peregrina

nomina multa civitate donare, quibus, cum adſint nativa, nihil opus erat. Hinc, ut alia taceam, exoritur ingens obſcuritas, cum, quae ſit verbis novis ſubiecta poteſtas, ad iudicandum plerumque ſit difficile, et novus fere ſcriptor quisque, qui philoſophiam vix attigit, propriam habeat et ſingularem loquendi conſuetudinem. Sic imperitis facile offunduntur tenebrae, qui, auditis novorum verborum ſonis, novas prorſus et inauditas res proponi exiſtimant, quam gloriolam ſtudioſe captat ſeculi noſtri vanitas. Contemnentur, ubi novitatis gratia perierit, ea φιλοσοφήματα, quae nunc, cum verborum inani ſtrepitu ludi volumus, et oblectari belliſſime, propter orationem, ſententiolis vibrantibus pictam, vehementer laudantur. Imitentur, qui voluerint poſteritati commendari, differendi genus proprium, caſtigatum, dulce, quietum, et rei gravitate dignum, quo uſi *Gellertus*, *Sulzerus*, *Moſes*, *Garvius*, aliique pauci philoſophi graves, laudem adepti ſunt nunquam intermorituram.

9.

De coniungenda cum tradendis philosophiae placitis eorundem historia.

Rector Academiae Magnifice, omnis sapientiae Celeberrimi Doctores, Viri Excellentissimi, Doctissimi, Amplissimi, Fautores Optimi, et Vos, Commilitones Generosissimi, Humanissimi, Doctissimique, Auditores Honoratissimi.

Cum multa praeclare a maioribus nostris inventa atque instituta sunt: tum illud sapienter praescriptum, quod cum, qui viros, sapientiae studio deditos, honoribus academicis augere vellet, et publice condecorare, praefari nonnulla voluerunt de argumento gravi et commodo, atque hoc modo efficere, ut, qui dies et Ordini philosophorum Amplissimo, et huic academiae honorificus esset atque sollemnis, is etiam cives nostros, omninoque omnes, qui iis sollemnibus vellent interesse, aliquo augeret emolumento. Cuius instituti ratio ita mihi tem-

per placuit, ut non modo per aliquot annos, non ſine animi mei voluptate maxima, Viros Ampliſſimos ex hoc loco verba facientes audirem: verum etiam nunc, cum dicendi ordo me tetigiſſet, omni ſtudio id agendum exiſtimarem, quod et maiorum noſtrorum voluntati, et huic doctiſſimorum hominum concilio videretur accommodatiſſimum. Cogitanti igitur mihi, ac deliberanti, de quo potiſſimum argumento publice dicerem; nihil viſum eſt, vel his ſollemnibus, vel utilitati communi convenientius, quam ſi diſſererem de re quadam, quae ad excitandum philoſophiae amorem pertineret, et aliquam vim haberet, ad invitandos homines noſtros, ut, ſpretis aetatis noſtrae crepundiis, ad ſapientiae ſtudium toti convertantur. Cum itaque ſaepius animadverti ſſem, negligi apud nos et iacere hiſtoriae philoſophicae cognitionem, quae et ad animi voluptatem uberrima, et ad intelligenda omnis philoſophiae praecepta utiliſſima eſt, ea de re paucis dicere mecum conſtitui, et oſtendere, quomodo hac ex parte iis, qui voluerint philoſophiam discere, velle autem omnes debent, ab his, qui docent, poſſit conſuli. Dicam igitur *de coniungenda cum tradendis philoſophiae placitis eorumdem hiſtoria.* Quae res cum tractanda ſit in conſeſſu eorum virorum, qui vel ipſi ſunt phi-

loſophi graves et eruditi; vel ſapientiae ſtudio trahuntur, et incenſi tantorum magiſtrorum exemplis, ad eam contendunt: non eſt, quod vereor, ne mea oratio prorſus displiceat, vel negligenda videatur. Sed quoniam argumenti gravitas tum demum oratorem commendat, cum attulerit magnae rei par ingenium, et orationem aptam et elegantem: equidem vos rogo, Auditores, ut, ſi de re graviſſima non ſim eo modo dicturus, quem poſtulat hic ad dicendum ampliſſimus locus, et ipſius rei dignitas, pro veſtra erga me benivolentia aliquid et ingenii mei, quod, ſentio, quam ſit exiguum, detis imbecillitati; et ſtudium augendae ſalutis publicae, quod et ad hoc argumentum dicentem deduxit, aequi conſulatis bonique.

De *utilitate* hiſtoriae philoſophicae ſi inſtituerem differere, non immerito reprehenderer, cum ea res et explorata ſatis ſit, et Vobis inprimis, Viri Ampliſſimi, qui tantopere floretis omnis ſapientiae laude, cognita penitus, et perſpecta. Sed res utiliſſima ab his, qui ſolent in academiis ad philoſophorum ſcholas accedere, negligitur fere, et ſuperſtua putatur, ut plerique praeter aliquot antiquorum philoſophorum nomina, pervulgata ſcilicet, et vix feminis ignorata, nihil ſciant. Huic malo vix videtur ita ſatis occurri poſſe, vt philoſophiae

hiſtoria diligenter enarretur, tracteturque ſingularibus lectionibus. Quamquam enim ſic optime discitur, quae fuerit philoſophiae omni tempore forma ac veluti facies: plerique tamen noſtrorum hominum ita ſunt iis tantum artibus dediti, quae ad lucrandum panem pertinent, ut, apud nos certe, vix videantur ad tales lectiones acceſſuri. Hinc iam dudum putav, non inutile fore, ſi hiſtoriae philoſophicae partes utiliſſimae cum ipſorum placitorum expoſitione coniungantur, ut iuvenes noſtri hac veluti guſtatione invitati, et quaſi aliud agentes, ad imbibendam omnis hiſtoriae utiliſſimam partem alliciantur. Quod meum conſilium ut accuratius intelligatur, *primo* quidem breviter docebo, *quanam in re poſitum ſit, et quomodo hiſtoriam philoſophiae cum placitis ipſis copulandam cenſeam*; *deinde* oſtendam, *id facili negotio fieri poſſe*; diſputabo *denique de eius rei utilitate et commodis.*

Poteſt igitur hiſtoria philoſophica duobus modis tractari; primo quidem ſic, ut temporum aetatumque rationem ſecutus, commemores philoſophorum vitas, disciplinarum viciſſitudines, placitorum denique doctrinarumque naturam et coagmentationem. Sic ii fere in hoc argumento verſati ſunt, qui hanc hiſtoriae partem diligentiſſime perſecuti cenſentur, *Stan-*

leius, Anglus, et *Brucherus*, noſtras; qui non tam *philoſophiae*, quam *philoſophorum* ſcripſiſſe videntur hiſtoriam. Sed ſi fuerit hiſtoria philoſophica hoc modo expoſita, facile eſt ad intelligendum, eam non poſſe cum placitorum expoſitione coniungi, cum nec temporis brevitas, qua vulgo cohibentur philoſophiam tradentes, nec doctrinarum apta copulatio, quam vulgo nexum ſyſtematicum appellant, id patiantur fieri. — Alter modus, quo poterit hiſtoria tractari philoſophica in eo cernitur, ut, miſſis, quae ad *vitas* ſingulorum philoſophorum pertinent, omnibus, doceatur breviter, quid disciplina quaevis habuerit proprium; quid philoſophus quisque vel ad emendandam augendamque cognitionem humanam, vel ad corrumpendam et perturbandam contulerit; quomodo ſenſim, ſummorum hominum coniuncta opera, excultum ſit genus humanum et formatum, donec ea philoſophiae facies exſiſteret, eaque decretorum veluti aedificia excitarentur, quae nunc potiſſimum celebrantur. Qui ſic perſcripſerit rerum a philoſophis geſtarum memoriam, is ea decerpit, quae ſunt vere utilia, et cum brevitatis gratiam adipiſcitur, tum docet, quid iam perfecerit philoſophorum induſtria, et quid agendum ſuperſit; ſcribit enim non tam *philoſophiae*, quam *mentis humanae*

hiſtoriam. Atque hanc hiſtoriae philoſophicae partem admiſcendam exiſtimo placitorum ipſorum expoſitioni. Monendum itaque erit breviter, in pertractandis locis ſingulis, quid de quavis re decreverint omni tempore philoſophi principes; quomodo locus quisque ſenſim ſit perpurgatus, et ad eam perſpicuitatem perductus, quam nunc habet; qui denique de quovis loco optime ſcripſerint, ut habeant audientes, ad quos, ſi plura noſſe voluerint, poſſint accedere. Igitur is, qui doctrinas philoſophicas tradet, non tantum id ſibi datum exiſtimabit, ut placita ipſa, apte copulata, ſuo more proponat: ſed ubique redibit ad hiſtoriam placitorum atque oſtendet, quae incrementa ſenſim ceperit in quavis philoſophiae parte humana cognitio, atque ſic res ipſas et illuſtrabit, et impediet, quominus compendii et artis ſicca ſterilitas vel abſterreat audientes, vel taedio enecet. Sic, ut exemplis quibusdam utar, ubi in dialecticis quaeret, *utrum ſit veritatis iudicium in ſenſibus*, docebit breviter, quae de re graviſſima omni tempore fuerint ſummorum philoſophorum decreta; oſtendet, multum lucis in has tenebras ex iis derivari poſſe, quae ſint a phyſicis rectius multo ac ſubtilius disputata noſtris temporibus, atque omnino argumentum ipſum ita pertractabit, ut audientes

videant, quid ſit certum et exploratum, quid probabile, quid anceps et nova cura anquirendum. Eodem modo multa delibabit ex hiſtoria philoſophica, ubi ad eos locos pervenerit, quos recentiores accuratius perpurgarunt, de *aſſociatione*, quam vocant, idearum, et de animi humani indole ea, qua eosdem motus ſolet concipere, quos animadvertit in aliis, *συμπάθειαν* vulgo appellant. Breviter enarrabit, quid veteres paſſim hisce de rebus obſervaverint, ac laudabit recentiorum induſtriam, cui uterque locus plurimum debet, indicatis libris iis, qui rem omnem uberius exponunt. Monebit autem quovis loco res ipſa magiſtrum non plane rudem, vel ingenio deſtitutum, quae potiſſimum pars hac luce indigeat, atque hoc modo illuſtrata, et placeat certius, et rectius intelligatur.

Sequitur, ut oſtendam, fieri poſſe, quae a nobis commendetur, hiſtoriae philoſophicae cum decretis ipſis copulationem. Sunt autem duo, quae impedire videntur, quominus eo modo in ſcholis pertractentur doctrinae philoſophicae. Primo quidem *aliquid detrimenti capere videtur ſubtilitas artis ac disciplinarum deſcriptio*, et ſolvi quodammodo nexus ille arctior, quo ſolent loci ſinguli contineri. Deinde repugnare multis videbuntur *anguſtiae temporis*,

quae docentes cogunt contrahere orationis vela, et vix elementa prima tradendi ſpatium relinquunt; de utroque impedimento paucis dicendum eſt.

Atque *ſubtilis illa disciplinae deſcriptio*, quam recte laudat philoſophorum gravillimus quisque et doctiſſimus, minime perit, ſi placitis ſingulis ex hiſtoria philoſophica aliquid lucis affundatur. Neque enim in eo cernitur ars philoſophiae et ſubtilior rerum omnium nexus, ut adhibeatur ieiuna ſterilitas, et proponatur philoſophiae corpus quoddam exſangue, nonniſi oſſium compage conſtans, deſtitutum vero ſucco, neruis et carne. Sed is ratione quadam et via philoſophatur, qui cum demonſtrat ſubtiliter omnia et apte copulat, tum illuſtrat uberius, et hiſtoriae inprimis opibus uſus, vel confirmat ſingula, vel latius exornat. Quis eſt, qui, ut exempla afferam, in iis libris, quos *Cicero* ſcripſit de officiis, artem deſideret, et ſubtilem partium deſcriptionem; quamquam multa admisceantur ex omni rerum geſtarum memoria, quae ad illuſtrationem pertineant, ipſamque placitorum hiſtoriam. Nec requiretis, Auditores, artis ſubtilitatem in eo libro, quem, ad vindicandam ſupremi Numinis benignitatem et ſapientiam confectum, Theodicaeam inſcripſit *Leibnitius*, quamquam ex omni

hiſtoria philoſophica adſperſerit multa et congeſſerit, quae ad ſententiarum viciſſitudines videbantur pertinere. Atque facile poſſet oſtendi, ſic ſcripſiſſe philoſophos doctiſſimos, minime neglecta ſubtilitate ea, quam ſaepenumero perperam iactant *methodi mathematicae ſeu ſcientificae* ieiuni amatores. Quid igitur impedit, quominus intuentes in tam praeclara exemplaria, etiam in ſchola hiſtoriae placitorum aliquid tribuamus?

Sed maxima difficultas ineſt in *brevitate temporis*, quae omnem orationis ubertatem videtur prohibere, praeſertim cum a noſtris hominibus vix anni primi, quem in academia terunt, pauculae horae impendantur ſapientiae ſtudio. Sed hoc ipſum me movet, ut ita putem exponendas eſſe philoſophiae doctrinas. Etenim exſtirpanda penitus, et evellenda eſt ex animis hominum opinio peſſima, philoſophiam facili negotio poſſe cognoſci, et abunde ſufficere, ſi perfunctorie attingatur. Qui nonniſi anni dimidiam partem, ac ne hanc quidem integram, philoſophiae tribuere voluerint, iis nec elementa illa manca proderunt, quae breviſſime traduntur; qui vero ſunt erectioris ingenii, iis, tantum abeſt, ut ubertas ea, quam commendamus, noceat, ut ea laute nutriantur ac proficiant. Deinde hiſtoriae cum decretis ipſis

copulatio ne poſtulat quidem multo maius temporis ſpatium, quam vulgo ſolemus lectionibus noſtris tribuere. Multae ſunt in compendiis noſtris diſtinctionum ſpinae, quae cum praeter inanes de verbis concertationes nihil fere efficiant, evellendae videntur et abiiciendae; multi loci tractantur copioſe, qui vel propterea, quod ſunt obſcuri, vel quod parum utilitatis habent, delibandi discentibus ſunt, non imbibendi; haec cum traduntur, parcendum tempori eſt, ut habeas, quod poſſis impendere obſervationibus iis, quae, ex hiſtoria decerptae, et illuſtrabunt omnia, et audientium animos tenebunt, ſuaviterque afficient.

Sed de *commodis* eius rationis, quam hactenus expoſuimus, reſtat, ut pauca diſſeramus. Atque hoc quidem in promtu eſt, qui hoc modo didicerit philoſophiam, eum *rectius multa et accuratius perſpicere*, quam ſi praeter placita ipſa nihil audiviſſet. Videt enim, quid de quavis re omni tempore exiſtimaverit humana mens, et quomodo ſenſim exſiſtere coeperit ea philoſophiae facies, quam nunc habet. Ea res magnopere adiuvat perſpicuitatem. Intelliguntur enim ſubtilius eae ſententiae, quarum origines cognitae ſunt; ipſaque opinionum de aliqua re commemorata diverſitas efficit hoc, ut, quid verum ſit, rectius

perſpiciatur, cum vera ſententia vulgo ſua luce radiet, et reliquas facile ſuperet. Quod vero iis plerumque ſolet accidere, qui unius ſcholae placitis addicti, penitus, quid aliis videatur, ignorant, ut, cum alias vel definitiones rerum audiunt, vel demonſtrationes, diverſaque a ſuis placita, ſtatim conturbentur ac nutent, vel ſua impudenter affirmando inſcitiam prodant: id minime cadere poteſt in eum, qui fuerit inſtitutus eo modo, quem ſuademus. Etenim quanta ſit in quavis re opinionum diverſitas, probe didicit; nec mirabitur, ſi audiverit decreta a ſuis diverſa; ſua vero modeſte cauteque proponet, cum intellexerit, quam facile poſſit in utramque partem vel iis de rebus diſputari, quae prorſus confectae videntur ei, qui hiſtoriam philoſophiae nunquam attigit. Atque hoc modo aſſequetur etiam illud, quod in quovis philoſopho ſummum eſſe puto, ut ſenſim discat, ſemota verborum diverſitate, ſubtiliter intelligere, quomodo in omni philoſophia verbis multa diſcrepent, re conveniant. Nam hoc ſic discitur optime, ut, cognitis diverſarum disciplinarum decretis, iudicare ſenſim incipiant tirones, quid quaevis viderit, et quantum a ceteris abſit. Ex his facile intelligitur, qui philoſophiam acceperit hoc modo, cuius ſuaſores ſumus, cum, ſi ſit ingenio praeditus,

multo melius et ſubtilius omnia intellecturum, quam vulgo fieri ſoleat.

Deinde hoc ipſum, *quod, qui ſic docentur, hiſtoriae philoſophicae partem utiliſſimam attingunt*, non contemnendum commodum eſt. Satis enim conſtat, quantopere, inprimis apud nos, negligatur, et ſpreta iaceat haec utiliſſima hiſtoriae pars; quam qui intactam reliquit, is ignorabit ſummorum hominum, qui de ſapientia bene meriti ſunt, doctiſſima monita, ipſas vero doctrinas philoſophicas ne aſſequetur quidem ſatis, cum ſine luce hiſtoriae plerumque ſint obſcuriores. Quantum igitur et quam utile cenſebimus, eos, qui ad ſapientiae ſtudium accedunt, quaſi aliud agentes deducere ad hiſtoriae philoſophicae uberrimos fontes, et hac veluti guſtatione allicere, ut largiori hauſtu excitatam ſitim reſtinguant? Quam utile eſt ad omnem vitam, et ad animi voluptatem optabile, ſummorum virorum ſcripta noſſe, ac discere, quis quamque rem optime expoſuerit, ut patefacto ad has opes veluti aditu quodam, ex iis quisque ſibi vindicare poſſit, quantum voluerit.

Nec praetermittendum illud eſt, quod fere primo loco memorandum erat, hac via perduci poſſe discentes eo, *ut ſpreta auctoritatis vi, omnia discant excutere diligentius, iudicare*

ſubtilius, et rem quamquam varie conſiderare et omni ex parte. Solent vulgo, qui discendi cauſſa ad academiam veniunt, ad quascumque opiniones, magiſtri alicuius commendatas auctoritate, fuerint delati, ad eas, tamquam ſcopulos, adhaerescere, iisque ita adſtringi, ut praeter has nihil mirentur, nihil laudent, nihil anquirant. Huic vitio, quod eſt profecto perniciosiſſimum, is commode medebitur, qui, in exponendis philoſophiae placitis, liberalis cuiusdam aequitatis exemplum praeit, et oſtendit, quae bona habeat quaevis disciplina; ut utilia discant decerpere undiquaque audientes, nec temere quicquam aſpernari.

Sed ne veſtra, Auditores, abutar patientia, quamquam facile poſſem alia multa commoda memorare, quae videntur e ratione docendi, quam commendo, exoriri: liceat emultimo loco hoc unum addere, hiſtoriae philoſophicae cum expoſitione placitorum coniunctionem etiam hoc habere, *ut audientes voluptate quadam liberali perfundat, et ad discendam philoſophiam alliciat.* Sunt in philoſophia loci multi, qui, quoniam ſunt quaſi ſpinis quibusdam obſiti, tirones facile abſterreant, et efficiant, ut discendi ardor incipiat frigescere. Hi ſi fuerint hiſtoriae philoſophicae veluti condimentis perſperſi, non modo deguſtabuntur lubentius,

ſed etiam cognoſcendi reliqua deſiderium excitabunt. Quod deſiderium apud eos, qui discendi cauſſa ad nos veniunt, eo quisque diligentius alet et augebit, ut non modo ipſe eſt philoſophus gravior et eruditior, verum etiam publicae ſalutis amantior!

10.

Oratiuncula de ratione docendi Socratica in institutis philosophiae academicis imitanda; cum additamento: de methodo docendi Socratica.

Viro Celebersimo ac Doctissimo Georgio Henrico Martini, scholae Liplensis, quae est ad D. Nicol. Rectori bene merito, et Viro Clarissimo Doctissimoque Friderico Augusto Töpfer, Gymnasii Reginensis Conrectori Celeberrimo, fautoribus optimi.

S. P. D. Auctor.

Celeberrimi ac Doctissimi Viri: Fautores optimi.

Cum oratione publica renovanda esset a me et celebranda anno superiori memoria Vateriae, ornatissimae feminae, quae nuper est academiam Vitebergensem profecta legatis pluribus rationem docendi Socraticam in commendabam, qui philosophiam tradunt in academiis. Quam oratiunculam cum edere statuissem, et iudicandam proponere idoneis arbitris: fortasse existimabam, eam ad Vos potissimum, Viri Celeberrimi,

esse mittendam. Vobis enim, ut alia multa, ita inprimis hoc debeo, quod mature didici, omnem venustatem et cultum ingenii e Graecis Latinisque scriptoribus esse petendum; ita enim in formando tironis ingenio efficis versati, ut ad fontes omnis elegantiae liberaliter admissum, hac veluti gustatione ad largiores haustus allicerentur. Sic apud me exstitit ingens studium cognoscendi diligentius cum reliquos auctores antiques, tum imbibendi Socraticos maxime scriptores, quorum lectionem, facile videbam, mirifice prodesse cum ad augendam rerum gravissimarum scientiam, cum ad dicendi facultatem, veraeque venustatis sensum, qui fastidiat recentem hanc nostrorum hominum lasciviam turgidumque sermonem, qui ad pompam magnificentiamque comparatur, veluti corpus, aquae intercutis inflatum morbo, nervis careat, et incorrupto sucro. Quod igitur hunc libellum, e scriptorum Socraticorum lectione natum, ad Vos mittere ausus sum, in eo non tam audacter facere videor, quam iuste ac pie. Qui si aliis nonnihil profuerit; ut est profecto animo scriptus publicae salutis studiosissimo: Vobis vero, atque omnino harum litterarum peritis non prorsus displicuerit: equidem fat magnum laboris mei qualiscunque fructum me cepisse putabo. Vos vero, Viri Celeberrimi, voluntatem illam erga me Vestram mihi conservate, Vobisque hoc persuadete, me beneficiorum Vestrorum memoriam ex animo nunquam esse dimissurum.

Viri Celeberrimi

Vobis

dedissimus

Franciscus Volkmar
Reinhard.

Rector Academiae Magnifice, Viri ſumme Reverendi, Illuſtres, Experientiſſimi, Excellentiſſimi, Ampliſſimi, Doctiſſimi, Patres Academiae conſcripti Celeberrimi, et Vos, Commilitones Generoſiſſimi, Humaniſſimi, Doctiſſimi, Auditores Honoratiſſimi.

Si magna tantummodo *Vateriae*, lectiſſimae feminae, quid merita poſtularent, ſpectare voluiſſem: feciſſem id, quod et dies hodiernus, et beneficium, quo me ornatum video, flagitare videbantur, ut laudes nobiliſſimae matronae copioſa oratione perſequerer. Quod quominus fiat, nec dicendi materia impedit; eſt enim late patens et ampla in tali femina, quae generis nobilitate, integritate morum, liberalitate denique in litteras, quas ipſa non perfunctorie attigerat, tantopere eminet: nec animus dicentis ab ea laudatione abhorret; nulla enim re magis delector, quam eorum, qui virtute, doctrina, conſiliis, beneficiis, exemplo denique humano generi profuerunt, recordatione. Sed hoc conſilium ut mittam, movet me graviſſimorum virorum auctoritas, qui ante me *Va-*

teriae memoriam ita poſteritati commendarunt, ut meis laudibus facile careat, et alienum videatur a modeſtia, poſt tantos viros ad laudandum prodire. Etenim nuper demum, quid haec academia debeat *Vateriae*, quae fuerit feminae ſtirps, qui mores, quae pietas, quae doctrina, publico nomine ſcribens eleganter graviterque expoſuit experientiſſimus *Langguth*, ſenex ampliſſimus [a]); cuius laudationis eo maior vis eſt, quo maior eſt ſcribentis ipſius gravitas ac meritorum copia. Accedit iam is ipſe libellus, quo *Rector Academiae Magnificus* veſtram mihi, Auditores, conciliavit benivolentiam [b]). Nam etiam *is Vateriae* prudentiam ac liberalitatem ita demonſtrat, ut, ſi idem argumentum iam ego perſequi vellem, meae orationis nec par elegantia, nec par auctoritas futura eſſet. Cum denique ipſa *Vateria* non hoc ſecuta ſit, ut quovis biennio prodiret, qui defunctae laudes ambitioſa oratione exponeret; eſt enim hoc a ſimplicitate feminae ac modeſtia alieniſſimum: putavi, me tum demum officio meo ſatisfeciſſe, ſi dixiſſem de argumento aliquo non abhorrente ab utilitate communi,

1) Ip libello, qui prodiit anno ſuperiori, et quo orationem a filio, nuper demum ſummos honores in arte ſalutari adepto, habendam indixit.

2) Scriptus ille a *Hieronymo* V. S. R. *de C. Plinio Secundo, exemplo ſapientis liberalitatis.*

quam, ut inſtitutis ſuis omnibus, ita etiam hoc unice iuvare voluiſſe videtur praeſtantiſſima femina. Igitur ex eo litterarum genere, quod unice amo, et in quo non modo animi pabulum inveni dulciſſimum, verum etiam ſolatia rebus adverſis curarumque levamen, e praeceptis philoſophiae petendum exiſtimavi, de quo hodie, pace veſtra, Auditores, verba facerem. Fateor autem ingenue, me nunquam compendiorum noſtrorum angultiis ita potuiſſe cohiberi ac circumſcribi, quin ad antiquos ſcriptores Graecos et Latinos, ut eloquentiae et optimarum artium, ita etiam philoſophiae praeſtantiſſimos magiſtros, me reciperem, eorumque lectione et erudirem animum, et ad ſenſum elegantiae formarem. Quae lectio ſemper cum propterea me tenuit, quod ingens optimarum rerum ac praeceptorum varietas legentis animum delectabat: tum Socraticorum maxime ſcriptorum, *Platonis* et *Xenophontis* libri me allexerunt differendi ratione Socratica, quam non modo videbam animis diſcentium accommodatiſſimam eſſe et iucundiſſimam, verum etiam ad perſpicuitatem in quovis, etiam difficili et obſcuro argumento, utiliſſimam. Hinc meum iudicium iam dudum fuit, poſſe eam rationem etiam ad noſtras ſcholas traduci, nec ſatis recte a nobis unice amari ſubtilitatem illam,

quae cernatur in arte quadam philosophiae ac disciplinarum descriptione, quam magna pars eorum, qui discendi caussa ad nos veniunt, non assequitur. Putabam igitur, non fore a mea persona alienum, si *de ratione docendi Socratica, in institutis philosophiae academicis imitanda dicam.*

Quod antequam facio, Vos, *Auditores*, non tam hoc rogo, ut differentem benigne audire velitis, cum hoc beneficium ipsa mihi vestra praesentia polliceri videatur: quam ut hoc meum consilium benigne interpretemini. Ac vestram quidem, *P. A. C.* benivolentiam hanc maxime ob caussam imploro, ne putetis, me Socraticam rationem suadere quadam impulsum arrogantia, quae, ut sunt seculi mores, in contemnendis institutis receptis sibi placeat, et aliquam emendatoris gloriolam aucupetur; a qua vanitate quam alienus sim, sciunt, qui me norunt. Deinde vos, *Commilitones*, moneo, ne existimetis, me aliquid suadere, quod sit vel ab aetate, vel ab honore vestro alienum. Neque enim pueros quaestiunculis suis percontatus est Socrates, sed iuvenes, viros, philosophos; et ex hac schola ii exstiterunt, in quos hodieque tanquam in praestantissima exemplaria intuemur, *Aeschines*, *Xenophon*, *Plato*, qui omnes viri disciplina usi sunt iam

adulti, veſtramque aetatem egreſſi. — Ut igitur intelligatur, quam accommodata ſit haec Socratis docendi ratio etiam academiis noſtris, primo quidem *paullo accuratius deferibenda eſt ipſa*, ut patet, quid egerit Socrates, et quomodo ſit in formandis ſuorum animis verſatus; deinde docebo, *eam rationem poſſe facile ad noſtram diſciplinam tradueri*, nec eum modum, quem Socrates in foro, inter deambulandum, in circulis amicorum, in opificum denique tabernis obſervaverit, abhorrere a noſtris auditoriis; differam denique *de commodis, quae ſint cum iſta ratione certiſſime coniuncta.*

Socrates igitur, vir ſingularis, et antiquorum philoſophorum facile princeps, cum numine quodam et afflatu divino ad erudiendos formandosque civium ſuorum animos impulſum ſeſe putaret, eaque lege ſibi videretur natus eſſe, ut in tanto negotio, quo eſt profecto nihil praeſtantius, nihil divinius, vitam omnem virosque conſumeret: ſpretis commodis omnibus, paupertatique molleſtia neglecta, unice in eo laboravit, ut a rebus occultis philoſophiam avocaret, ad vitam communem adduceret, ſuperſtitionem debellaret, ad virtutis denique ſtudium, quavis opportunitate uſus, homines omnes cohortaretur. Sed ſolent profecto ſalubberrimis conſiliis plerumque obſtare graviſſima

impedimenta! sic Socrati obfuit genus hominum audax ac perditum, *Sophistarum*, qui turpi lucro intenti, eloquentiae, ingenii, acuminis ac doctrinae quadam specie cives decipiebant, et gratia opibusque tum maxime florebant. His bellum publice indicere, nec prudenter fiebat, nec satis tuto, praesertim cum loquacitate, et quidem ad extemporalitatem usque, tantum possent, ut orationis copiosae et factae quodammodo flumine vel raperent in quasvis partes stupentem audientium turbam, huiusque importuna vi vicissim defenderentur; vel homines ab iis, quae clara essent, captionibus dialecticis, quasi praestigiis quibusdam, depellerent. Quorum vanitas et in decernendo inepta audacia ita videbatur convincenda Socrati, ut, cum orationis perpetuitate nihil adversus eos efficeretur, modeste, cum peroravissent, ad ipsos accederet, et vel dubia quaedam, vel cupiditatem discendi simulans, quaestiunculas ipsis proponeret parum, ut videbatur, graves: his cum semel respondissent, interrogando solebat iactatores vanissimos premere, et eo tandem adigere, ut, qui paullo ante omnium plausu excepti essent, ii iam, in angustias compacti, ab omnibus deriderentur. Hac ratione, quae perspicuitatem mire diuvat, ac notionum obscurarum tenebras dissipat ac dispellit, sapien-

ter uſus eſt Socrates per omnem vitam non modo, ad convincendam eorum, qui ſibi viderentur omnia ſcire, temeritatem, ſed etiam ad rudiores inſtituendos atque formandos.

Tria igitur ſunt, quibus haec Socratis ratio continetur. Primo enim ſemper *interrogando* docuit Socrates. Raro utitur oratione continua, quae multa apta inter ſe et cohaerentia proponat, ſi a narrationibus diſceſſerimus, quibus ſermones ſuos paſſim diſtinguit; ſed varia quaerendo differendi copiam iis facit, quos inſtituit. Manifeſtum hoc eſt ex libris diſcipulorum Socratis, qui ſermones eius memoriae prodiderunt, Xenophontis inprimis ac Platonis; quorum hic etiam difficillimos philoſophiae locos hoc modo perſpicue perpurgavit. Alterum, quod in hac ratione notandum eſt, cernitur *in dubitatione de rebus omnibus.* Solet enim Socrates in iis ſermonibus, qui ad nos venerunt, ita fere diſputare, ut nihil affirmet ipſe; eos, quibuscum agit, refellat, ac profiteatur, ſe nihil ſcire, nili id ipſum. Eſt autem haec dubitatio non ea, quae omnem humanae cognitionis veritatem tollat; ſed ficta et modeſta, qua pugnavit Socrates adverſus temeritatem Sophiſtarum, qui, omnia ſcire ſeſe, et perſpecta habere, ſimulabant. Socratem enim non ita de omnibus rebus dubitaſſe, ut ceti

nihil verique ab hominibus cognosci posse putaret, quae insania fuit seriorum temporum labes: cum e Xenophontis libris intelligitur, qui memorabilia inscribuntur, ubi de virtute pulcerrime differit, et saluberrima consilia suppeditat; tum satis e Platonis dialogis discitur, in quibus haec ipsa, omne verum tollendi finitia, passim refellitur. Ultimum denique, in quo maxime cernitur rationis Socraticae natura, est illa prudentia Socratis, qua nunquam, quid in quavis re verum sit, ipse decernit, et sententiam suam argumentis firmat, quae est nostra fere docendi ratio: sed *interrogando facit, ut discentes verum inveniant ipsi*, eoque sensim adducantur, ut, quid verum falsumve sit, cernere vel inviti cogantur. Sic ubi cum rudibus instituta disputatio est, ab iis rebus, quae in medio positae ac vulgo notae sunt, profecta oratio per quaestiones sensim ascendit ad gravissimam rerum utilissimarum cognitionem, ad quam ii, quibuscum loquitur Socrates, non tam a magistro perducti sibi videntur, quam ipsi pervenisse, quoniam ita interrogare solet, ut respondentis mens omnia ex se procreare quasi, et edere ipsa videatur. Ubi contra cum iis disputat, qui variis opinionibus imbuti sunt, non statim decernit, eos falli, vel late contra disputat; aegre enim sic corrigitur errantium

animus: sed ab his opinionibus exorsus, quas veras esse tantisper largitur, interrogando elicit, ut earum patroni viderint ipsi, quam vanae sint et a vero alienae. Quo in re frequenter utitur exemplis, iisque obviis ac notis, de quibus nulla possit esse dubitatio, ut, fubterfugere volentibus, omnes latebrae rebus manifestis praecludantur. Atque sic in omni disputatione, cum ad verum perventum est, inventi gloriam transfert in eum, qui interroganti rite respondebat, eaque re cum veri videndi amorem incendit, tum cognoscendi sollertiam acuit. Solet ipse hanc artem, veritatem interrogando feusim eliciendi; cum arte matris suae, quae obstetrix fuerat, vemulle comparare; nam ut obstetrices ipsae non pariunt, sed parturientibus adsunt, easque iuvent, sic se, negat, quicquam vel scire, vel invenire posse; sed mentibus ingeniis, variarum rerum cognitione gravidis, opem ferre sese, ait, et obstetricis loco esse, ut ingenii partus feliciter edant ac promere possint. Late hanc verissimam artis suae imaginem ornat et persequitur apud Platonem in dialogo, qui Theaeteti, pueri Atheniensis, nomen habet, quocum sermonem instituerat Socrates.

Sed quaeri potest, *utrum haec docendi ratio ad scholas nostras transferri possit*, neque

accommodata sit? Qua in re videnda sunt duo; primum, utrum *multitudo discentium*, quae in academiis vulgo solet philosophiam tradentibus assidere, *hoc differendi genus admittat?* Deinde utrum *consentiat cum ea subtilitate*, quam hodie sequimur, cum de philosophia, in artis formam redacta, disputamus? Equidem lubenter largior, Socratem plerumque nonnisi tres, vel quatuor habuisse, quibuscum differeret, cum in academiis vulgo sit multo maior eorum numerus, qui philosophos audiant. Neque tamen ab eo numero abhorret Socratica ratio. Notum enim est, Socratem interdum etiam apud plures disputare; ut in ultimo illo sermone, quem habuit in carcere de immortalitate animorum, auctore quidem Platone, plus, quam quatuordecim amici, cum ipso fuerunt. Disseruit etiam saepenumero in foro, audiente magna civium turba; ut facile intelligatur, eam rationem a maiori concione non esse alienam. Deinde constat, magno cum fructu inditui iam in academiis genus quoddam exercitationis, rationi Socraticae quodammodo simile, lectiones illas, quas examinatorias vulgo appellant; in quibus quamquam is, qui docet, nonnisi cum uno disserit, reliqui tamen audiendo et ipsi proficiunt. Atqui hoc fere modo Socraticum quoque differendi genus

ad noſtras ſcholas transferri poſſe puto. Si enim cum duobus, vel tribus de argumento, quocunque demum, fuerit inſtituta diſputatio, nonne reliqui, quamquam colloquii partes habeant nullas, audire cum fructu differentes poterunt? Qua tamen in re cavebit, qui docet, ne paucis tantum pariendi ſua et edendi copiam faciat, ſed quotidie fere cum aliis diſputans, omnibus deinceps opituletur. Etenim haec ipſa mutatio, hae differentium vices non modo efficient hoc, ut cum voluptate audiantur iſta colloquia; ipſa enim viciſſitudo et magna ingeniorum varietas hanc voluptatem augent: verum etiam magiſtro copiam facient, cum cognoſcendi ſuorum ingenia, tum regendi, colibendi, excitandi, conformandi. Quid denique impedit, quo minus ad eiusmodi ſcholas admittatur numerus audientium certus ac definitus, minor etiam ille, ſi viſum fuerit docenti; cum id etiam in aliis lectionibus fiat, quae videantur a maiori diſcentium frequentia abhorrere. Sequitur itaque, ut oſtendam, nec ſubtilitatem illam impediri hac ratione, quam requirimus hodie in philoſophia, in artis formam redacta. Verum quidem eſt, Socratis tempore nondum fuiſſe artem quandam philoſophiae, quam Socrates ne probaſſet quidem: ipſe enim libere iis maxime de rebus diſſeruit, quae videbantur ad

bene beateque vivendum aliquam habere vim. Neque tamen tollit Socratica ratio rerum illum ordinem aptum ac descriptionem disciplinae, modo recte adhibeatur. Quis enim est, qui in dialogis, a Platone conscriptis, vel subtilitatem requirat, vel aptam rerum coagmentationem, ordinemve lucidum? Et quamquam illa singulorum locorum colligatio, quam solent compendia nostra habere, ab eo, qui Socraticam rationem tenet, distrahenda quasi ac diffuenda est in partes quasdam minores, quae pollint singulis colloquiis commode pertractari: potest tamen in proponendis his partibus ipsis is ordo modusque observari, qui proxime ad concinnitatem compendiorum accedat. Nam si is, qui docet, artem philosophiae, quam vulgo systema dicunt, recte didicerit ipse: colloquiis, de philosophia habitis, nec subtilitas deerit, nec rerum accurata copulatio. Denique is ego non sum, qui rationem docendi vulgarem abrogandam prorsus censeam; sed eorum causa Socratis rationem commendo, qui vel ad academiam accedunt, nec satis capiunt eam subtilitatem, quam pollulat accurate descripta disciplina: vel eorum omnis philosophiae ambitu cogitando exerceri, et periculum facere voluerint, utrum, quae didicerint, recte teneant, nec ne? Etenim si quis Socraticis hisce colloquiis didicerit ani-

mum abducere a ſenſibus, et erigere ad ea, quae ſola mente cernuntur: ſi multarum rerum notionibus animum locupletaverit, ac degustare coeperit philoſophiae dulcedinem: nonne aptior transibit ad ſcholas eorum, qui disciplinarum ambitum oratione perpetua explicant, et placita philoſophiae apta inter ſe atque connexa ſubtiliter demonſtrant? ii vero, qui cognito philoſophiae ambitu, his colloquiis interelle voluerint, non modo diſcent, quomodo ſcientia ſua uti debeant; verum etiam rectius multa et accuratius perſpicient, cum idem argumentum, ſaepius ac varie tractatum, melius intelligatur.

Sed de *utilitate* Socraticae rationis, reſtat, ut paucis dicam. Sunt autem multa, quibus ſe commendet hic docendi modus, quod ſapienter vidit Socrates, qui, niſi utiliſſimum expertus eſſet, cum profecto non tenuiſſet per omnem vitam. Nec evanuit quaſi, vel vetuſtate exolevit ea utilitas: quod planum facere poſſem, niſi tempus dicenti deeſſet. Sufficiat igitur, Auditores, hunc locum breviter attigiſſe.

Ac primo quidem *perſpicuitatem* ſummopere auget haec ratio. Cernitur profecto maxima magiſtri dos, inprimis eius, qui philoſophiam tradere ſeſe velle profitetur, non in eo, ut ſubtiliter et acute perſequatur quaeſtiones

occultas ac ſpinoſas, quae parum proſint, et oratione utatur ab uſu aliena et obſcura; ſed ut notiones omnes dilucide explicet, fines cuiusque accurate deſcribat, argumenta ſubtiliter exponat, ordinem ſequatur rebus aptum, oratione utatur aperta, atque omnino diſcentem ſenſim perducat ad intelligendum, quid ſit in quavis re verum. Iam quis non videt, hanc perſpicuitatem iuvari, ſi is, qui docet, diſcipulos interrogando percontetur, et quaeſtiunculis ſenſim eo adigat, ut, quid in quavis notione inſit, ipſi intelligant, ac dicere poſſint? Nam ſic vident, quomodo cogitando perveniatur ad id, de quo quaeritur, nec inviti quaſi, vel praeter opinionem, ad ea, quae credenda ſint, rapiuntur. Neque enim obtrudenda ſunt diſcentibus decreta, quantumvis veriſſima; ſed id agendum, ut eadem via ad videndum verum graſſentur, quam calcaverat ipſe magiſter, vel quam cenſet aptiſſimam. In illa perpetua de loco quodam philoſophiae diſputatione, qua vulgo in ſcholis utimur, dici non poteſt, Auditores, quantopere, perſpicuitatis etiam ſtudioſiſſimi, fallamur! Multa enim ſaepe nobis videntur clariſſima, quae audientibus obſcura ſunt; multa ſaepenumero tangimus tantum, quae late diſputanda fuiſſent, ſi audientium imbecillitati recte voluiſſemus ſuccurrere. Atqui horum vi-

tiorum expers eſt ratio Socratica, quae ita ſe ad audientis cuiusque ingenium componit, ut nubeculam quamvis ante dispellat, quam ad nova progrediatur.

Efficaciſſima etiam eſt haec ratio ad *excitanda ingenia, et ſubtilitatem in cogitando acuendam.* Cum oratione continua in ſcholis diſputamus de argumento aliquo, multa praetervolant aures, multa ab audientibus praetermittuntur, quibus neglectis reliqua vix ſtare poſſunt. Langueſcit ſaepenumero audientium contentio, praeſertim accedente ſolis calore per aeſtatem; ut in locis difficilioribus ſaepe nonniſi verborum ſoni inanes pulſent aures, mens languida nihil cogitet. Sed facile intelligitur, eum ſomnum, qui ſaepe praeſtantiſſima ingenia opprimit, pelli prorſus et excuti, ſi colloquium aliquod inſtituatur. Hac enim ratione amice coguntur, qui audiunt, ut magiſtrum cogitando ſequantur, et omnia iudicent ipſi. Quae exercitatio vehementer acuit ingenium, praeſertim cum audientes admittat ſenſim ad deguſtandam voluptatem, quae ſolet eſſe cum contemplatione veri coniuncta; quam qui ſemel perceperit, nae is reliquis oblectamentis omnibus facile anteferet. Sic itaque mens ſenſim vires accipit, a corpore avocatur, ad contemplationem veri erigitur quae ſit via tenenda intelligit, et alii

citur non ſine voluptate ad continuandum coeptum iter, quod videt eſſe cum inventis novarumque rerum cognitione coniunctum.

Venio ad commodum aliud, graviſſimum illud ac praeſtantiſſimum, quod Socratica ratione paratur; ſolet enim audientibus commendare *ſapientem dubitationem, prudentemque in decernendo modeſtiam.* Is profecto multum ſe profeciſſe ſciat, qui dubitare didicerit, et aſſenſum prudenter cohibere. Ut enim quisque imperitiſſimus eſt, ita vulgo ſolet eſſe in pronunciando audaciſſimus. Vulgaris autem philoſophiam docendi ratio, etſi multa habet, quibus ſe commendet, hoc tamen efficere videtur, ut audientes ad temeritatem quamdam in decernendo invitet, et dubitandi illam prudentiam quodammodo impediat. Nam argumentorum acies, quam vulgo ſolemus explicare, cum diſputamus in ſchola; orationis flumen, quo ſingula perſequimur et exornamus; noſtrum denique in decernendo exemplum et quaſi praeiudicium ita ſolent audientium animos percellere, ut nullus fere dubitationi locus relinquatur, et ii, qui ſic ſyſtema aliquod didicerint, omnia tanquam vana ſuperbe contemnant, quae ſint a ſuis aliena. Hinc fit, ut pauci ſint philoſophi principes, ad quorum auctoritatem reliquorum agmen ſe confert; pauci enim ſapere

audent ipsi, spretaque auctoritate suis viribus uti. Hanc vero dubitandi prudentiam format Socratica docendi ratio, qua discunt audientes varie ac diligenter omnia indagare; amplecti non nisi ea, quae illustres habeant veritatis notas; colubere denique alienum in iis, quae vel omnino excedant humanae mentis angustias, vel ita pollint in utramque partem disputari, ut in magna opinionum diversitate nemo possit, quid verum sit, satis definire. Quantam vim habeat haec ratio ad excitandam discipulorum mentem, ut suis utatur viribus, nec ex aliorum auctoritate misere pendeat, magni illi viri, qui e disciplina Socratis prodierunt, suo docent exemplo; qui, quamquam sanctissime colerent magistri auctoritatem, ingenuam tamen philosophandi libertatem tuiti sunt omnes, et alienissimi fuerunt ab eorum angusta et humili paupertate, qui iurant in verba magistri, nec ultra compendia sua sapiunt.

Utilissima denique haec ratio videtur *ad formandos eos, qui aliquando muneribus ecclesiasticis praefuturi sunt.* Satis constat, placita religionis Christianae tum demum cum fructu doceri, cum imperitae multitudini per colloquia proponantur. Etenim quam parum efficiatur orationibus illis, quae publice haberi solent, ii sciunt, quibus tarditas humani inge-

nii, et plebeculae levitas nota eſt. Sed illa multitudinem placitis religionis imbuendi ratio dicet haec ipſa Socratica eſſe, quam hactenus commendavimus. Haec enim demittit ſeſe ad captum rudiorum; haec ſeligit ea, quae huic hominum generi maxime videantur utilia; haec denique omnia ita proponit, ut audientes nec taedium capiat, nec difficultas intelligendi abſterreat. Cum autem haec ratio docendi difficillima ſit, et ſtudium requirat uſumque non vulgarem: quis non videt, eos, quibus aliquando erudienda tradetur generis humani pars maxima, mature inſtituendos eſſe, ut ſic docere et ipſi aliquando poſſint. Atque hoc ſic optime fiet, ſi idoneum magiſtrum audiverint, qui uſu ipſo oſtendat, quomodo difficillima quaevis ita proponi poſſint, et interrogando illuſtrari, ut rudiorum imbecillitati conſulatur. Qui ſic inſtitutus fuerit, is nunquam reformidabit ſcholae ſubtilitatem; maxime autem philoſophabitur vitae; atque ſic et proderit quam plurimis, et viri ſapientis laudem certiſſime feret.

De methodo Socratica additamentum.

Quae ſupra diſputavimus de ratione docendi Socratica, ea et breviter dicta ſunt, et antiquorum ſcriptorum auctoritatibus deſtituta. Putavimus itaque, non alienum fore ab hoc loco, ſi paullo copioſiorem ea de re commentationem addamus, e qua cum intelligatur facilius, quid egerit Socrates, quidve ſit ſecutus; tum cognoſcatur accuratius, quantum et quid imitari debeat is, qui hanc rationem voluerit ad ſcholas philoſophicas in Academia traducere.

Socrates igitur, cum nihil ſcripſerit ipſe, quomodo docuerit, discendum eſt e libris eorum, qui vulgo Socratici ſcriptores nuncupantur, *Cebetis*, *Aeſchinis*, *Xenophontis*, ac *Platonis*. Fuere quidem olim, qui traderent, Aeſchinem dialogos ſuos ipſi Socrati furtipuiſſe, et a Xanthippe acceptos, venditaſſe pro ſuis. Hoc primus narraſſe fertur, auctore *Diogene*

Laertio [1]). Menedemus Eretrias; quem secuti sunt alii, veluti *Athenaeus* [2]), et *Hesychius* [3]). Sed ut taceam, hanc famam esse admodum incertam ac parum probabilem; ab *Aristide* quidem dicitur ψευδὴς ἐνίων δόξα [4]): in hac certe causa vel propterea vim nullam habet, quod incertum prorsus est, utrum, qui nunc Aeschini tribuuntur dialogi, ipsius vere sint. Cum igitur scripti a reliquis discipulis Socraticis dialogi, quorum erat olim magna copia [5]), perierint; Aeschinis autem, qui nunc circumferuntur, suspecti censeantur; Cebetis denique tabula brevior sit: sequendi hic erunt maxime *Xenophon et Plato*, e quorum libris accurate disci possunt, quae ad Socratis morem pertinuerunt, omnia.

Sed de his duumviris, ut res ipsa docet, non est eodem modo iudicandum. Equidem sic existimo, Xenophontem *diligentius* servare

---

1) l. II. *fragm.* 60. *Ed. Menag.*

2) l. XIII. 9.

3) *De vitis doctrina claris* p. 1. sq. *Ed. Meursii.*

4) *Orat. Platon.* I. p. 55. Cicero: Socratis, *inquit*, ingenium, variique sermones immortalitati scripti sui Plato tradidit, cum ipse *litteram nullam* reliquisset. *De Or.* l. III, c. 16.

5) Tales sermones scripserat *Aristippus*; vid. *Fragmenta Laert.* l. II. *fragm.* 86. *Phaedo*; vid. idem, l. II. *fragm.* 105. *Crito*; vid. idem l. II. *fragm.* 121. *Glaucon*, *Simmias*, alii.

Socratis in disputando consuetudinem; ita enim, maxime in *Memorabilibus*, de rebus, ad bene beateque vivendum pertinentibus, disserit, ut, alienus ab omni subtilitate, proponat ea, quae sint et aetati cuivis et ingenio accommodata. Atque sic Socratem ipsum disputasse, docent ea, quae de consilio viri passim narrant veteres, et Plato ipse memorat in Apologia [6]). Plato autem *rationem illam Socratis transtulit ad quaestiones alias*, reconditas ac difficiles, de natura rerum, et docuit, quam egregie etiam obscurum argumentum hoc modo possit illustrari. Expressit itaque non quidem simplex illud et quietum disserendi genus, quo Socrates utebatur in vita communi: sed rationem Socratis ita perpolivit et emandavit, ut perfectior ne cogitari quidem possit. Sic iam veteres iudicarunt. *Diogenes* quidem *Laertius* [7]): δοκεῖ μοι, inquit, Πλάτων, ἀκριβώσας τὸ εἶδος, καὶ τὰ πρωτεῖα δικαίως ἄν, ὥσπερ τοῦ κάλλους, οὕτω καὶ τῆς εὑρέσεως ἀποφέρεσθαι. Et Socrates ipse apud eumdem [8]) narratur, cum Platonis Lysidem audivisset recitari, dixisse:

6) Vid. inprimis §. 17. sqq. *Ed. col. Fischeri*, et *Cicero*, *Quaest. Tuscul.* l. V. cap. 5.

7) l. III. *segm.* 48.

8) l. III. *segm.* 35. De iis, quae *Plato Socrati* assinxerit, etiam *Sextus* nonnulla disputat *advers. Math.* l. VII. p. 371. 72.

Ἡράκλεις, ὡς πολλά μου καταψεύδεθ' ὁ νεάνισκος. *Bone Deus, quam multa de me mentitur adolescens!* Quae vox quamquam maxime de argumento intelligenda est, ipsa tamen differendi ratio, ut rebus conveniret, varie erat a Platone mutanda. Iis igitur, qui discere voluerint, *quomodo Socratica ratione sit utendum ad instituendam aetatem puerilem et imperitam, Xenophon* maxime legendus est; sed eadem ratio *quomodo transferri possit ad argumenta obscuriora et recondita*, disci debet e *Platone*, cuius auctoritate et nos nunc maxime utemur cum propterea, quod exprimit perfectissimam methodi Socraticae imaginem, tum quod intueri in hoc exemplar ii debent, qui voluerint in academia hoc genere uti ad tradenda philosophiae praecepta.

Sed eius rationis, quae vulgo apud veteres dicitur ἦθος [9]), vel εἶδος Σωκρατικὸν [10]), *inventor* Socrates non est. Hoc vel illud satis docet, quod Sophistae a Platone inducuntur eodem fere modo disputantes; veluti Euthydemus et Dionysodorus in sermone, qui ab Eu-

---

9) Vid. *Diog. Laert.* l. II. *segm.* 61. et *Aristid. Orat. Platon.* I. p. 35.

10) Conf. *Demetr. Phal.* d. I. s. 319. τὸ δὲ ἰδίως καλούμενον εἶδος Σωκρατικὸν, ὃ μάλιστα δοκοῦσι ἐπιλῶσαι Αἰσχίνης καὶ Πλάτων. — Add. *Diog. Laert.* l. IX. *segm.* 53.

thydemo nomen habet; quod parum probabiliter factum eſſet, niſi illud ex interrogatione et reſponſione compoſitum docendi genus etiam aliis ſollemne fuiſſet. Aſpaſia vero, Sophiſtria Mileſia, ipſius Socratis in eloquentiae ſtudio magiſtra, eodem genere docendi uſa eſt [11]). Videtur itaque *Sophiſtis* deberi, qui ſic facillime poterant incautos ab his, quae clara eſſent, depellere, et olientare ingenii aliquod acumen. Hoc etiam Plato indicare videtur in Phaedro [12]), ubi Socrates, *Ipſum*, ait, et *Gorgiam brevitatem loquendi conciſam inveniſſe, et infinitam verborum prolixitatem.* Nam συντομίαν τῶν λόγων, ni fallor, *quaeſtiunculas* illas Sophiſtarum, et *contortas fallaceſque concluſiunculas* appellat; ἄπειρα μέγεθη autem de *orationis perpetuitate* uſurpat, qua, ut antea dixerat, τὰ τε σμικρὰ μεγάλα, καὶ τὰ μεγάλα σμικρὰ φαίνεσθαι ποιῶν. *Diogenes Laertius* inventionis gloriam *Protagorae* tribuit: ἔτος, inquit, καὶ τὸ Σωκρατικὸν εἶδος τῶν λόγων πρῶτος ἐκίνησεν [13]). Quicquid ſit, hoc diſputandi genus, inm ab aliis, maxime ingenium olientandi,

---

11) Conf. *Cicero de Inventione* l. I. *cap.* 31.

12) *pag.* 1237. *Ed. Ficini.*

13) Vid. l. IX. *ſegm.* 53. *Ariſtocles* apud *Athenaeum* l. II. *Alexameno Teio* dialogorum Socraticorum inventionem tribuit.

aliosque decipiendi causſa uſurpatum, Socrates coepit emendare varie ac transferre cum ad convincendam vanorum hominum ignorantiam, tum ad erudiendam aetatem iuvenilem et inſtituendos Athenienſes. Hinc factum videtur, ut ab hoc maxime viro, per quem utilis eſſe coepiſſet humano generi, nomen acciperet ea ratio. — Sed eius natura quae ſit, antequam oſtendimus, pauca monenda videntur de cauſſa, quae Socratem commoverit, ut hoc potiſſimum τρόπῳ docendi uſurparet.

Fecit igitur *Sophiſtarum*, qui Socratis tempore oſtentationis et quaeſtus cauſſa philoſophabantur [14]), impudentia, ut hanc maxime docendi rationem eligeret. Conſtat enim inter omnes, Socratis aetatem Sophiſtarum fuiſſe admodum feracem; vidit *Protagoram*, qui fuit Sophiſtes temporibus illis quam maximus [15]); *Gorgiam Leontinum*, qui quantum eloquentia potuerit, vel ex eo intelligitur, quod, auctore quidem *Ciceronе*, primus in conventu auſus eſt poscere, qua de re quisque vellet audire [16]); *Hippiam*, cuius nomen, ut eorum,

14) Sic *Cicero* verſiſſime ait *Acad. Quaeſt.* l. IV. c. 23.

15) Vid. eius vita apud. *Diogen. Laert.* l. IX. *ſegm.* 50. 54. conf. A. *Gellius Noct. Attic.* l. V. cap. 3. *Aelianus Var. Hiſt.* l. I. *cap.* 23. Etiam *Cicero* eius ſaepe mentionem facit.

16) Vid. *de Inv.* l. II. *cap.* 1.

quos antea nominavimus, Plato inſcripſit dialogo; *Euthydemum* et *Dionyſodorum*, fratres, et multos alios, quos iam praetermitto. Hi qui fuerint, et quid egerint, optime discitur e libris *Platonis*, qui celeberrimos ex eo genere non modo differentes inducit, ut iam monuimus; verum etiam copioſe adverſus eos disputat. Huc inprimis pertinet is ſermo, quem inſcripſit *Sophiſtam*; e quo iam pauca delibabimus, ut horum virorum mores, ad quos in disputando ſeſe compoſuit Socrates, accuratius intelligantur.

Ac primo quidem Sophiſtes Platoni eſt νέων καὶ πλουσίων ἔμμισθος θηρευτής, *mercenarius venator iuvenum ac divitum*; ἔμπορός τις περὶ τὰ τῆς ψυχῆς μαθήματα, *qui eruditionem vendat*, adeoque ſit περὶ ταυτὰ ταῦτα κάπηλος, et αὐτοπώλης περὶ τὰ μαθήματα [17]). Quae quam vere dixerit Plato, docet iſtorum temporum hiſtoria, et ipſe eadem repetit ſaepius, firmatque exemplis. Fuerunt enim Sophiſtae in exigendis pecuniis tam acerbi, ut *Protagoras*, auctore quidem *Laertio* [18]), a discipulis ſingu-

17) Vid. *Soph.* p. 165. Ed. Ficin. Hunc locum imitatur *Maximus Tyr.* Diſſ. XVII. p. 174. ubi Sophiſtae dicuntur γένος πολλῶν μετὸν μαθημάτων κατηλεύον ταῦτα καὶ ἀπεμπολῶν τοῖς δεομένοις.

18) Vid. l. IX. *ſegm.* 50. et *Gellius* l. c. etiam *Plato* in *Theaet. pag.* 110.

lis centum minas poſtularet, atque ſic ingentes opes corraderet. Omnino huc pertinet locus quidam in Theage [19]), e quo et ſtudium venandi iuvenes, et alliciendi, quod in his hominibus fuit, et auri ſacra fames a Socrate, qui loquens inducitur, notantur; *ſi*, inquit, *civilium virorum conſuetudinem contemnit Theages iſte, et alios quaerit, qui inſtituere ſe iuvenes poſſe, profitentur;* ἔστιν ἐνταῦθα καὶ Πρόδικος ὁ Κῆος, καὶ Γοργίας ὁ Λεοντῖνος, καὶ Πῶλος ὁ Ἀχαρναῖος, καὶ ἄλλοι πολλοὶ, οἱ ἔτω σοφοί εἰσιν, ὥστε, εἰς τὰς πόλεις ἰόντες, πείθουσι τῶν νέων τὸς γενναιοτάτους τε καὶ πλουσιωτάτους, οἷς ἔξεστι τῶν πολιτῶν, ᾧ ἂν βέλωνται, προῖκα συνεῖναι, τέτους πείθουσιν, ἀπολειπόντας τὰς ἐκείνων συνουσίας, αὐτοῖς συνεῖναι, προσκατατιθέντας ἀργύριον πάνυ πολὺν μισθὸν, καὶ χάριν πρὸς τέτοις εἰδέναι [20]). Quorum virorum avaritia et ſordes ita apud Platonem et Xenophontem vituperantur ac luduntur, ut vanum ſoret, ſi locos omnes, qui fere ſunt innumerabiles, vellem afferre, cum ex his iam ſatis intelligatur, eos fuiſſe νέων ἐμμίσους θηρευτάς. —

Sed in eodem ſermone monet etiam Plato, Sophiſtas iactare *rerum omnium ſcientiam* [21]),

---

19) pag. 93.

20) Idem fere in *Apologia* repetit, §. 4. *Ed. cel. Fiſch.* Add. *Philoſtratus de Vit. Sophiſtar.* l. I. cap. 12.

21) pag. 104.

quam vanitatem saepius etiam perstringit aliis locis. Et *Hippias* quidem *Eleus* eo progressus est, ut, cum Olympiam venisset, gloriaretur, audiente paene Graecia universa, *nihil esse in ulla arte verum omnium, quae ipse nesciret* [22]). Haec audacia, quantumvis impudens ac stulta, fecit tamen, ut imperiti iuvenes eos sectarentur, colerent, ac divinos censerent; rudis autem multitudo ipsorum eloquentia prorsus caperetur. Etiam hoc a Platone memoratur saepius; sufficiet locum insignem legisse in *Euthydemo* [23]). *Gorgiam* vero tanto honore prosecuti sunt Leontini, ut ipsius nomen numo inscriberent. —

Praestigiatores denique eos nuncupat Plato in sermone eo, quem supra laudavimus [24]). Quod nomen in ipsos cadit duas ob causas. Ac primo quidem facundia et ventosa quadam loquacitate tantum poterant, ut audientes fascinarent quasi, et raperent in quasvis partes [25]). Iactabant enim non modo illud, se docere, *quomodo inferior causa verborum industria possit fieri superior;* quod Graece dicebatur

22) Conf. *Cicero* de *Orat.* l. III. c. 32.

23) pag. 210.

24) pag. 165.

25) Vid. quae *Philostratus* de *Antiphonte* memorat, de *vitis Sophistar.* l. I. *cap.* 15. Ed. *Olear.*

τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν, de qua vanitate Socrates apud Platonem, paſſim etiam apud Xenophontem loquitur [26]); verum etiam illud ipſis conciliabat imperitae multitudinis admirationem, *quod in conventu poſtulabant, qua de re quisque vellet audire*, ac de quovis argumento copioſe ſtatim disputarent [27]). Deinde amabant etiam *contorta aculeataque ſophismata et captiones dialecticas*, quibus ab his, quae clara eſſent, homines depellere ſolebant, et ita interrogare, ut, quidquid reſponderetur, id videretur falſum eſſe. Qua in re quomodo ſint verſati, diſci poteſt ex eo Platonis ſermone, qui *Euthydemi* Sophiſtae nomen habet, in quo Euthydemum, cum fratre Dionyſodoro talibus praeſtigiis ludentes inducit audientium tur-

---

26) Haec impudenter ab *Ariſtophane* in *Nubibus* vitio vertuntur ipſi Socrati, qui accepta pecunia docere fingitur λέγοντα νικᾶν καὶ δίκαια κἄδικα p. 54. *Ed. Raphelenq.* Sed ab his artibus Socrates omni tempore fuit alieniſſimus. Ceterum de artificioſo dicendi genere et calamiſtrato, quo uſi ſunt Sophiſtae, omninoque rhetores antiqui, videndi ſunt *Philoſtratus* de *Vit. Sophiſtar.* l. I. *cap.* 9. et *Berger*, noſtrus, *de naturali pulcritudine orationis pag.* 75.

27) E. *Platonis Menone*, *pag.* 408. *Cicero de fin.* l. II. cap. 1. obſervat, primum hoc feciſſe *Leontinum Gorgiam*, et addit: *audax negotium! dicerem impudens, niſi hoc inſtitutum poſtea tranſlatum ad philoſophos noſtros eſſet.*

bam [28]). His artibus operam primus dediſſe fertur *Protagoras*, qui primus λόγων ἀγῶνας ἐποιήσατο, καὶ σόφισμα τοῖς πραγματολογοῦσι προσήγαγεν, auctore *Diogene Laertio* [29]). Qua in re, quoniam ad quaeſtum erat fructuoſiſſima, multos habuit imitatores, quamquam ipſe non ſine damno aliquando experiretur captionum ſuarum vanitatem [30]). His itaque artibus uſi Sophiſtae, dici non poteſt, quantopere exiſtimatione, gratia, opibus floruerint, quamquam ad communem utilitatem non modo per ipſos acceſſio fieret nulla, ſed etiam iuvenes multi corrumperentur, luderenturque vana ſpe [31]).

Adverſus hos igitur pugnare decrevit Socrates, ac reducere adoleſcentes ab illa vanitate ad ſobrium et humano generi ſalutare philoſophandi genus. Etenim facile intellexit vir prudentiſſimus, reprimi impudentia illa, quae om-

---

28) Hoc disputandi genus qui voluerit accuratius noſſe, *Ariſtotelis* legat *de reprehenſionibus Sophiſtarum libros* II. qui ſubtiliter, more ſuo, et accurate has artes perſequitur.

29) l. IX. *ſegm.* 52. 53. *Suidas*: ἐκλήθη πρῶτος ἔτος Σοφιστής· πρῶτος δὲ ἔτος τὰς ἐριστικὰς λόγους ἔνρε, καὶ ἀγῶνα λόγων ἐποιήσατο.

30) Conf. A. *Gellii Noct. Atticar.* l. V. c. 10.

31) Εσι γὰρ ἡ σοφιστικὴ, φαινομένη σοφία, οὖσα δὲ μή. καὶ ὁ σοφιστὴς, χρηματιστὴς ἀπὸ φαινομένης σοφίας, ἀλλ' ἀπ ὄντος. *Ariſtoteles de reprehenſ. Sophiſtar.* l. I. *cap.* 2.

nia ſibi ſcire videatur, cum nihil intelligat, amorem illum videndi veri, ac penitus exſtingui; quos vero genus humanum e ſapientiae ſtudio percipere fructus debeat, eos ſic prorſus perire [32]). Hinc natum eſt praeclarum illud viri conſilium, *quo primus a rebus occultis, et ab ipſa natura involutis, in quibus omnes ante eum philoſophi, occupati fuerunt, avocavit philoſophiam, et ad vitam communem adduxit: ut de virtutibus et vitiis, omninoque de bonis rebus et malis quaereret* [33]). Quod conſilium ut perfici poſſet, minuenda erat omni ſtudio Sophiſtarum auctoritas, qui turpi lucro inhiantes parum curabant generis humani ſalutem. Sed fuit profecto periculoſum ac difficile, eos aggredi, qui et gratia plurimum poterant, et eloquentia. Quod cum intelligeret Socrates, ac videret, orationis perpetuitate nihil adverſus

---

32) Graviter hac de re conqueritur apud *Platonem in Menone, pag.* 422, ubi cum omnes Sophiſtas accuſat, tum de Protagora maxime haec habet: Πρωταγόρας δὲ ἄρα ὅλην τὴν ἑλλάδα ἐλάνθανε διαφθείρων τοὺς συγγιγνομένους, καὶ μοχθηροτέρους ἀποπέμπων, ἢ παρελάμβανε πλέον, ἢ τετταράκοντα ἔτη.

33) Vid. *Cicero Quaeſt. Acad.* l. I. *cap.* 4. Inprimis huc pertinet *Xenophontis* in *Memorabilibus* disputatio, l. I. *cap.* 1. inde §. 11. ubi §. 16. argumenta ea breviter indicat, quae Socrates maxime tractavit. Nec poenituerit legiſſe locum aliquem *in Theaeteto pag.* 127. ſq.

ipſos effici: quamquam ipſe diſertus eſſet [34]), aliam tamen viam ingredi maluit. Ea enim ratio, qua Sophiſtae plurimum utebantur ad oſtentandam ingenii ſubtilitatem, et impediendos captionibus auditores, apta videbatur ad convincendam hominum vaniſſimorum ignorantiam. Hoc igitur *ab adverſariis acceptum* diſſerendi genus, praeſertim cum et inſtituendis rudibus accommodatum ſit, Socrates amavit ita, ut per omnem vitam eo lubenter uteretur.

Quae iam diximus de ſtudio Socratis, ignorantiam Sophiſtarum convincendi, ea non temere ſingi, docet ipſe in *Apologia* apud *Platonem*. Ibi enim de inſtitutis ſuis haec fere narrat [35]): ſe, cum Apollinis oraculo ſapientiſſimus declaratus eſſet, vehementer miratum eſſe Numinis iudicium, et ignoraſſe, quorſum pertineret; neque enim ſe conſcium ſibi fuiſſe alicuius ſapientiae. Sed reverentia Dei ductum, decreviſſe ſe, ait, accedere ad eos, qui ſapientiae laude florerent, ut experiri poſſet, quales ſint, quidue ſciant. Atque ſic ortam eſſe illam invidiam, et atrox hominum odium, quod adhuc paſſus ſit; cum ſapientes illi celeberrimi

34) Vid. *Platonis Menexenus* inprimis *pag.* 517. et honorificum *Ciceronis* teſtimonium de eloquentia Socratis *de oratore* l. III. c. 16.

35) Vid. §. 5 ſqq. *Ed. Fiſch.*

aegre tulerint tentantis quaestionem; ὅμως δὲ, inquit ἀναγκαῖον ἐδόκει εἶναι, τὸ τοῦ θεοῦ περὶ πλείστου ποιεῖσθαι, καὶ ἰέναι, σκοποῦντι τὸν χρησμὸν, τί λέγει, ἐπὶ ἅπαντας, τούς τι δοκοῦντας εἰδέναι. Καὶ νὴ τὸν κύνα, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δεῖ γὰρ πρὸς ὑμᾶς τἀληθῆ λέγειν, ἦ μὴν ἐγὼ ἔπαθόν τι τοιοῦτον. οἱ μὲν μάλιστα εὐδοκιμοῦντες ἔδοξάν μοι ὀλίγου δεῖν τοῦ πλείστου ἐνδεεῖς εἶναι. — Ex hoc viri consilio statim intelligitur, *Sophistas* inprimis ab ipso fuisse tentatos, qui erant profecto οἱ μάλιστα εὐδοκιμοῦντες. Qua in re quam diligenter versatus sit, sermonibus quibusdam, veluti exemplis, ostendit *Plato;* legendi sunt inprimis *Protagoras*, *Hippias uterque* et *Gorgias* [16]). Neque enim potuisset Plato sic disputantem inducere philosophum, nisi saepius cum Sophistis depugnasset. Solebat etiam *cum discipulis Sophistarum* ita verba facere, ut, quavis opportunitate usus, eorum iactationem convinceret, ac doceret, quam alieni sint a vera sapientia. Ele-

16) Socratis consuetudo, Sophistas interrogando in angustias compingendi, ut rectius intelligatur, in *Hippia* minore legi poterit *pag.* 256. et *pag.* 257. extr. *pagina* denique 258. ab initio. In *Gorgia* vero videndus locus *pag.* 337. *Ed. Fic.* In *Theaeteto* denique *pag.* 124. hac de re haec habet: μυρίοι ἤδη μοι Ἡρακλέες τε καὶ Θησέες ἐντυχόντες, καρτεροὶ πρὸς τὸ λέγειν, μάλ' εὖ συγκεκόφασιν· ἀλλ' ἐγὼ οὐδέν τι μᾶλλον ἀφίσταμαι· οὕτω τις ἔρως δεινὸς ἐνδέδυκε τῆς περὶ ταῦτα γυμνασίας.

gans locus, qui hoc illuſtrat, eſt in *Menone*, ſtatim ab initio. Atque ſunt profecto innumerabiles paene loci alii apud ſcriptores Socraticos, ubi oſtenditur, quo fuerit in Sophiſtas animo Socrates, ad quorum ſcientiam, faſtum, avaritiam alludit elegantiſſime, et quos fere ſemper venuſtiſſime ridet. Sic, ut vel unum locum ex hoc genere aſſeram, Calliae apud *Xenophontem* in *Sympoſio* [37]), qui ipſum ſatis honorifice invitaverat ad coenam, reſpondet venuſte: ἀεὶ σὺ ἐπισκώπτεις ἡμᾶς καταφρονῶν, ὅτι σύ μὲν Πρωταγόρᾳ τε πολὺ ἀργύριον δέδωκας ἐπὶ σοφίᾳ, καὶ Γοργίᾳ καὶ Προδίκῳ, καὶ ἄλλοις πολλοῖς· ἡμᾶς δ' ἐᾷς αὐτέργας τινὰς τῆς φιλοσοφίας ὄντας. Veriſſime itaque *Cicero* [38]): *ſed et illum*, inquit, *quem nominavi*, (Gorgiam) *et ceteros Sophiſtas, ut e Platone intelligi poteſt, luſos videmus a Socrate.* Eodem modo *alios omnes*, qui quarumdam rerum ſcientiam iactitabant,

---

37) *Cap.* I. *pag.* 115. 116. *Ed.* Bachii, quem ad eum locum vide. Adde locum alium indignem in *Mem.* l. I. *cap.* 6. §. 13. et *Aeſchinis Axiochum* §. 6. *Ed. Viſch.*

38) *De Finib.* l. II. *cap.* 1. et *de clar. Orator.* poſtquam Sophiſtas celeberrimos nominavit, *his*, inquit, *oppoſuit ſeſe Socrates, qui ſubtilitate quadam diſputandi refelleret eorum inſtituta ſolebat verbis.* Add. *Athenaei Dar. Hiſt.* l. II. *cap.* 13. πολὺ ἦν τὸ τῷ Σωκράτει ὄνομα, διότε τὰ ἄλλα, καὶ ἔτι νῦν Σοφιστὰς ἥλεγχεν. — Add. locum *Maximi Tyrii* Diſſ. VIII. p. 89. ubi de Sophiſtis, Socratis ἀντιτέχνοις, diſſerit.

arguere solebat insciliae; unde etiam *Diogenes* observat [39]), atrocem illam civium invidiam inde potissimum natam esse, ὅτι διήλεγχε τὺς μεγαλοφρονοῦντας ἐφ' ἑαυτοῖς ὡς ἀνοήτους. Ex hac viri consuetudine manarunt fere omnia, quibus docendi praestantissima ratio, qua usus est, continetur.

Ac primo quidem non ita docuit Socrates, ut vel *locum* haberet certum, ubi apud audientes disputaret, vel *temporis* cuiusdam rationem haberet, ut alii eo tempore magistri solebant; ac nostra fere fert consuetudo. Etenim cum mercedem nullam acciperet [40]), poterat suo more et locum deligere, ubi vellet differere, et uti eo tempore, quod videretur cuivis argumento aptissimum. Disputavit igitur domi, et in circulis amicorum; verba fecit in foro, inter deambulandum, in tabernis eorum, qui artes sellularias exercent, in triclinio, in carcere; nec praetermisit unquam opportunitatem, cives omnes, quocunque demum loco, docendi cohortandique ad quaevis honesta.

---

39) l. II. *segm.* 38. Conf. *Maximus Tyr.* Diss. XXXIX, 384.

40) Conf. *Plato in Apologia* c. 13. Et *Xenophon* in *Mem.* l. I. *cap.* 2. c. fin. (q. et *cap.* 6. ubi hanc suam liberalitatem copiose defendit adversus *Antiphontis* Sophistae calumnias.

Haec docendi ratio, quoniam proxime accedit ad consuetudinem ac familiaritatem quamdam, a qua prorsus absit praeceptoris persona paullo severior, fecit, ut negaret Socrates, *se unquam fuisse alicuius magistrum:* ἐγὼ διδάσκαλος μὲν, inquit [41]), οὐδενὸς πώποτ' ἐγενόμην· εἰ δέ τις ἐμοῦ λέγοντος, καὶ τὰ ἐμαυτοῦ πράττοντος, ἐπιθυμοῖ ἀκούειν, εἴτε νεώτερος, εἴτε πρεσβύτερος, οὐδενὶ πώποτ' ἐφθόνησα. Unde in eadem *Apologia* dicit, se quemque civium ita ad virtutem esse cohortatum, uti *patres* soleant, vel *fratres natu maiores* monere suos et castigare [42]). In quo genere docendi inprimis laudandum est Socratis artificium, *quo observavit monendi et inculcandi praecepta sua* εὐκαιρίαν *quandam*, eaque ita usus est, ut a rebus, quae gererentur, parvis interdum, ac vix memorandis, sensim disserendo progrederetur ad utilissimas disputationes, et instituta gravissima, eaque ex his rebus praeter opinionem eliceret. Qua in re dici non potest quam apte versatus sit et eleganter, ut praeceptiones, tam opportune propositae ab

---

41) Apud *Platonem in Apolog.* c. 21. Adde *Xenophontem in Mem.* l. I. cap. 2. §. 2. κάτοι γε οὐδὲ πώποτε ὑπέσχετο διδάσκαλος εἶναι τούτου· (sc. honesti) ἀλλὰ τῷ φανερὸς εἶναι τοιοῦτος ὤν, ἐλπίζειν ἔποιε τοὺς συνδιατρίβοντας ἑαυτῷ, μεμαθήνους ἐκεῖνον, τοιόνδε γενήσεσθαι.

42) Vid. §. 18.

eo viro, a quo abeſſet omnis moroſitas, animos audientium non poſſent non vehementer commovere. Hanc viri prudentiam et ſcriptores antiqui paſſim memorant, et Socratici inprimis illuſtrant exemplis. *Diogenes* quidem *Laertius* [43]), ἦν ἱκανός, inquit, ἀπὸ τῶν πραγμάτων τὰς λέξεις ἐυρίσκειν. *Arrianus* autem [44]) Socratem habuiſſe, ait, δύναμιν, ὥστ' ἐν πάσῃ συμπεριφορᾷ ἄγειν ἐπὶ τὸ αὐτὸ τὰς συνόντας. Hoc illuſtrat *Diogenes* eo loco, quem paullo ante excitavimus, quibusdam exemplis. Sic Iphicrati, duci, adiecit animos, cum oſtendiſſet ei gallos gallinaceos tonſoris Midae, adverſus eos, qui erant Calliae, pennis ac roſtro dimicantes [45]). Eutyphrona et Lyſidem quomodo ab errore revocaverit ac docuerit, intelligi e Platonis dialogis iis poteſt, qui ab his viris nomen acceperunt. Ac disci profecto optime poteſt e *Platone*, quam apte et prudenter potuerit e rebus, in medio poſitis et vulgaribus, elicere

---

43) l. II. *ſegm.* 29.

44) *Diſſert.* l. III. 16. Conf. *Plato* in *Lachete* pag. 486. et *Xenophon Mem.* l. IV. *cap.* 6. §. 13. ſqq.

45) Hoc videtur de certamine gallorum gallinaceorum publico intelligendum, quod quotannis fiebat in theatro. Conf. *Perizon.* in *leg. Ael.* pag. 84. et quae ab interpretibus obſervantur ad *Aeliani Var. Hiſt.* l. II. *cap.* 28. — Alcibiadis vero laſſum quomodo retuderit Socrates, idem *Aelianus* tradit *Var. Hiſt.* l. III. *cap.* 28.

ſermones, eosque eo deducere, quo vellet; ut docere quemque poſſet, ac monere, quae maxime viderentur utilia, ac tempori cuivis accommodata. Nam fere ſemper occaſione quadam invitatus disputat, et variis περιστάσεσιν ita utitur, ut rerum graviſſimarum ſcientia audientes imbuat, eorum opiniones confutet, dociles denique ſaluberrimis conſiliis adiuvet. Inprimis legendi ſunt, ut hoc recte intelligatur, uterque *Alcibiades*, *Euthyphron*, *Theaetetus*, *Charmides*, et quae *Xenophon* reliquit, *memorabilia Socratis*. Quae viri monita eo maiorem vim habebant, quo magis videbantur non ſtudio propoſita, ſed e re ipſa ſponte nata; animum vero, cui praeter opinionem obiiciebantur, propterea vehementer movebant, quod nulla opinione adverſus monentem occupatus erat. Nam qui ſciunt, ſe iam vel docendos, vel monendos, cohortandos, reprehendendos eſſe: ii vulgo ſolent animum afferre vel languentem ac tardum; vel iratum adeo, et a monitore alienum; ut ſic vel ſaluberrima conſilia aegre admittantur. Haec omnia non cadunt in rationem Socratis, qui eo tempore docuit, quo videbat animos diſcendi cupiditate incenſos, ac tum demum cohortatus eſt, vel reprehendit, cum animadvertiſſet, animos ad audienda conſilia bona praeparatos eſſe ſatis, vel certe

ab admittendis non alienos; erat enim, ut *Diogenes* ait [46]), ἱκανὸς ἀμφότερα, καὶ προτρέψαι, καὶ ἀποτρέψαι, ac noti ſatis ſunt ſermones ii, quos in *Memorabilibus* prodidit *Xenophon*, habiti illi cum *Lamprocle*, filio [47]), *Glaucone* [48]), *Charmide* [49]), aliis, quibus manifeſte declaravit, quantum in reprimendis, concitandis, flectendis hominum animis poſſet. Quam viri eloquentiam, qua aditum ſibi fecit ad omnes, et in univerſorum animos tamquam influxit, nemo elegantius laudavit et copioſius Alcibiade in *Sympoſio* apud *Platonem* [50]); qui locus ob inſignem elegantiam inprimis legendus eſt.

Quod hactenus deſcripſimus Socratis artificium, poſitum illud in *obſervandis docendi opportunitatibus*, id ab his, qui hoc genus voluerint ad inſtituta philoſophiae in academia traducere, cum mutata prorſus ſit temporum ac

---

46) l. II *fragm.* 29. Adde *Xenophontis Memorab.* l. I. cap. 2. §. 14.

47) *Memor.* l. II. *cap.* 2.

48) *Memor.* l. III. *cap.* 6.

49) *Memor.* l. III. *cap.* 7. Alia exempla propoſuit *Xenophon* l. II. *cap.* 7 et l. IV. *cap.* 2. Plato autem quomodo captus ſit Socratis facundia, *Aelianus* memorat *Var. Hiſt.* l. II. *cap.* 30. Huc etiam referri poteſt *Aeſchinis Axiochus*.

50) *Pag.* 1202. *Ed. Fic.*

reipublicae facies, non poteſt imitando exprimi duabus de cauſſis. Ac primo quidem is, qui in academia philoſophiam docet, non tam hoc agit, ut audientes *ad agendum* impellat et emendet; quamquam et hoc magiſtro cuivis bono debet eſſe propoſitum: quam ut *ſapientiae praecepta perſpicue et accurate tradat*, animumque ad cogitandi ſubtilitatem acuat. Quam igitur captare oportebat Socratem monendi ac docendi opportunitatem, ut inveniret *animos* in admittendis praeceptis faciles: ea minime eſt docenti in academia obſervanda, cuius praecepta *mente* capienda ſunt, quae certis temporibus, veluti horis matutinis, fere ſemper ſolet ad cogitandum alacrior eſſe. Deinde maxime propterea conſuetudo Socratica captandi occaſionem ab academiis aliena eſt, quod ii, qui docent ac diſcunt, non amplius ſunt ea familiaritate coniuncti, quae fuit inter Socratem et plurimos ipſius diſcipulos. Ita enim ſolebat Socrates cum iis, quos docebat, verſari, ut, quod iam ſupra obſervavimus, abeſſet magiſtri perſona, relinqueretur nonnihil amici vel civis. Cogebatur itaque e rebus ipſis elicere ſermones, ut non tam quaeſiti ſtudio, quam ſponte viderentur nati eſſe. Quae quantopere a noſtris moribus in academia diſtent, ad intelligendum non eſt difficile.

Sed hoc ipsum maxime fecisse videtur, ut nuper negaret *Schlosserus, Vir. Cel.*[91]) *Socraticam docendi rationem a quoquam posse imitatione exprimi;* qua de re vel propterea hic quaedam dicenda sunt, quod harum rerum peritis non obscurum esse potest, Virum doctissimum Socraticae methodi expressisse verissimam imaginem, compositam illam e libris scriptorum Socraticorum, maxime *Xenophontis.* Cuius disputationis si haec vis est, ut negetur, quemquam docendo ita posse sequi Socratem, ut, quae ille fecerit, ea imitetur *omnia, eodem* utatur *genere vitae*, et ad hoc exemplar *totum* sese componat; *Schlosserum* Cel. disputare verissime, quis tandem inficiabitur? Nam qui sic docere vellet, is ante omnia collocandus esset in *tali republica*, qualem Socrates habuit; mittendus foret ad *gentem*, elegantia morum et urbanitate conspicuam, dicendi studio et litterarum omnium incensam amore, opibus denique ac divitiis florentem, qualis fuit, ut inter omnes constat, eo tempore populus Atheniensis; instructus denique esse deberet iis *dotibus*, eoque *ingenio* praeditus, quod fuit in ipso Socrate. Quae omnia cum fieri non possint, nec magistrum esse posse, qui *prorsus* eo modo do-

---

91) *Kleine Schriften* Part. I. pag. 48 sqq.

cent, quo fit Socrates usus, facile est ad intelligendum. Sed qui Socraticam rationem nostris hominibus commendant, ii ab hac sententia longissime remoti sunt; et quod in omni imitatione fit, ut ea deligantur, quae sint temporibus et imitantium viribus accommodata, id etiam in hac causa fieri volunt, et optant, ut e ratione Socratis decerpantur ea, quae nobis utilia esse possint, reliqua, quae ex antiquorum temporum indole fluxerint, vel ingenio Socratis prorsus sint propria, omittantur. Iam neminem, arbitror, fore, qui neget, in methodo Socratis inesse multa, quae etiam nostris temporibus prodesse possint; haec igitur negligenda caelebimus eam ob causam, quod non eruditi in nos cadunt? Et cum Socrates vulgo disputaverit cum iuvenibus vel viris, quis non intelligit, eius rationem academicis maxime institutis commodam fore; nam et nobis adsident iuvenes iam adultiores, in quibus inest ingenium variarum rerum cognitione praegnans, et obstetricis opera levandum. Hoc etiam bene vidit *Cel. Schlosserus*, et alio loco ipse commendavit Socraticam methodum [93]), quamquam antea negasset, eam a quoquam imitando posse exprimi. Atque omnino videtur Vir Doctiss-

---

93) Vid. *Kleine Schriften*, Part. I. pag. 106.

mus nimia quadam Socratis reverentia abreptus esse, cum ista scriberet, ac reliquos homines omnes, inprimis hoc nostrum seculum, nimis inique contemnere. Etsi enim ex omni antiquitate Socratem omnium maxime miror, id tamen a me impetrare non possum, ut hunc virum cum *Cel. Schlossero hominem maximum* censeam, qui, praeter *Christum*, comparari possit cum alio nemine [53]); mihi quidem, ut iam alio loco professus sum, *Paullus*, apostolus, longe superare videtur Socratem, ut iam reliquos apostolos, Lutherum, alios, taceam. Sed nobis, nescio cur, fere semper externa placent et peregrina, domestica exempla negliguntur.

Sed quoniam Socratica docendi ratio, ut bene vidit *Schlosserus*, *Vir. Cel.* requirit aliquam eorum, qui docent, cum discentibus *consuetudinem*, ac paene dicam *familiaritatem*: equidem ab eo, qui voluerit hac methodo uti in tradendis philosophiae praeceptis, postulaverim, ut, quantum fieri possit, fugiat vulgarem

---

53) Cons. pag. 55. ubi sic disputat: *Christus und Socrates hatten verschiedene Lehrarten; Christus fühlte den Gott in sich, und lehrte wie Gott* (hoc quid sit, non satis intelligo; vellem, dixisset Vir Celeberrimus, quid sit, *more Dei docere*; vereor enim, ne haec verba sint *sani inanes*); *Socrates fühlte in sich den grössten Menschen, und lehrte wie der grösste Mensch; wer den Gott fühlt, lehre wie jener; wer den grössten Menschen, wie dieser.*

illam *morositatem* dicam, an *fastum* eorum, qui in academiis docent. Satis enim constat, praeceptores academicos vulgo fugere sedulo genus omne consuetudinis, cum iis, qui discunt, et existimare, se suo muneri prorsus satisfecisse, si in schola apud audientes, quorum nemini interrogare docentem licet, vel eorum, quae obscura sunt, illustrationem petere, disputaverint, vel, ut sit, *chartulis* docendi munere permisso, *lectoris* partibus functi sint; quo facto; ita se abdere plurimi solent, et audientium consuetudinem vitare, ut penitus et domi inspici possint a nemine. In quo potissimum hoc molestum est, quod ii, qui in academia litteras discunt, cum non nisi paucis aditus ad magistros pateat, reliqui, sibi fere relicti, incerti errent, facile vel *reprimuntur et animum abiiciunt*, vel *cristus erigunt*, et vana quadam de se opinione decipiuntur. Etenim qui sunt paullo erectioris ingenii, ac discendi quadam cupiditate flagrant, ii, praesertim si delati fuerint ad idoneos magistros, facile ita mirantur docentis in schola ubertatem, doctrinam, ingenium, ut, timidiores redditi, fere desperent, se unquam ad tantam eruditionem pervenire, vel omnino tantos magistros aliquo modo sequi posse. Quae opinio vel hoc efficit, ut frigere incipiat discendi ardor, vel, qui sic animati fuerint, ad unius

magistri auctoritatem unice se conferant, et iurare discant in eius verba. His si datum esset, cum praeceptoribus colloqui, facile possent addi stimuli, offendi vix, quae sit tenenda, atque omnino erigi animus et excitari, ut suis uteretur viribus, nec misere ex aliorum auctoritate penderet. Alii contra eorum, qui discunt, sapere sibi videntur saepe, et inani quodam fastu tument; ignorantes, quantum sit, quod nesciant, quantumque discendum superfit. Hi sic optime arguuntur et emendantur, si inspicientes penitus et cognoscentes idoneum magistrum, sentiant ac videant, quanta inesse debeat in viro docto, quam varia et accurata doctrina. Ac nesciunt profecto plerumque, qui docent in academiis, quid desit discentibus, quibusve erroribus et opinionibus impediantur, quominus ad veram eruditionem grassentur. Cui malo non potest alio modo occurri, nisi sic, ut inspiciant quasi et diligentius perquirant discentium ingenia, dotes, diligentiam, et aliquam cum ipsis consuetudinem contrahant. Quae consuetudo dici vix potest, quantam vim habeat ad excitandos apud eos, qui discunt, virtutum igniculos. Nam magistri exemplum, consuetudinis cum praeceptore utilitas et gratia, ipse metus, tanta bona amittendi, studium denique declarandi, te amore et amicitia praeceptoris non in-

dignum esse, haec omnia facile efficiunt apud homines, non prorsus perditos, ut non modo sint in colendis litteris diligentiores, verum etiam morum integritatem et elegantiam aliquam consectentur. Nec puto fore, qui existiment, sic aliquid detrimenti capere docentium auctoritatem. Nam quae auctoritas nonnisi ita conservari potest, ut arceas a te alios, et grandi supercilio terreas, ea est vanitati et superbiae coniunctior, quam honestati. Ita enim quisque solet alios maxime colere, uti propius inspectos honore dignissimos deprehenderit. Quanta fuerit antiquorum philosophorum auctoritas, quos, constat, fere semper audientium turba lipatos fuisse, quis nescit. — De hac re legenda sunt, quae *Seneca* disputat Epist. VI.

Sed quae hactenus disputavimus, ea non habent hanc vim, ut censeamus, commilitones omnes, nulla prorsus re commendatos, statim admittendos esse ad aliquam praeceptoris familiaritatem. Etenim hoc ipsum, quod nonnisi hominibus probis, qui diligentiae et honestatis quadam laude floreant, ad magistros patere debet quidam aditus, facile reliquos ad has virtutes incendit, praesertim cum intelligant, quam honorifica sit haec amicitia cum ipsis praeceptoribus. Nec quod tempus a debendo labore

vel aliis negotiis vacuum, legendis bonis libris, vel cogitandis rebus aliis ac scribendis destinatum esse debet, illud, censemus, omne a praeceptoribus terendum esse in circulis audientium, nam hoc et molestum esset, et parum haberet utilitatis. Sed ab his, qui admittere ad se voluerint audientes, definiendum censemus certum aliquod tempus, iisque colloquiis destinandum; ut accipimus *Zachariae*, Kilonienſium nuper celeberrimum theologum, fere quotidie honestioribus viris, qui in ea academia litteris operam darent, sui copiam fecisse, et hortando, suadendo, disputando de rebus utilibus, cum amorem sui ac desiderium excitasse summum, tum profuisse quamplurimis. Qui sic aditum ad se patefecerit audientibus, et conciliaverit sibi ipsorum animos, is etiam facile, si philosophia tradenda fuerit in schola, Socraticam rationem exprimet, cum et audientium *ingenia noverit*, et *animi quandam* etiam in schola *personam* habeat. Sed facile video, hoc modo prodesse, ut nunc sunt tempora, nonnisi paucis praeceptoribus academicis datum esse, scilicet his, in quibus insit et *accurata promtaque doctrina*, quae non unice suspensa sit e chartulis, vel scitantium curiositatem pertimescat; et augendae salutis publicae *studium indefessum*, *nulla turpis lucelli cupiditate cor-*

ruptum. — Iam unde digreſſa eſt, eo reverta-tur oratio.

Socrates igitur fere ſemper *interrogando* docuit. Raro utitur orationis perpetuitate, ſed ita fere loquens inducitur a ſcriptoribus ſuis aetatis, ut ex his, quos vel docet, vel convincit, interrogando eliciat ea, quae maxime videantur neceſſaria. Interdum videtur ſermones ſuos diſtinxiſſe *narrationibus quibuſdam*, vel μύθοις, qui et efficaces eſſent ad delectationem eorum, quibuscum diſſereret, et ad rei propoſitae illuſtrationem idonei. Exempla paſſim leguntur apud ſcriptores Socraticos, ac ſunt fere tales loci conditi quaſi Attico melle, habentque inſignem elegantiam. Sic apud *Xenophontem* [54]) illuſtrat elegantiſſimam illam de voluptate diſputationem, cum Ariſtippo habitam, fabula *de Hercule Prodicio*. Apud *Platonem* in *Phaedro* [55]) docet propoſito apologo, quomodo factum ſit, ut animus humanus iam ſit cum corpore coniunctus, ac tantopere moveatur pulcritudinis quavis oblata imagine. Alium μύθον elegantem profert in *Gorgia* [56]).

---

54) *Mem.* l. II. *cap.* 1. inde a §. 21. Quantopere placuerit haec fabula, non obſcurum eſt his, qui antiquos ſcriptores, eam aemulatos, cognoverunt.

55) *Vid. pag.* 1221. *ſqq. Ed. Fic.*

56) *Conf. pag.* 478. *ſqq.*

Elegantiſſimas vero narrationes, et aptiſſimas profecto ad illuſtrandum argumentum propoſitum habet *uterque Alcibiades* [57]), ut iam exempla alia multa praetermittam [58]). His addidit *optimorum poetarum γνώμας et locos inſignes*, quibus tamquam teſtimoniis quibusdam uſus eſt; idque fecit ſaepius. Etenim non modo multa eius conſuetudinis veſtigia ſuperſunt apud *Xenophontem* et *Platonem*: verum etiam hoc ipſum, auctore quidem *Xenophonte* [59]), ab accuſatore ei obiectum eſt. Quod vero *interrogando* ſemper docuit, eius rei multas habuit, easque graviſſimas rationes. Ac primo quidem eius conſilium, ut iam obſervavimus ſupra, hoc fuit, ut omnium, qui ſibi viderentur ſapere, Sophiſtarum inprimis, *inſcitiam argueret*, et oſtenderet circulatoriam iactationem. Qua in re ſi uti voluiſſet orationis perpetuitate, effeciſſet profecto nihil. Nam qui late et copioſe adverſus alios diſputant, audientes offendunt, et conſilium ſuum ſatis imprudenter produnt. Socrates vero moderate coepit, qui ſcientiam

57) Vid. in *Alcibiade primo pag.* 442, et in *altero pag.* 458.

58) Veluti illam *de antro* elegantiſſimam diſputationem; conf. *de Republ.* l. VII. pag. 691. ſq. de qua ſingularem *proluſionem* ſcripſit S. R. *Fenuſſ.*, quae Lipſiae prodiit A. 1753.

59) Vid. *Memor.* l. I. *cap.* 2. ſ. 56.

aliquam iactitabant, interrogare, quid ſit, quod ſciant, atque ſic ſenſim homines adducere, ut, cum quaerendo eos cogeret, notiones rerum diſtinctas formare, facile intelligerent, ſe et opinionibus deceptos eſſe, et, quod ſibi ſcire viſi eſſent, ignorare. Exempla ubique occurrunt apud ſcriptores Socraticos, et quaedam ex *Hippia* et *Gorgia* attulimus ſupra. Unde profitetur ipſe, ſe omnes ἐξετάζειν et ἐλέγχειν, his enim verbis utuntur fere ſcriptores Socratici ea de re. Apud *Platonem* in *Apologia* [60]) ᾤθην, inquit, καὶ ὑπέλαβον, φιλοσοφοῦντά με δεῖν ζῆν, καὶ ἐξετάζοντα ἐμαυτὸν, καὶ τοὺς ἄλλους. Et paucis interiectis ait [61]), *ſi quis mihi viſus fuerit ſapientiae ſtudio deditus*, οὐκ εὐθὺς ἀφήσω αὐτὸν, οὐδ' ἄπειμι, ἀλλ' ἐρήσομαι αὐτὸν, καὶ ἐξετάσω. *Thraſymachus* autem apud *Platonem* conqueritur [62]), Socratis conſuetudinem cerni in eo, ut

60) Vid. §. 17. *pag.* 69. *Ed. Fiſch.*

61) pag. 72.

62) *De Republ.* l. I. *pag.* 508. *Adde Apolog.* §. 22. *pag.* 81. *Ed. Fiſch.* ubi cauſſam, cur diſcipulis fere ſemper [illegible], hanc eſſe dicit, ὅτι ἀκούοντες χαίρουσιν ἐξεταζομένοις τοῖς οἰομένοις μὲν εἶναι σοφοῖς, οὖσι δ' οὔ. Et §. 10. pag. 55 [illegible] οἱ τῶν πλουσιωτάτων [illegible], χαίρουσιν ἀκούοντες ἐξεταζομένων τῶν ἀνθρώπων, καὶ αὐτοὶ πολλάκις ἐμὲ μιμοῦνται, εἶτα ἐπιχειροῦσιν ἄλλους ἐξετάζειν — ἐντεῦθεν οὖν οἱ ὑπ' αὐτῶν ἐξεταζόμενοι ἐμοὶ ὀργίζονται, [illegible] Adde in *Lachete* pag. [illegible] Nicias eleganter modum deſcribit, quo Socrates ſolebat explo-

αὐτὸς μὲν μὴ ἀποκρίνηται, ἄλλου δ' ἀποκρινομένου λαμβάνῃ λόγον καὶ ἐλέγχῃ. — Altera caussa, cur cum iis, quos vel docere volebat Socrates, vel corrigere et reprehendere, multa interrogando ac varie, instituerit colloquia, haec est, quod, ut etiam posuimus iam supra, removebat a se omnia, *quae aliquam praecipientis magistri speciem haberent.* Cum patre se aliquo vel fratre comparat, qui amice suos ad virtutis studium impellat. Ut igitur omnem praecipientis severitatem vitaret, *εὐκαιρίαν* captans, colloquia instituit, exorsus vulgo a rebus vulgaribus, et varie quaerens, ea proposuit, quae dicenda censebat, ac praeter opinionem audientes eo deduxit, quo ducendos existimaverat. Tales sermones et tempore quovis et loco habere poterat, et habuit vere; atque hoc modo illud adeptus est, quod vix alius quisquam, ut *omnibus et omni tempore* prodesse posset; prodesset autem sic, ut audientes nunquam caperet praeceptionum aliquod fastidium, ac discerent ex eo viro, qui sibi nunquam praeceptoris auctoritatem et supercilium arrogasset; ipse enim,

---

rare homines, et ea de re simili verbo *βασανίζειν* utitur. Cont. etiam *Xenophon Mem.* l. III. *cap.* 1. et inprimis l. IV. cap. 2. ubi elegantissima disputatio cum *Euthydemo* satis ostendit, quomodo Socrates potuerit homines *ταράττειν καὶ ἐλέγχειν.*

ut ſtatim docebimus, nihil ſe ſcire profitebatur, ut eo facilius, quae ſciret, communicare cum aliis quaſi clanculum poſſet ac praeter exſpectationem. — Amaſſe denique hoc genus docendi etiam propterea videtur, quod animadvertebat *inſignem eius utilitatem.* Nihil enim eſt ad excitanda ingenia tarda, nihil ad cohibendam erectiorum praecipitem celeritatem, nihil denique ad acuendam cogitandi contemplandique ſubtilitatem efficacius tali ſermone. Senſim enim aſſueſcunt, qui ita diſcunt, rem, quam contemplantur, varie et accurate conſiderare, videntque, quomodo poſſit *inveniri*, quid ſit in quavis re verum. *Ea facillime*, ut ait Cicero [61]) *quod veriſimillimum eſſet, inveniri poſſe Socrates arbitrabatur.*

Atque hoc docendi genus, quod *interrogationibus* continetur, commendari et poteſt, et debet iis, qui Socratem voluerint in tradenda philoſophia imitari. Vulgaris enim docendi in academia mos habet ille profecto multa, quae carpi poſſint, et incommoda videantur. Nam qui apud nos audiunt magiſtros, placita philoſophiae apta inter ſe et connexa demonſtrantes oratione perpetua et explicantes, ii multa vel perperam intelligunt, vel prorſus

61) Tuſcul. Quaeſt. I. I.

non aſſequuntur. Etenim cum non liceat colloqui in ſchola, vel quaerere quicquam ex eo, qui docet; audientibus ſaepenumero ea, quae magiſtro videntur clariſſima, vel optime demonſtrata, multum aut obſcuritatis habere videntur, aut dubitationis. Quod maxime tum fieri ſolet, cum praeceptor chartulis ſuis ita confidit, ut omnia praelegat, nec poſſit ſermone, qui ad familiarem conſuetudinem ſeſe demittat paulisper, latius omnia et copioſius perſequi. Neque enim legentem ita ſemper vel cogitando ſequi, vel potiora notando poſſunt audientes, ut omnia rite intelligant; ac dici profecto vix poteſt vel credi, quae monſtra opinionum et errores ſaepenumero e talibus ſcholis reportent in pugillaribus audientes, ſcilicet non aſſecuti ſatis praeceptoris mentem, et in enotando ob nimiam feſtinationem lapſi. Quae pernicies ſic maxime vitaretur, ſi et audientibus *loqui* liceret in ſcholis, et id ageretur, ut, quantum fieri poſſet, omnis docendi ratio ad colloquiorum accederet indolem. In hoc enim ineſt magna illa, quam omnes agnoſcunt, lectionum, quas dicunt, *examinatoriarum* utilitas ac *diſputationum*, quibus efficitur facile, quod ſaepius repetita auditione non poteſt. Nec impedit audientium *multitudo*, quominus magiſter ipſis quaedam dicendi partes concedat. Nam primo

quidem e maiori frequentia poſſunt pauciores deligi, qui dicendi ius habeant, tacentibus reliquis; quae colloquendi cum magiſtro partes ita commutandae ſunt, ut ſenſim et ordine etiam a reliquis ſint ſuſcipiendae. Deinde poſſunt etiam ex illa maiore multitudine, ut fieri ſolet in lectionibus aliis, ſegregari ac deligi minores quaedam ſocietates, quas facilius poſſit, quo diximus, modo docere praeceptor. Ac poterit profecto ab eo magiſtro, qui habeat aliquam ingenii dexteritatem, et inſtructus ſit ea doctrina, quae ſit pronta paratoque, et ſine ſollicita ambitioſaque prolatione ſtatim occurrat, inveniri facile et indicari, quid et tempori cuivis, et ſocietati diſcentium ſit accommodatum. Ceterum profeſſi iam ſumus, nos non prorſus abrogandum cenſere vulgare genus diſputandi in ſchola, cum et ipſum habeat multa, quibus commendetur, Socraticum vero non poſſit a quovis magiſtro imitando exprimi, ſed diligentem requirat cum Socraticorum ſcriptorum lectionem, qui cognoſcendi penitus ſunt et imbibendi, tum uſum aliquem et exercitationem. Hic etiam legenda ſunt, quae *Cicero* dicit *de finibus* L. II. c. 1. de ratione Socratica, quam *Arceſilas* revocavit.

Sed revertamur in viam. Sequitur enim, ut oſtendamus, *quomodo* Socrates interrogaverit

alios, et aditum quaſi patefecerit ſibi ad omnium animos. Qua in re verſatus eſt ſapientiſſime, uſus fere ſemper illo *diſſimulantiae* genere, quam Graeci εἰρωνείαν appellant, *Cicero urbanam diſſimulationem* dicit [64]). Eſt autem haec diſſimulatio, auctore quidem *Cicerone, cum alia dicuntur, ac ſentias;* quod poteſt varie fieri ac venuſtiſſime. *Eſt enim*, ut *Cicero* ait eodem loco, *genus perelegans, et cum gravitate ſalſum, eumque oratoriis dictionibus, tum urbanis ſermonibus accommodatum* [65]). Nos iam docebimus, quomodo Socrates ſit hoc genere uſus, qui fuit hac in re reliquorum omnium facile princeps.

Solebat igitur fere ſemper ſimulare omnium rerum inſcitiam quamdam, ac prae ſe ferre, ſe nihil ſcire, niſi id ipſum, ob eamque rem ſe arbitrari ab Apolline omnium ſapientiſſimum

---

64) Vid. *de Oratore* l. II. ubi etiam, *Socratem*, *opinor*, inquit, *in hac ironia diſſimulantiaque longe lepore et humanitate omnibus praeſtitiſſe.* Eſt etiam *Fraguierii*, *Francogalli*, de *ironia* Socratis eiusque *Genio* ſingularis libellus; vid. *Memoires de l'Academie des inſcriptions et belles lettres Tom. IV. pag.* 370. ſqq. quem nuper in linguam noſtram converſum dedit *Iliſmann Vir. Clar.* vid. *Magazin fur die Philoſophie und ihre Geſchichte, part. II. pag.* 253. ſqq. Nos hac de re noſtro more agemus; illum vero libellum lectori commendamus.

65) Conf. *Quinctilianus Inſtit. orator.* l. IX. c. 2. §. 44 ſqq.

esse dictum [66]). Hinc fere nunquam, quid de quavis re sentiat, aperit, sed interrogando efficit, ut vel refellantur ii, qui aliquid affirmant, vel imperiti deducantur ad eam sententiam, quae verisimillima videatur. Tegit itaque summam prudentiam simulatione imperitiae, morumque rusticorum tanquam involucro; sua vehementer extenuat et contemnit omnia, aliorum dicta et sapientiam miratur et collaudat. Qua in re eo progressus est Socrates, ut mallet rideri publice, quam ponere illam personam, et prodere vel nudare praestantissimas animi dotes [67]). Fecit autem hoc Socrates *ab ipsa natura adiutus;* habuit enim corpus ad deformitatem insigne, eumque vultum, qui indicare videretur Zopyro physiognomoni, Socratem esse stupidum et bardum. Eleganter hac de re disputat Alcibiades apud *Platonem* in *Symposio* [68]).

---

66) Conf. *Cicero Acad. Quaest.* l. I. c. 4. et *Plato* in *Apol.* c. 6. etiam de *Republ.* l. I. pag. 5?3. et multis aliis in locis idem profitetur. Hinc *Philostratus* c. 341. *Apollonium Tyanensem*, quo nemo fuit in decernendo promtior atque audacior, disputasse [illegible]; vid. *Vita Apollonii* l. I. *cap.* 17. quod alio loco sic exprimit, *se eum non dixisse more Socraticorum;* vid. l. IV. c. 2. Ed. Olear. Conf. *Seneca de benef.* l. V. c. 6.

67) Exemplum illustre memorat ipse in *Gorgia pag.* 323. coll. pag. 331. ubi dicitur Socrates [illegible]

68) Conf. pag. 1?? ?41.

Similem esse Socratem ait *Silenis*. Φημὶ ὁμοιότατον αὐτὸν εἶναι τοῖς Σειληνοῖς τούτοις τοῖς ἐν τοῖς ἑρμογλυφείοις καθημένοις — οἳ διχάδε ἀνοιχθέντες φαίνονται ἔνδοθεν ἀγάλματα ἔχοντες θεῶν. Scilicet ἀγάλματα illa θεῶν indicant *praestantissimas dotes Socratis atque virtutes*, corporis deformitate ac dissimulantia illa, quae viro sollemnis erat, involutas quasi atque contectas. Hoc paucis interiectis ita exponit[9]): τοῦτο, scilicet τὸ σχῆμα σειληνῶδες, οὗτος ἔξωθεν περιβέβληται, ὥσπερ ὁ γεγλυμμένος Σειληνὸς ἔνδοθεν δὲ ἀνοιχθεὶς, πόσης οἴεσθε γέμει, ὦ ἄνδρες συμπόται, σωφροσύνης. — Pergit deinde in laudanda Socratis continentia, rerum humanarum contemtu, ceterisque virtutibus, quae sub hac deformitate latebant. Huc etiam pertinet locus alius in

---

9) Vid. *pag.* 1207. Ceterum ex hoc et aliis quibusdam locis apud *Platonem* (liceat enim huc obiter addere), desumta sunt illa ἀγάλματα θεῶν, ab *Ignatio* usurpata, et ἀγάλματα ἱερὰ *Clementis Alexandrini* conf. *Strom.* l. VII, c. 5. p. 846. ut o. R. *Ernesti* iam monuit in illa *de antro Platonis* disputatiuncula. Addendus est locus *Eusebii adv. Hieroclem cap.* 6. ubi homo probus dicitur [illegible] θεῖον ἀγαλματοφορῶν τῇ ψυχῇ. ψυχῆς ἀγάλματα etiam *Eunapius* memorat in *Maximo* p. 70. Inprimis huc pertinet *Origenis* disputatio, qua hunc tropum copiose ornat *adversus Celsum* l. VIII, p. 389. 90. edit. eod. loco p. 405. *Cicero de legg.* l. I. c. 22. qui se norit, ingenium in se suum sicut simulacrum aliquod, dedicatum putabit. Add. *Lactantius* Div. instit. l. V, c. 8, §. 2 et 4.

Theaeteto[70]), ubi *Theodorus*, Theaeteti deformitatem memorans, Socrati dicit: οὐκ ἔστι καλὸς· προσέοικε δέ σοι τήν τε σιμότητα, καὶ τὸ ἔξω τῶν ὀμμάτων ἧττον δὲ ἢ σὺ ταῦτ' ἔχει. Haec igitur Socratis ironia, quam summopere iuvabant corporis deformitas, ipsis quevestimentis conspicua viri paupertas[71]), dici non potest, quot elegantissimos locos pepererit apud *Platonem*, quibus nihil potest urbanitate, lepore, suavitateque cogitari conditius. Sed ut rectius intelligatur, quomodo sit Socrates in illa dissimulatione versatus; describendum est paullo copiosius cum illud differendi genus, *quo convincere solebat vanorum hominum inscitiam*, veluti Sophistarum; tum ea ratio declaranda, *qua imperitos docuit, et ad contemplandam verum adduxit*; nam in utroque genere εἰρωνείαν istam adhibuit ille quidem sapientissime, nec tamen eadem prorsus ratione.

Ostendimus igitur iam supra, Socratem omni studio hoc egisse, ut Sophistarum vanitatem, quos eo tempore mirabatur universa Graecia, convinceret, convictamque deridendam pro-

---

70) Vid. §. 2. *pag.* 59. *Ed. Fisch.* Comparandus etiam eiusdem dialogi locus alius 43. *pag.* 210. Et *Maximus Tyr.* Diss. XXXVII. p. 715.

71) Conf. Socratis cum *Antiphonte* Sophista disputatio apud *Xenophontem Memor.* l. I. *cap.* 6.

poneret. In hac vero γυμνασίᾳ, ut ipſe appellat [72]) vel maxime eluxit εἰρωνείας Socraticae vis. Hoc intelligi poteſt e *Platonis* dialogis iis, in quibus Socrates inducitur cum Sophiſtis diſputans, *Euthydemo, Gorgia, Hippia*, et *Protagora*; e quibus iam pauca delibabimus.

Solebat igitur, cum audiviſſet, alicuius Sophiſtae facundia Athenienſes eſſe perculſos, *diſſimulare* iactatoris vaniſſimi *contemtum*, *mirari* potius cum reliquis civibus tanti viri, tamque divini vaſtam doctrinam et inſignem eloquentiam, *quaerere* denique ſtudioſe *opportunitatem audiendi*. Accedebat igitur cum aliis, non arguendi ſtudium prae ſe ferens, ſed modeſtus, *diſcendi* ſimulans incredibilem cupiditatem, paremque cum reliquis tantorum hominum admirationem. Sic venuſſe ait in *Euthydemo* [73]), ſe hunc et fratrem Dionyſodorum ſectari adeo impoſterum velle, eorumque artes et ſubtilitatem in diſputando vehementer celebrans, falſiſſime ridet ineptiſſimos nebulones. Solet autem vulgo eos *alloqui reverenter*, et compellare multo honore, collaudans ſummopere eorum ſapientiam; ut *Plato* eum finxit ad *Hippiam*

---

72) In *Theaeteto pag.* 124. *Ed. Ficini.*

73) Vid. *Euthyd. pag.* 290 et 291. Adde in *Lachete pag.* 485 med. et *pag.* 495. De Dionyſodoro videndus etiam locus quidam *Xenophontis Mem.* l. III. c. 1.

accedentem [74]) cuius etiam ſordes et avaritiam ſuaviſſime ludit [75]). Qui cum dixiſſet, ſe ſuis artibus magnam pecuniam collegiſſe, Socrates, rei novitate quaſi perculſus, in hoc, ait, magnum ineſſe documentum, quantopere Sophiſtae antiquis illis philoſophis pauperculis ſapientia praeſtent. Anaxagoram enim et alios adeo ſtulte philoſophatos eſſe, ut patrimonia ſatis ampla diſſiparent; multo rectius, longeque melius Sophiſtas philoſophia uti, ſapientem enim, *ſibi ſapere* debere. Disputandi *initia* ita fere facit, ut, miratus tanta ingenia, ſuamque accuſans δυσμάθειαν, plurima lubenter ipſis concedat [76]), profiteatur tamen, paucula ſibi in his, quae copioſe et erudite diſputaſſent, obſcura eſſe, quorum illuſtrationem modeſte et adhibitis precibus petit [77]). Interdum ipſe proponit

---

74) Conf. *Hippias maior* ſtatim ab initio *pag.* 1245. ſq. Add. *Xenophon Mem.* l. IV. c. 4. c. 6.

75) Vid. *pag.* 1245. Legi etiam poterit in *Theage pag.* 95. *Cicero* in *Bruto* Atticum hac de re ita disputantem inducit: *eſt et minime inepti hominis, et eundem etiam faceti, cum de ſapientia diceptetur, hanc ſibi ipſum detrahere, eis tribuere illudentem, qui eam ſibi arrogant; ut apud Platonem Socrates in caelum eſſet laudibus, Protagoram, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, ceteros: ſe autem omnium rerum inſcium fingit et rudem.*

76) Conf. *Protagoras pag.* 225. et inprimis *pag.* 228. extr. et 229. Adde in *Euthyphr. pag.* 6. extr.

77) V. c. in *Protag. pag.* 239.

argumentum aliquod, quoniam poſtulare in conventu ſolebant Sophiſtae, qua de re quisque vellet audire; quod ubi facit, *inſcitiam* ſuam vehementer verbis auget, et diſcendi declarat incredibilem aliquam cupiditatem [78]). In omni autem disputatione ſe vehementer contemnit ipſe, et eo tantum conſilio interrogare ſe alios ait, ut rectius doceatur et liberetur ab erroribus [79]). Cum vero Sophiſtae lubenter uterentur oratione perpetua et copioſa, cuius veluti flumine rapiebant audientium turbam in quasvis partes: oſtenſurus Socrates, eos verborum ambiguitate, obſcuritate notionum, aliisque artibus audientes decipere, querebatur vulgo *de ingenii ſui tarditate.* Cum enim peroraſſent, miratus divinam eorum dicendi vim, negabat, ſe poſſe haec omnia ſatis aſſequi; oblivioſum ſe eſſe, ac tardo ingenio praeditum; ſi quis multa ſimul perſequatur oratione perpetua, oblivi ſci ſe ſtatim, quid ſit, de quo quaeratur, et rerum copia obrui; e quibus efficit fere hoc, ut *conciſioribus quaeſtiunculis* ſecum agendum ſit, quas facilius intelligere ſe ac tenere poſſe aiebat;

78) Elegans locus, qui hoc illuſtrat, eſt in *Hippia maiore pag.* 298. fere extr.

79) Conf. in *Gorgia pag.* 313 *et* 352. In *Hippia minore pag.* 258.

quod cum ipſi dediſſent Sophiſtae, facile eos ita conturbabat, ut intelligeretur vaniſſima eorum iactatio [80]). Sed Sophiſtae, in anguſtias compulſi Socratis captionibus et conſtricti, querebantur ſaepenumero, eum minora quaevis in ſermone contrectare, ſummam rei intactam relinquere [81]) et aegre ferebant, inutilem ſibi eſſe illam dicendi vim, qua alias plurimum poſſent. His reſpondere ſolebat Socrates, ſe, cum viros ſapientes audiat, *ad omnia*, vel *minima*, animum ſolere attendere; nam quae a talibus viris ac tantis dicantur, ea gravia ſibi videri omnia, dignaque, quae accuratius excutiantur [82]). Negabat etiam, ſe *ſtudio* eos, quibuscum diſſerat, ad anguſtias redigere, vel conturbare velle *deliberato conſilio;* tribuendum hoc eſſe ingenii ſui imbecillitati; unde rogabat ſaepe, ne imprudenter peccanti iraſcerentur [83]). Addebat, ſe *nihil prorſus ſcire*, ſed in-

80) Huius ἀρωνίας exempla multa occurrunt: veluti in *Protagora pag.* 232 et 233, ubi inter alia, ἐγὼ τυγχάνω, inquit, ἐπιλήσμων τὶς ὢν ἄνθρωπος, καὶ ἐάν τις μοι μακρὰ λέγῃ, ἐπιλανθάνομαι, περὶ ὅ τι ἂν ᾖ ὁ λόγος. Adde ex *Hippia minore pag.* 253 ſtatim ab initio, et e *Theaeteto pag.* 142.

81) Conf. in *Hippia minore pag.* 276 et in *maiore pag.* 286. Addi poterit ex *Euthydem. pag.* 8.

82) Sic vemente reſpondet *Hippiae pag.* 298.

83) Conf. in *Hippia minore pag.* 258.

certum errare ſemper; quaeſtionibus autem uti ſe eam ob cauſſam, ut a tantis viris, qui omnia ſciant habeantque perſpecta, doceri poſſit, et ad videndum verum acui [84]). Cum denique ad ſilentium eos redegiſſet, ipſe, quaſi conſulens ipſorum auctoritati, *eos excuſabat*, verecundiores appellans ac timidiores, qui iſtam divinam ſapientiam nollent proferre in lucem atque conſpectum, et ſciſcitantibus impertiri [85]). Eodem fere modo *Sophiſtarum diſcipulos* reprehendit, eorumque reprellit faſtum. Exemplum eius rei illuſtre dedit *Plato* in *Menone*, cuius dialogi initia elegantiſſima ſunt, ac ſuaviſſimae εἰρωνείας facetiis condita. Loços alios, quos facile obſervabit, qui Socraticos, inprimis *Platonem*, diligenter cognoſcere voluerit, iam praetermitto [86]).

Ab hoc diſputandi genere manarunt quaedam alia, *Socrati propria*, de quibus pauca monenda ſunt. Ac primo quidem *utebatur ſere ſemper exemplis vulgaribus, a rebus quotidianis vilibusque deſumtis.* Habebat enim ſemper in ore paſtores, coriarios, fabros atque omnino

84) Conf. in *Hippia maiore pag.* 1361, in *minore* autem *pag.* 257. ext.

85) Vid. in *Protagora pag.* 332.

86) Haec Socratis in omni ſermone diſſimulatio peperit etiam comparationem illam colloquiorum Socraticorum cum *tabula Pauſonis*, de qua *Aelianus* agit *Var. Hiſt.* l. XIV. *cap.* 15.

eos, qui sellularias artes exercent. Hoc aegre tulit Critias ille, unus e triginta tyrannis, eumque hoc nomine, additis minis, reprehendit [87]). Fecit autem hoc et *perspicuitatis* caussa, et maxime eo consilio, ut inscitiae quadam et *rusticitatis specie* tegeret incredibilem vim ingenii, quam si perspexissent homines vani et iactantes, sermones eius caute vitassent [88]). Hoc fuisse viri consilium intelligitur ex aliquo loco in *Hippia maiore;* cum enim aliquid illustrans quaesivisset ex Hippia, utrum aurea, an siculnea tudicula ollae pulcrae convenientior esset, isque respondisset, sibi molestum esse, cum homine *talia* quaerente disputare: respondet Socrates venuste: ὀρθῶς γε, ὦ φίλε· σοὶ μὲν γὰρ οὐκ ἂν πρέποι, τοιούτων ὀνομάτων ἀναπίμπλασθαι, καλῶς μὲν οὑτωσὶ ἀμπεχομένῳ, καλῶς δὲ ὑποδεδεμένῳ, εὐδοκιμοῦντι δὲ ἐπὶ σοφίᾳ ἐν πᾶσι τοῖς Ἕλλησιν· ἀλλ' ἐμοὶ οὐδὲν πρᾶγμα φύρεσθαι πρὸς τὸν ἄνθρωπον, scilicet cum eo versari, quem talia quaerentem

---

87) Vid. *Xenophon Mem.* l. I. *cap.* 2. §. 37. Hoc aliis verbis eloquitur l. IV. *cap.* 6. §. 15. ὁπότε αὐτός (sc. Socrates) τι τῷ λόγῳ διεξίοι, διὰ τῶν μάλιστα ὁμολογουμένων ἐπορεύετο, νομίζων ταύτην τὴν ἀσφάλειαν εἶναι λόγου. Videndus quoque locus *Platonis* in *Sympos.* Cap XXXVII. p. 115. 16. Ed. *Wolf.*

88) Vid. *pag.* 1251. Conquestus iam erat *pag.* 1250, cum Socrates ab equa, lyra, olla duxisset exempla, misceri nomina tam vilia in re gravi et seria.

finxerat, ludendi Sophiſtae cauſſa. Hanc conſuetudinem ſervavit per omnem vitam, atque ſic et profuit quamplurimis, et multorum inſcitiam patefecit. — Alterum, quod ab hac ironia manavit, fuit *illa de rebus omnibus dubitatio*, quae ſaepe commemoratur ab antiquis ſcriptoribus. Obſervavimus iam ſupra, Socratem ſimulaſſe rerum omnium ignorantiam, ac ſemper in ore habuiſſe tritum illud, ſe nihil ſcire. Unde etiam adverſus eos, qui aliquid ſcire putabant, diſputat, eosque conturbat, quo facto ſaepe rem omnem relinquit in medio, nec, quid verum ſit, definit. Illuſtris locus de hac perpetua Socratis dubitatione iam ſupra eſt a nobis allatus [87]). Interdum per integros dialogos apud *Platonem* nihil certi traditur, ſed quaeritur de rebus varie, ac tandem res omnis fere incertior eſt, quam ante. Talis diſputatio eſt in *Lyſide*, ubi Socrates tandem ipſe fatetur: καταγέλαστοι γεγόναμεν, ἐγώ τε γέρων ἀνήρ, καὶ ὑμεῖς· ἐρῶσι γὰρ οἵδε ἅπαντες (ſcilicet qui colloquio interfuerant) ὡς οἰόμεθα ἡμεῖς ἀλλήλων φί-

87) De *Republ.* l. I. *pag.* 578. ubi *Thraſymachus* vehementer accusat eam conſuetudinem Socratis. Addatur in *Hippia minore pag.* 257. extr. et 258. In *Philebo pag.* 375. In *Theaeteto pag.* 142. med. In *Euthyphr. pag.* 8. In *Lachete pag.* 190. cet. In *Axiocho*, qui vulgo tribuitur *Aeſchini*, § 6. *Ed. Fiſch.*

λοι εἶναι — ἅπτῃ δὲ, ὅ τι ἐστὶν ὁ ϕίλος, οἷοί τε ἐγενόμεθα ἐξευρεῖν [90]). Hoc vernacule exprobrare fingitur Socrati *Meno* [91], qui ἤκουον μὲν ἔγωγε, inquit, πρὶν καὶ συμβῆναί σοι, ὅτι οὐδὲν ἄλλο ἢ αὐτός τε ἀπορεῖς, καὶ τοὺς ἄλλους ποιεῖς ἀπορεῖν· καὶ νῦν, ὡς γ' ἐμοὶ δοκεῖς, γοητεύοις με, καὶ φαρμάττοις, καὶ ἀτεχνῶς καταπάδοις, ὥστε μεστὸν ἀπορίας γεγονέναι. Deinde hanc ipſam ob cauſſam Socratem comparat cum *torpedine*, cuius natura cernatur in eo, ut tangentes torpore alliciat. Locos alios iam praetermitto. Sed haec dubitatio non fuit ea, quae omne verum tollit; ab hoc enim furore alieniſſimum fuiſſe Socratem, non modo intelligitur e colloquiis de virtute et rebus iis, quae ad bene beateque vivendum pertinent [92]); verum etiam a *Platone* inducitur adverſus libidinem omne verum tollendi diſputans in *Phaedone* [93]). Fluxit autem iſta dubitatio ex εἰρωνείᾳ illa Socratis ſollemni, et habuit duas cauſſas. Ac primo quidem *voluit abducere philoſophiam a rebus occultis*, et ab ipſa natura involutis, hoc eſt, a quaeſtionibus illis phyſicorum, quibus unice fere dediti fuerant antiqui philoſophi, eaque

90) Vid. *pag.* 570. extr.

91) Conf. *pag.* 413.

92) Cognoſcenda ſunt inprimis ea, quae *Xenophon* in *Memorabilibus* reliquit.

93) Videatur locus inde a §. 90. *pag.* 233. *Ed. Viſch.* et *Xenophon* in *Memor.* l. IV. *cap.* 7. §. 1.

ad vitam adducere communem. Ut igitur intelligeretur, quam vanae ſint quaeſtiones illae de caelo rerumque natura; omnes eos, qui talibus ſomniis delectabantur, in dubitationem coniecit, ac profeſſus eſt ſemper, ſe nihil ſcire, rerumque naturam penitus ignorare [94]). Deinde dubitationem de rebus omnibus ſimulavit eo conſilio, *ut eo facilius ſibi pararet aditum ad Sophiſtas, omninoque eos omnes, qui perperam ſibi videbantur aliquid ſcire.* Sic enim poterat ſpecioſe, ductus quaſi cognoſcendi veri cupiditate ac ſtudio, arguere eos inſcitiae, et opiniones quasvis refellere. Haec eſt vera dubitationis Socraticae natura, quae, ſi rem volueris ad vivum reſecare, integerrimum fuit veri videndi ſtudium, poſitum illud in exſtirpandis opinionibus hominum, et inveniendis rebus iis, quae eſſent humano generi utiles. Sed fuit etiam hic amor veri, ut reliquae viri virtutes, εἰρωνείας veluti involucro tectus, ut ſic eo facilius et quaſi clanculum prodeſſe poſſet quam plurimis.

Deinceps, ut ſupra propoſitum eſt, veniamus ad eam diſſimulationis Socraticae partem, *quae verſabatur in erudiendis cohortandisque*

---

94) Hac de re egregie diſputat *Xenophon*, ac praeceptoris ſententiam aperit in *Memorab.* l. I. *cap.* I. §. 11 — 16. et l. IV. *cap.* 7. tot. Add. *Valerius Maximus* l. III c. 4. §. 2. p. 298.

rudibus ac diſcendi cupiditate incenſis. Hos enim alio modo tractavit Socrates, quam vanos ſcientiae ſuae iactatores, et omni cura ad videndi veri amorem excitavit. Quo vero ironiae genere in re tam gravi ſit uſus, et quomodo fecerit, ut et cernere verum, et amare diſcerent audientes, eleganter expoſuit ipſe apud *Platonem* in *Theaeteto* [95]) nobili illa ac venuſta diſputatione, cuius argumentum ſtatim proponemus. Qui locus etſi nonnullis viſus eſt *omnem* Socraticae methodi vim et naturam exponere, tamen, ut vel intelligitur ex his, quae hactenus diſputavimus, nonniſi partem eam complectitur, *quae ad dociles pertinet;* quos ita voluit Socrates acuere ad perſpiciendum verum, ut, ſpreta praecipientium auctoritate, ſuis uterentur viribus, veramque virtutem conſectarentur. Quod quomodo peragere ſoleat, Theaeteto, puero Athenienſi, quocum diſputare coeperat, ita fere exponit. Qui diſcendi ſtudio trahantur, et erigant animum ad cognoſcendum verum, virtutemque colendam, eos, ait, *praegnantes* eſſe variarum rerum ſcientia variisque virtutibus, et *e partu dolere.* Hanc elegantiſſi-

95) Vid. §. 6. et 7. *pag.* 108. ſqq. coll. §. 44 *pag.* 211. *Ed. Fiſch.* In editione *Ficini* hic locus eſt *pag.* 110 ſq. Comparandus etiam *Plutarchi* locus in *Quaeſtionibus Platon.* ſtatim ab initio opp. Tom. II. p. 999.

mam imaginem hominum excellentium, in quibus insit animus ingenuus, etiam alio loco ornat [96]), ac profitetur, se haec didicisse ex institutis *Diotimae;* qui locus cum ob insignem elegantiam atque dulcedinem, tum ob imaginum formularumque similitudinem cum hoc nostro comparandus est. — His igitur ingeniis gravidis ac laborantibus *succurrere* sese, et *obstetricis* loco esse, ait, adeoque Phaenaretae, matris suae, nobilis obstetricis, artem exercere. Nam ut obstetrices ipsae non pariant, sed nitentibus adsint et consulant: sic se, fatetur, prorsus, *sterilem* esse, et *expertem sapientiae*, nec posse sciscitantibus respondere, cum ipse habeat nihil, quod parere possit, et in lucem edere. Sed *praegnantes alios lubenter iuvare* se, et efficere, ut promere sua possint, ac feliciter eniti. Et cum obstetrices vulgo soleant esse *προμνήστριαι δεινόταται*, ac dicere possint, quae potissimum uxor ad procreandam subolem apta sit: etiam hac in re imitari sese matris suae artem ac peritiam. Se

---

96) Apud *Platonem* in *Sympos. pag.* 1197 et 1198. Similis imago de iis, *qui aliquid moliuntur*, etiam in libris sacris passim usurpatur, veluti *Psalm.* VII, 15. *Ies.* XXXIII, 11. Etiam vernaculus sermo tales habet dicendi formulas. Hanc Platonis orationem imitatur satis bene *Maximus Tyr.* Diss. XXVIII. p. [illegible]. *Epictetus* apud *Arrian.* l. IV. c. 8. p. 643. *τίς γὰρ ἐγκύμων γενόμενος καὶ πλήρης τηλικούτων δογμάτων κ. λ.*

enim quosdam, de quorum fecunditate dubitaſſet, *conciliaſſe*, et *copulaſſe quosdam quaſi matrimonio*, cum magiſtris aliis, veluti cum Prodico, aliisque viris ſapientibus. Duabus tamen in rebus hanc ſuam artem differre, oſtendit, ab artificio matris. Illam *feminis*, ſe *non niſi maribus* opitulari, et cum illa *corporum fetus* curaverit, ſibi *partus ingeniorum* curae eſſe. Deinde cum feminae nunquam ſimulacra, ac tamquam umbras infantum pariant, ſed ſemper infantes veros; ſuam artem ab arte matris etiam in eo differre, monet, *quod inſpiciendi ſibi ſint diligenter ingeniorum fetus, utrum veri ſint, habeantque aliquid ſolidi, an umbratici et falſi.* Qui itaque ſua ope utantur, eos *nihil unquam diſcere*, ſed *omnia parere quaſi ex ſe*, et in animo condita invenire ac praeparata [97]). Qui vero aliis operam dediſſent, vel diſciplinae ſuae ſeveritatem reformidaſſent, eos ſaepenumero *abortum feciſſe*, vel quos ipſe ſua ope protraxiſſet in lucem fetus ingenii, eos *male nutritos iterum amiſiſſe* [98]).

---

97) Exemplum aliquod perſpicuum *Xenophon* habet *Memorab.* l. II. *cap.* 3. inde a §. 10.

98) Ab hoc ἀμαιεύσεως genere, quo uſus eſt Socrates in erudiendis adoleſcentibus, manavit etiam πολυθρύλλητος illa viri μαιευτικὴ. Nam quos adoleſcentes ingenio videbat et praeclara indole praeditos, ad eos ſtudioſe quae-

Facile intelligitur, quae ſit, remotis imaginibus, huius diſputationis vera vis atque poteſtas. Negat Socrates, ſe iactare magnam aliquam ſapientiam, vel, quod facere ſoleant alii, ſuperbire multarum rerum peritia. Nam cum alii magiſtri ſint in decernendo praecipites et audaces, ac diſcipulis ſuis obtrudant placita ſua, et veluti leges imponant: ſe, quid ſit in quavis re verum, ita docere, ut audientes habeant quaerendi quasdam partes, et verum inveniant ipſi. Humanam mentem a natura inſtructam

---

rens aditum, *ſimulabat* ingentem aliquem amorem, et hac veluti perſona velatus, etiam *invitos* ſectari poterat; cuius ſtudii exemplum aliquod *Plato* dedit in *Alcibiade* I. Iniqui igitur ſunt, et inſcitiam ſuam produnt recentiores ſcriptores, qui, *Luciani* laſcivum ingenium ſecuti, ſpurcum aliquem et nefandum puerorum amorem Socrati vitio vertunt. Conf. *Luciani Ver. Hiſt.* l. II. p. 674. 75. Apud antiquos ſcriptores tanti ſceleris *ne veſtigium quidem* occurrit. Clariſſime *Xenophon* eius amoris vim expoſuit *Mem.* l. IV. *cap.* 1. §. 1. 2. παίζων, inquit, ἀεὶ ἧττον, ἢ σπουδάζων, ἐλυσιτέλει τοῖς συνδιατρίβουσι. πολλάκις γὰρ ἔφη μὲν ἄν τινος ἐρᾶν, φανερὸς δ' ἦν οὐ τῶν τὰ σώματα πρὸς ὥραν, ἀλλὰ τῶν τὰς ψυχὰς πρὸς ἀρετὴν εὖ πεφυκότων ἐφιέμενος. Add. nobiliſſima ab Alcibiade profecta defenſio Socratis apud *Platonem* in *Sympoſ.* pag. 1203. ſqq. et *Gesneri* τοῦ πάνυ *Socrates*, *ſanctus paederaſta* in Commentariis *ſocietatis regiae ſrientiarum Göttingenſis*, *Tom.* II. ab initio. Maxime huc pertinet elegans defenſio Socratis a *Maximo Tyrio* profecta *Diſſert.* VIII. tot. et IX. X. Et *Plutarchi* locus in *Alcib.* p. 193. 9.

esse tum viribus, ad videndum verum idoneis, tum veri ipsius studio quodam et amore. Se istas vires interrogando provocare, excitare et acuere, amorem vero illum augere et incendere. Sic facile homines ipsos ad verum eniti, ac, duce magistro, cum videre, quid sit falsum, tum procreare quasi ex se variarum rerum notitiam. Fuit etiam haec Socratis perpetua consuetudo, ut nunquam decerneret, quid potissimum sit amplectendum, sed ita suos interrogaret, ut, si vanis opinionibus imbuti essent, cogitando ipsi tandem invenirent earum falsitatem; sin dociles essent, quaestionibus doceret, et quid verum sit, et quomodo animadversione contentioneque mentis inveniatur veritas [99]). Sic discipuli videbantur sibi non tam discere, quam moneri, ut, quae iam condita in mente haberent bona, ea cernere inciperent ac promere; quae ratio quaerendi verum et stimulos subdere poterat ingenuo cuivis, ut, spreta auctoritate, suis uteretur viribus; et voluptatis multum ac delectationis habebat, cum discentes

---

99) Hoc praeclare eloquitur *Plutarchus* in *Quaest. Platon.* Σωκράτης ἐνδιδοὺς ἀρχὰς ἀποριῶν, ὥσπερ ὠδίνων, τοῖς νέοις ἐπήγειρε καὶ ἀνεκίνει τὰς ἐμφύτους νοήσεις καὶ ταύτην μαιευτικὴν τέχνην ὠνόμαζεν. Exemplum illustre est apud *Xenophontem Mem.* l. IV. *cap.* 2. Legendus hic etiam *Maximus Tyr. Diss.* XXVIII. p. 280. Hac de re copiose et pulcerrime disserit *Epictetus* apud *Arrianum.* l. II. c. 12. p. 229. sqq.

tam liberaliter ad videndum verum admittat [100]). Quod vero dicit, multos ingenii partus abieciſſe, vel non ſatis nutriviſſe; id intelligendum de eorum negligentia eſt, qui, quam, duce Socrate, cognoverant inveniendi veri viam, ea non amplius utebantur, et quas acceperant rerum notitias, eas nec memoria tenebant, nec amplificabant cogitando et effingebant diligentius. Quibus autem mentem docilem ac veri ſtudioſam deeſſe videbat, vel quos aliquid diſcere velle audiebat, quod ipſe neſciret, eos Sophiſtis erudiendos relinquere ſolebat, vel ad meliores, veluti Prodicum, ipſe adducere [101]).

Atque haec eſt ea pars Socraticae rationis, quae vel maxime imitando exprimi debet ab eo, qui voluerit Socratico more in Academia docere philoſophiam. Vulgaris enim docendi conſuetudo hoc habet, ut facile vel invitos auditores rapiat ad ea, quae ornare ſibi ac defendere ſumſit praeceptor. Neque enim viam ſatis oſtendit, qua poſſit ad verum perveniri; nec hoc

---

100) Addit interdum ipſe amicas cohortationes. Sic *Euthyphronem* monet: ἀλλ' ὦ μακάρι, ξύντεινε σαυτόν, καὶ γὰρ δεῖ χαλεπὸν κατανοῆσαι, ὃ λέγω. Conf. *Euthyphr.* pag. 8.

101) Quomodo recuſaverit diſcipulos, *Plato* docuit in *Theage* et *Lachete*. Locos veterum alios de hac conſuetudine Socratis et modestia congeſſit *Cel. Heyne* ad *Epicteti Enchir. cap.* XXXVI. §. 1.

efficit, ut varie discant, ac multiplici ratione contemplari discipuli illud, quod propositum est. Qui vero Socraticam rationem imitatur, primo quidem in eo laborat, ut distinctas rerum notiones comprehensas animo habeant et insignitas discipuli, quas cum ipsi inveniant et formant, interrogando enim docet magister sensim exquirere omnia, quae definitionem alicuius rei efficiant, facile vident et intelligunt, quid in quavis re insit, eiusque definitionem memoria tenent. Deinde argumentationes omnes ita proponuntur, ut apte explicetur, notionum, quibus continentur, series et nexus; et cum interrogando progrediatur omnis oratio, facile vident discentes, quomodo alterum sequatur ex altero et quasi pendeat; quod et ad animi persuasionem, et ad videndam adprobandamque cuiusvis argumentationis vim efficacissimum est. Quantum vero perspicuitati serviat hic docendi modus, quis non videt? Illustranda sunt omnia exemplis vulgaribus, petitis illis e vita communi; ab his profecta oratio abducit secum discentium animos et erigit ad ea, quae sola mente cernuntur; quae contra dici possunt, ea breviter refelluntur, ne qua dubitatio vel scrupulus quidam in discentium animis relinquatur; viam ipsam, qua pervenerunt ad verum, vident atque perspiciunt, atque

haec omnia inveniſſe ſibi videntur ipſi. In hoc vero poſita eſt ſumma huius rationis utilitas, quod veri videndi ſollertiam acuit, et amorem incendit. Gignit enim aliquam in animis discentium fiduciam, cum vident, ſe de rebus graviſſimis cogitare poſſe, et habere in quaerenda veritate aliquas partes. Quae vero vulgo ſolent eſſe cum contemplatione veri coniunctae difficultates, eas vix ſentiunt, cum ea via ducantur, quae compendioſa ſit et expedita, comitem vero habeant eum, qui titubantes facile confirmet, et excitet feſſos. Sed qui ſic *docere* voluerit, in eo debet ineſſe non contemnenda *dexteritas ingenii*, quae ſubterfugere volentibus ac dubitantibus facile poſſit manifeſtis rebus et exemplis idoneis latebras omnes praecludere. Habeat etiam, neceſſe eſt, *accuratam promtamque doctrinam*, a qua abſit notionum obſcuritas, et imbecillitas eorum, qui conturbantur, ſi quis voluerit rem aliquam varie ſpectare, et ex omni parte. Nec deſit *ingenii quaedam vis et alacritas*, quae efficiat, ut multa celeriter ac ſimul complecti, providere multa, et cogitando pergere poſſit diutius. Accedat denique *diligens et accurata ſcriptorum Socraticorum lectio*, maxime *Platonis*, cuius diſputationibus uberrimis alendum eſt et acuendum talis magiſtri ingenium. Quae

omnia tum demum proderunt formabuntque magiſtrum idoneum, ſi accellerit perpetua quaedam *cum hominibus multis conſuetudo, et uſus vitae;* homines enim *umbratili vitae dediti* ad hoc genus docendi *prorſus inepti* ſunt.

Reſtat, ut paucis oſtendamus, *quomodo Socratica ratione definitiones rerum ac diviſiones et formandae ſint, et refellendae;* quomodo denique *in argumentando Socrates ſit verſatus.* Sunt autem haec omnia maxime e libris *Platonis* discenda, cuius ſermones accedunt ad artis ſubtilitatem ac deſcriptionem disciplinae. Solet igitur vulgo hoc ſequi, ut propoſita rei, quae definienda eſt, notione quadam *prima et imperfecta*, reliqua, quae in re inſunt, *ſenſim addat*, donec abſoluta ſuis numeris plenaque notio efficiatur. Quod quomodo fiat, disci poteſt e *Sophiſta*, ubi Sophiſtae notionem ſic format et elicit. Eſt autem haec ratio ad perſpicuitatem utiliſſima. Sin enim diſtincte intelligitur, quid cuivis notioni inſit, cuius vis et partes ſingulae obiiciuntur animo, et ordine explicantur. Adduntur etiam cauſſae, cur quaevis pars alicui notioni tribuatur, quod magnam vim habet ad oſtendendam definitionis veritatem [102]). Interdum vero ita

---

102) Τρόπον τῆς διαιρέσεως, quo uſus eſt Socrates in for-

solent formari apud *Platonem* rerum definitiones, ut *seiungantur accurate omnia, quae a re definienda differant*, donec illud relinquatur, de quo instituta disputatio sit [103]. Atque sic facile etiam *divisiones* rerum inveniuntur, quae simul possunt proponi, cum iam perspiciatur ratio, cur singula seiungantur, et intelligatur, quid sit illud, quo discrepent. Affert etiam Socrates passim apud *Platonem*, cum alicuius rei difinitio videtur habere difficultatem, alius rei consimilis notionem, et rogat, ut ii, quibuscum disputat, rei, de qua quaeritur, definitionem ad hoc effingant veluti exemplar [104]. Quae consuetudo ad perspicuitatem aliquam vim habet, ut videant, qui discunt, quid sit, quod definitionem efficiat, eiusque imaginem aliquam concipiant animo, quam cogitando spectent, et imitando sequantur. In *refellendis autem deceptricibus aliorum definitionibus* summus est et sagacissimus artifex Socrates apud *Platonem*; qua in re ita vulgo versatur, ut vel ostendat, notiones, quae in definitione aliqua insint, *obscuras* esse,

---

rendis rerum notionibus, exemplis quibusdam illustrat *Xenophon Mem.* l. IV. cap. 6. §. 1. sqq. qui locus in hac causa diligenter augenderudus est.

103) Exemplum est in *Theage* pag. 89. sqq.

104) Sic est in *Lachete* pag. 189. et alibi saepe.

ambiguas et prorsus easdem cum re definienda; ut sic efficiatur vitium illud, quod in arte dicimus *orbem*; vel *exempla afferat in contrariam partem*, e quibus intelligatur, notionem, de qua quaeratur, vel nimis late patere, vel angustiorem esse. Utitur autem, more suo, fere semper exemplis vulgaribus et manifestis, quae et perspicua sint omnibus, et dubitandi libidinem apud audientes coerceant [107]). — *Divisiones* autem ita fere proponit, ut vel in formandis definitionibus simul ostendat, quomodo res aliae ab ea, quae finitur, differant, ut audientes divisiones discant invenire; vel eas statim affert, ac deinceps partes singulas illustrat [108]). — In *argumentando* denique plurimum utitur *inductione*, quam Graeci ἐπαγωγῆς τρόπον, seu ἐπακτικὸν appellant. Est

---

107) *Exempla* ubique occurrunt: sufficiat, pauca notasse. In *Euthyphrone* igitur imperfectam notionem *sanctitatis* [illegible]. — In *Lachete* de notione *fortitudinis* in utramque partem disputat. — In *Hippia* maiore ostendit, quam [illegible] in Hippiae notio de Pulcro. — *De Republ.* l. I. laborat in refellendis notionibus [illegible] *de Iustitia.* — In *Menone* de [illegible] definitionem quaerit, et Menonis definitiones confutat. —

108) Huc inprimis pertinet *Politicus*, ubi divisiones multae proponuntur, ex quibus [illegible]. [illegible] etiam praecepta *dividendi* p. 14—18. ed. Bip. add. p. 50—58. et quae ad [illegible] diligentiam in dividendo disputat p. [illegible]

autem haec argumentatio, ut *Diogenis Laertii* verbis exprimam [107]), λόγος, διά τινων ἀληθῶν τὸ ὅμοιον ἑαυτῷ ἀληθὲς οἰκείως ἐπιλέγων. *Cicero* de hoc genere argumentationis late disputat, et exemplum affert in libris *de Inventione* [108]); vim vero et naturam paullo copiosius ita declarat: *inductio est oratio, quae rebus non dubiis captat assensionem eius, quicum instituta est; quibus assensionibus facit, ut illi dubia quaedam res, propter similitudinem earum rerum, quibus assensit, probetur.* Sic itaque facile poterat Socrates afferre exempla illa sua vulgaria tritaque, in quibus erat magnum perspicuitatis adiumentum. Nec est profecto ulla argumentatio, quae sit illi ironiae Socratis accommodatior, propterea, *quod nihil ipse afferre ad persuadendum volebat, sed ex eo, quod sibi dederat, quicum disputabat, aliquid conficere malebat, quod ille ex eo, quod iam*

107) Conf. l. III. *segm.* 53—55, qui locus omnem inductionis Socraticae naturam, qualis apud *Platonem* est, illustrat et accurate exponit; et iis, qui hac de re plura scire voluerint, diligenter cognoscendus est: nos eum nuper singulari commentatione illustravimus.

108) Vid. *de Inventione* l. I. *cap.* 31. 32. Addatur locus Quinctiliani *Instit. Orat.* l. V. *cap.* 11. *Nam illa, qua plurimum Socrates est usus, hanc habuit viam, cum plura interrogasset, quae confiteri adversario necesse esset, novissime id, de quo quaerebatur, inferebat, cui simile concessisset, id est inductio.*

conceſſiſſet, neceſſario approbare deberet [309]). Haec genere argumentationis etiam reconditas ac difficiles quaeſtiones apud *Platonem* illuſtrat, et ita perſequitur, ut vel tardiores aſſequi, quae dicuntur, et intelligere poſſint. Quae argumentatio cum perſpicuitatem inſigniter adiuvet, ab his, qui voluerint Socratico more philoſophari in Academia, diligenter uſurpanda eſt. Sed ubi *longior demonſtratio et argumentorum veluti acies quaedam et apta ſeries explicanda eſt*, ita diſputare ſolet Socrates, ut a principiis perſpicuis ac ſumis profecta oratio ſenſim procedat per interrogationes, impedimenta ac difficultates tollantur ac removeantur, omnia apte copulentur, ut accurate intelligatur, quid et quantum ex antegreſſis conſequatur, donec tandem perveniatur ad id, quod demonſtrandum fuerat. Exempla talis demonſtrationis optima ac perfectiſſima ſunt apud *Platonem* in *Phaedone*, qui ſermo cognoſcendus eſt diligenter ac terendus fere quotidie iis, qui voluerint diſcere, quomodo ſit ulterior demonſtratio per colloquia perſpicue apteque proponenda. Univerſum vero docendi genus per interrogationes, quod hactenus expoſuimus, Socratis maxime Platonici exemplar contuentes,

309) Videatur Cicero loco laudato.

illuſtratum ſaluberrimis praeceptis eſt et in artis quamdam formam redactum ab *Ariſtotele* in *Topicis* [110]), qui et interrogantis, et reſpondentis partes perſpicuis legibus deſcripſit, ductis illis, ut legenti non obſcurum erit, e Socraticorum dialogis.

---

110) Libro VIII, ubi *cap.* 1. et 2. interrogantem, *cap.* 3. vero reſpondentem praeceptis inſtruit. Ab hoc fonte manarunt, quae *Cicero* diſputat eadem de re de *Inuent.* l. I. c. 32.

II.

De notione felicitatis humanae ad indicium de placitis christianae religionis parum idoneae.

Ut in rebus omnibus, quae vehementius appetuntur, et gravitate sua facile commovent animum, extra modum fere semper prodit hominum impetus, nec solet opinionum iudiciorumque aequabilitatem constantiamque servare: sic nec ii, qui de religione Christiana disputant, ac philosophantur in eius placitis, difficilem illam temperantiam adhibent, quam deberent in re gravissima demonstrare, si, rebus infinitis modum constituere, datum esset humanae imbecillitati. Etsi enim minime vituperandi sunt, qui philosophiam transferunt ad illustrandam vel vindicandam Christianae religionis auctoritatem, praesertim si id fiat moderatius: docuit tamen omnium temporum usus, eam rem, semel admissam, coerceri, reprimique non posse, et mediocritatem desiderari in

iis fere omnibus, qui religionem voluerint cum philosophia coniungere. Iam in ecclesia vetere, cum ad rempublicam Christianam accessissent homines docti, Graecis exculti litteris, secumque philosophiam attulissent, haud ita diu post aetatem apostolorum, eorumque, qui ab ipsis erant profecti, corrumpi coepit varie Christianae religionis integritas, cum quisque, quibus imbutus esset philosophiae decretis, ea transferret ad doctrinam Christianam, eiusque pulcritudinem contaminaret. Sic ad libidinem multa fingere coeperunt multi, ac negligere legitimam librorum sacrorum expositionem, per quam erat discendum, quae religionis vis sit atque natura. Qui impetus philosophandi cum semel impulisset hominum animos, bonae autem litterae magis magisque interirent: exorta est, quod minime probabant apostoli, ars quaedam Christianae religionis rerumque ordo, et subtilis disciplinae descriptio, quae, quamquam fuit variis temporibus varia, ad nostra tamen tempora perduravit, et multa mala rei Christianae intulit. Fuerunt quidem, maxime post redditam orbi terrarum litterarum lucem, qui animadverterent, quantis vitiis laboret ars illa religionis, quae eo quidem tempore, a Scholasticis profecta, satis insiceta erat et horrida: sed multi, qui volebant abstergere labem, a

philosophia perversa religioni adspersam, eodem philosophandi impetu, eademque impotentia abrepti, novis eam sordibus inquinarunt, ut, quod corrigere se posse putarent, id videantur depravasse. In his vel maxime posuerim Socinianos, qui, cum intellexissent, vulgarem disciplinam religionis et artem habere multa, quae sint a vana subtilitate humani ingenii profecta, et a communi sensu nimis abhorreant, inciderunt in eadem vitia, in quibus corrigendis laborabant. Nam eadem philosophandi libido, quae antea peperrerat tot spinas et captiones theologicas, hos, qui ibi malo vellent mederi, decepit alio modo, ut negarent, ulli rei in religione locum concedendum esse, quam non plane possit perspicere mens humana, et subtiliter intelligere; ut philosophia, quae olim monstris repleverat theologiam et placitorum portentis, iam vel ea tolleret, quae Christus et apostoli diserte docuissent, suisque vehementer commendassent. Exstiterunt postea alii, qui ita philosopharentur in religione, ut eam totam a necessitate divinae humanaeque naturae repeterent, negarentque, admitti quidquam in ea posse, quod non necessariis rationis conclusionibus efficiatur e contemplatione huius universi, vel sit a naturali religione diversum. Qui error placuit multis cum propterea, quod erat a pri-

mis auctoribus subtiliter et acute defensus, tum quod alit humanae mentis vanitatem, qua fertur ad tollendum Dei in constituenda religione arbitrium, nec vult amplecti et probare, nisi quod ipsa pepererit ex se, sibique comparaverit. Nostris denique temporibus, novo modo exornata, iterum prodiit ista ratio, et ad emendandam religionis artem ac disciplinam accessit. Habet nempe philosophia recentior hoc, ut in indagandis humanae mentis facultatibus, et appetitibus animi, versetur longe rectius, et his de rebus multo subtilius praecipiat, quam vel veteres solebant, vel qui medio aevo sibi videbantur philosophi. Mirum igitur non est, si ista philosophandi libido, quae religioni saepe nocuit, etiam his bonis uti voluit ad emendandam vulgarem disciplinam theologicam, idque eo modo fecit, ut harum rerum periti requirant in ea re atque deliderent mediocritatem. Coepit enim aetas nostra omnem religionis Christianae doctrinam revocare *ad humanae felicitatis et beatae vitae rationem*, et ex ipsa indole hominis efficere, quid in religionem vel admittendum sit, vel ex ea tollendum, si ad bene beateque vivendum habere debeat vim eam, qua praeditam oporteat esse religionem, divino beneficio humano generi concessam. Hanc rationem qui sequuntur, ii *non a libris sacris*

disputandi initia faciunt, quos adhuc putaverant Christiani religionis esse fontes, a quibus per interpretationem doctam atque legitimam manare debeant omnia; sed primo quidem isti hoc agunt, *ut beatae vitae notionem ponant perspicuam*, subtiliterque doceant, quibus vel adminiculis efficiatur humana felicitas, vel impedimentis tollatur. Deinde huic fundamento superstruunt placitorum eorum, quae ad religionem Christianam referenda censent, veluti aedificium, et excludunt omnia, quae in libris sacris vel pugnare videntur cum istis de felicitate decretis, vel certe parum cum iis cohaerere. Sic notionem beatae vitae *normam constituunt*, ad quam sit exigenda omnis de religione disputatio, quam etiam sequi debeat librorum sacrorum interpres, ne quid ex iis efficiat, quod ab ista regula videatur discedere.

Nos etsi sumus ab eorum vanitate alienissimi, qui existimant, contentiones, iracundias et pertinaces in disputando concertationes non posse abesse a persona theologi paullo doctioris, qui nolit deserere praesidium, in quo sit ab ecclesia collocatus; existimamus enim, recte quaerere non posse, qui cum iracundia aut pertinacia disputent: tamen, cum dissentientium inter se reprehensiones modestiae vituperandae non sint, et ad inveniendum id, quod sit in

quavis re verum, vim habeant magnam: putavimus, operae nos facturos esse pretium, si hunc de felicitate humana locum paullo diligentius explicaremus, et ostenderemus, *beatae vitae notionem ad iudicium de placitis Christianae religionis parum idoneam esse.* Erit autem nobis haec tota quaestio in *tres partes* descripta. Nam primo *nonnulla disputabimus de his, quae probanda videntur et sumenda ab iis, qui voluerint hunc locum commode et cum fructu tractare.* Nisi enim habeas decreta quaedam certa et explorata, de quibus convenit inter hos, qui vulgarem doctrinam ecclesiae nostrae defendunt, et inter eos, qui eam volunt emendari et corrigi, ambigua est, praesertim in re tanta tamque late patente, omnis disceptatio, et incerta vagatur. Principio igitur ea persequemur, quae vel concedenda sunt adversariis, vel certe *possunt* sine detrimento concedi, ut habeat, in quibus rite possit niti, nostra disputatio. Deinde *quaeremus de felicitatis humanae vi et notione*, ut intelligatur, quali sit, et quid in ea vel certi insit et explorati, vel incerti et ambigui. Demonstrabimus denique, *parum caute parumque recte philosophari, qui in iudicio de placitis religionis Christianae unice sequendam censeant istam notionem, eamque normae vim, ad quam omnia sint exigenda, habere non*

posse. Haec cum persecuti fuerimus, manifestum fore speramus hoc, novam istam de religione disputandi rationem minime praeferendam esse ei, quae a legitima librorum sacrorum interpretatione profecta, Christianae religionis placita modeste acquirat, et in auctoritate Christi et apostolorum pie conquiescat.

Primum igitur *nos non omnem contemnimus philosophiam, nec existimamus, rationis humanae vim in iudicandis Christianae religionis placitis non adhibendam esse.* Etsi enim sunt, et ii quidem non admodum indocti, quibus totum hoc displiceat, philosophari in religione; ii tamen multis de causis videntur errare. Nam primo non vident, *veritatem Christianae religionis non satis posse defendi*, praesertim hoc tempore, si quis nolit uti philosophiae beneficio. Haerent enim philosophiae vituperatores, nec inveniunt, quomodo se expediant, cum de rebus multis quaeritur, quae sunt in fraudem Christianae religionis disputatae recentiori tempore a philosophis nonnullis, a multitudine vero, ad levitatem procliviori, facile arripiuntur, quod sapientiae simulatione imprudentes alliciunt atque decipiunt. Deinde *argumenta ipsa*, quibus firmari solet Christianae religionis veritas, et origo divina demonstrari, ita comparata sunt, ut, *nisi a philoso-*

pho, neque explicari legitime poſſint, neque accurate indicari. Hoc eſt in libris iis, qui ſunt de veritate Chriſtianae religionis ſcripti a viris doctiſſimis, ita demonſtratum planumque factum, ut noſtrae orationis minime indigeat. Cum denique in quavis re, praeſertim ſi ſit paullo gravior, et cum humana ſalute coniungetur, hoc ſit efficiendum omni ſtudio, *ut diſcant homines notiones formare diſtinctas*, et aperte distributeque loqui: ingens profecto detrimentum inferunt religioni, qui omnem philoſophiam vituperant, quae una viam disputandi de quavis re, omnemque et perſpiciendi ſubtiliter et iudicandi ſcientiam continet. Atque eſt profecto, ut uſus docet quotidianus, apud multos, qui vel theologi ſibi videntur eruditi, cum philoſophiae contemtu magna coniuncta inſcitia, quae notionibus obſcuris et phantaſiae ludibriis inhaeret, confuſe loquitur, res diverſas ineleganter non tam dividit, quam frangit, ad vulgi vero imbecillitatem demittere ſe propterea non poteſt, quod, quae obſcure cogitat animus, id nec oratio clare poteſt eloqui. Quot maledicta, contumelias et inanes de verbis concertationes omni tempore pepererit ilta inſcitia, norunt qui recte didicerunt Chriſtianae religionis hiſtoriam, ut uberiori disputatione hic facile poſſimus ſupersedere. Atque

omnino nobis iam non hoc propositum est, ut, quid et quantum philosophia religioni prosit, diligenter perscribamus, qui locus et ab aliis perpurgatus est, et singularem libellum requireret. Sed hoc erat admonendum, nos non esse ex eorum numero, qui, ne quid detrimenti capiat compendium theologicum, nihilo plus faciunt, nisi ut acutiori humanae rationis petulantiam, et, opinionibus suis praepediti, ne audiant quidem aliorum argumenta. Nobis laudanda videtur eorum diligentia, qui philosophiae luminibus dispellunt in theologia vanarum opinionum tenebras, et perspicue docere instituunt, modo id fiat, uti par est, moderatius, nec fit ad elevandam auctoritatem eorum comparatum, quae libris divinis perspicue traduntur.

Veniamus ad alterum, quod concedi posse putamus ac poni, cum quaeritur, utrum religionis natura sit aestimanda ex humanae felicitatis. *In religione omnia referri videntur ad hominum salutem*, et is ipse cultus, quo Deum ipsum prosequimur, ita est cum utilitate nostra coniunctus, ut nihil a Deo *sine utilitatis nostrae respectu* praescribatur, nihilque exigatur a nobis, quod *unice* sit constitutum ad demonstrandam maiestatem Dei, et summam in homines omnes potestatem declarandam. Etsi

enim vulgaris consuetudo loquendi, quae etiam in libris sacris dominatur, suadere videtur, in omni religione esse multa, quae ad Deum eiusque maiestatem unice pertineant, sintque observanda a nobis propterea, quod iustum sit, coli Deum, auctorem nostrum ac dominum, a quo toti pendeamus, et qui sit optime de nobis meritus: tamen, remotis ac dissipatis imaginum umbris, quae solent verbis inesse tum, cum *populariter* de religione disputamus, manifestum sit hoc, *omnem Dei potestatem esse salutarem*, et cum summa coniunctam benignitate, ut vel ea, quae praestanda videantur propterea, quod sumus in ditione Dei, sint tandem ad nostram utilitatem constituta, omnisque Dei *gloria*, ob quam satisfacere iubeamur officio, cernatur *in demonstratione benivolentiae summae*, qua res a se conditas complectitur ac beat. Sed hic locus, quoniam est cum iis, quae sequuntur, coniunctior, paullo uberiorem orationem requirit, et lubet iam, perspicuitatis caussa, nonnulla adiicere.

Primum igitur in hoc neminem habebimus repugnantem, tantam esse naturae divinae praestantiam, *ut cultu et opera nostra minime indigeat*; δεῖται γὰρ, ut est apud *Euripidem* in *Herc. Fur.* v. 1345. ὁ θεὸς, εἴπερ ἐσ' ὄντως θεὸς, ἀδεής. — Atque hac de re libri sacri saepe

tam graviter praecipiunt, ut mireris orationis vim, et ſententiarum ſplendorem. In libris veteris teſtamenti ſaepe reprehenditur error puerilis, victimis placari Deum, nec carere poſſe munusculis, quae offerat colentis liberalitas; quam opinionem, quis nescit, quam graviter convincat vel unus *pſalmus quinquageſimus.* Pauli autem ſermo, Athenis habitus, perſpicue demonſtrat, Deum ab hominibus nihil accipere, nullius indigere rei, cum ipſe largiatur omnibus omnia, Act. XVII, 25. Nec poenituerit hac de re *Platonis* legiſſe locum, quem cum illo Paullino etiam *Clemens* coniungit *Alexandrinus Strom.* I. V. p. 691. Ed. Pott. Οὐ γὰρ χρείας ἕνεκεν, inquit Plato, ὁ Θεὸς ἐποίησε τὸν κόσμον, ἵνα τιμὰς παρ᾽ ἀνθρώπων, καὶ πρὸς θεῶν τῶν ἄλλων καὶ δαιμόνων παρῇτο, εἶτα πρόσοδόν τινα ἀπὸ τῆς γενέσεως ἀφύμενος, παρὰ μὲν ἡμῶν, κακῶς, παρὰ δὲ θεῶν καὶ δαιμόνων, τὰς οἰκείας λειτουργίας. — Quae ſi vera ſunt, uti nemo ſanus poterit de iis dubitare: conſequitur, ut nec is cultus, quo religio proſequitur *Deum ipſum*, polluletur tantum propterea, quod ſumus iuris ditionisque divinae. Omnis enim colendi Deum modus, in quo nulla eſſet ſalutis noſtrae habita ratio, cum nec Deo prodeſſet, ad cuius felicitatem nulla poteſt acceſſio fieri, nec homines ullo modo iuvaret, plane vanus foret, nec le-

gitima cauſſa poſſet intelligi, qua impulſus Deus, cultum inutilem a nobis exigeret. Qui enim exiſtimant, in eo cerni ſummum Dei ius ſuminamque maieſtatem, quod poſſit etiam *ſine ratione* poſtulare, quomodo velit ab hominibus coli: ii non animadvertunt, quam abſurdam naturae divinae notionem defendant. Nihil enim poteſt a viri ſapientis dignitate gravitateque cogitari alienius, quam temeritas in poſtulando; cum omnis ſapientiae vera vis ſit in eo poſita, ne quid fiat ſine cauſſa idonea. In patre humano autem nihil magis reprehenditur, quam perverſa obedientiam liberorum extorquendi ratio, quae nullo regatur conſilio, nec ad veram liberorum ſalutem ſit efficax. Iam quod in hominibus turpitudinem habet, nec poteſt cum viri ſapientis dignitate conſiſtere, id quis exiſtimet in perfectiſſima natura locum habere, a qua ut in agendo abeſſe debet omnis temeritas, ita in poſtulando omnis libido removenda eſt omnisque pertinacia. Hoc etiam indicare videtur, praeclara illa ac vere divina Domini de Deo praecipiendi ratio. Is enim voluit, ut, ſervili metu excuſſo, *patris* optimi maximi animum coleremus in Deo, et imitaremur ipſi; Matth. V, 44. 45. VI, 9. VII, 11. cet. atque in hac potiſſimum Dei notione, ſuaviſſimi ſolatii plena, conquieſceret hominum ani-

mus. Notatu digna sunt *Clementis Alexandrini* verba, in *Cohortat. ad Gentes* p. 68. 69., quibus hanc notionem illustrat: ὦ τῆς ὑπερβαλλούσης Φιλανθρωπίας, inquit, ὃ ὡς μαθητὰς ὁ διδάσκαλος, ὃ ὡς οἰκέτας ὁ κύριος, ὃ ὡς θεὸς ἀνθρώπους, πατὴρ δὲ ὡς, ἀπίως παιδεύει υἱούς — Maneat igitur id, quod sumsimus, in religione nihil propter Deum, omnia ob humanam felicitatem, postulari.

Non autem est, quare quis obiiciat, sic solvi omnis obligationis veram vim ac necessitatem; omnia officia referri ad utilitatis privatae rationem; nec esse, quod ad servandum officium cogere possit eum, qui malit commodorum suorum iacturam facere, quam vitam ad legem divinam componere; hanc denique legem ipsam amittere vim suam, et accipere naturam *consilii*, quod utrum sequi velit nec ne, cuiusque sit relictum arbitrio. Nam etsi haec disputatio magnam habet speciem, et est saepe repetita ab his, qui verentur, ne quid detrimenti capiat maiestas divina, nisi omne officium repetatur unice a iubentis Dei voluntate: tamen ad intelligendum facile est, eum metum esse vanum, et ab imaginibus profectum, quae, a rebus humanis ductae, ad Deum vulgo transferuntur incautius. Ac primo quidem ipsa *maiestatis* notio aliam habet in Deo vim, quam in

regibus humanis. In his, quoniam omnis humana legislatio imperfecta est, et nonnunquam a reipublicae utilitatibus abhorret, accidit saepe, ut obedire *vel cum damno* debeant hi, qui reguntur, quoniam interest reipublicae, sanctam regis maiestatem esse etiam tum, cum errat, et aliquid humani passus est. Id vero secus in Deo est; qui cum summam potestatem acceperit a nemine, eadem nec privari potest hominum impietate; ob sapientiam vero perfectissimam cum possit leges eas condere, quae nunquam sint cum aliquo hominum damno coniunctae: nec in ferendis legibus unquam sequetur pertinaciam quamdam temerariam, quae iam in humano rege vituperatur, vel a maiestate sua seiunget hominum felicitatem. Deinde vanum etiam illud est, in quo maxime consuevit iactare se adversariorum oratio, *solvi omnem veram obligationem*, quae a sola domini supremi voluntate efficiatur, cui parendum esset, si cultus eius nihil ad hominum salutem valeret. Nam si omnis obligatio in necessitate inest, qua aliquid vel agere tenemur vel omittere: nemo profecto dixerit, eius vinculum adstrictius fore ac firmius, si repetatur unice a voluntate iubentis Dei, nihil ut de utilitatibus suis cogitare possit homo. Quo enim maiorem efficientiam et certiorem caussa habet, e qua intelligitur ista

neceſſitas, eo maior eſt ipſa. Iam vero nihil magis commovet hominum animos et impellit, quam ſi vident, *ſe non poſſe incolumes eſſe*, niſi, quae ſint a Deo praeſcripta, ſancte obſervaverint; unde obligationis vera vis, tantum abeſt, ut tollatur a nobis, ut confirmetur adeo et augeatur, et homines diſcant, omni metu ſervili prorſus detracto, obedire Deo *amore ducti*, quem vident in omnibus rebus ſpectare felicitatem rerum creatarum. Nec eſt, quod vereamur, ne quis ſit tam ferus et immanis, *ut malit infelix eſſe, quam legibus divinis obſequi.* Nam primo ſi poſſet tanta inſania unquam in hominem cadere: nec illa obligatio, quae ducitur a ſola voluntate Dei iubentis, ad coercendum talem furorem aliquam haberet vim. Deinde tanta rabies prorſus abhorret ab hominis natura, quae ſe diligit ipſam, nec exuere poteſt eum amorem. Id enim ne ferae quidem faciunt, ut ruant temere, nec poſſit intelligi, quo motus et impetus earum pertineant. Igitur is ipſe amor, quo ſibi conciliatur humana natura, inſitus mentibus hominum atque innatus, efficit, ut, quamquam *ignorari* ſaepe poſſint leges divinae, et *intelligi perperam*, *contemni* tamen prorſus et *perfringi* non poſſint. Quod vero exiſtimant nonnulli, hoc modo inſtituta divina *vim et naturam legis amittere, et inducere con-*

filiorum formam, id quam parum recte dicatur, vel ex his manifeſtum eſt, quae iam ſunt a nobis disputata. A Deo enim, qui ſui cauſſa nihil ab homine poſtulat, cum homo habeat nihil, nihilque agere poſſit, quod Deo prodeſſe queat, leges omnes neceſſario ita debent conſtitui, ut ad humanae ſalutis rationem pertineant. Neque ſic perit ea vis, quae in vera lege debet ineſſe. Fatentur enim omnes, etiam humanas leges ita optime excogitatas eſſe, uti ſint ad reipublicae ſalutem efficaciſſimae; a perfectiſſimo legislatore autem quis putaverit aliquid praeſcribi poſſe, quod cauſſam non habeat, neque ſit totum ad communem hominum felicitatem inſtitutum? Auctoritas vero legum a iuſtitia legislatoris pendet, qui, quae iuſſit, ita tuetur, ut praemiis ornet, qui obtemperaverint, poenis coerceat rebelles. Hoc modo et Deus tuetur leges, quas ad utilitatem humani generis ſanxit; unde nemo dixerit, eas nonniſi conſilii vim habere, cum promtum ſit et apertum, inſtituta divina cum hominis ſalute ita coniuncta eſſe, ut ſine ſumma utilitate nec obſervari poſſint, nec impune negligi. Iis denique, qui exiſtimant, *omne officium hoc modo referri ad utilitatis privatae rationem*, et perire virtutis honeſtatem et pulcritudinem internam, facile poteſt reſponderi, ſi obſervaveris, privatam cu-

iusque salutem ita cum communi omnium coniunctam esse, ut, qui salvus esse velit, is id non possit esse cum aliorum damno. Neque enim nobis solis nati sumus, sed homines sunt hominum causa generati; privatae autem singulorum utilitates ita sunt cum communibus omnium copulatae et implicitae, ut, quamquam omnes leges divinae sint ad singulorum felicitatem comparatae, tamen ea felicitas non possit teneri, nisi ab eo, qui, communes utilitates in medium afferendo, etiam aliis prodesse voluerit. Caeterum ea, quae nunc disputata sunt a nobis, alio modo dicuntur, *cum populariter haec de re loquimur*, et ad plebis intelligentiam accommodate. Nam eorum imbecillitas, qui nec de Deo, nec de humana natura subtiliter cogitare didicerunt, ac distincte loqui, in quavis re domini supremi auctoritatem desiderat, vultque legibus regi, quae sint iudicis severi minis confirmatae atque munitae. Unde etiam libri sacri, qui ad omnium hominum imbecillitatem sese demittunt, quamquam, ut supra docuimus, animum Dei paternum et insignem φιλανθρωπίαν in omnibus, quae constituerit, commendent perspicue, tamen de legibus divinis ita saepe praecipiunt, ut etiam sine utilitatis cogitatione obedientiam postulent. Sed nemo dixerit, felicitatis humanae rationem

ſic excludi, quae profecto unice ſpectatur ab eo, qui eſt ὁ πατὴρ ἐν οὐρανοῖς. Duo igitur hac in re probe diſtinguenda ſunt praecipiendi genera; unum ἐξωτερικὸν, in quo omnia repetuntur a iuſſu divino, ne ſubterfugiendi locum habeat eorum inſcitia, qui legum divinarum utilitatem non ſemper ſatis aſſequuntur; alterum ſubtilius, quod ad eos pertinet, qui exercitatione conformarunt animum ad videndum verum, et intelligenda ea, quae ex quavis re rite conſequuntur. Nos vero in exponenda hac re paullo diligentiores fuimus propterea, quod hoc ipſum, utrum ſufficiat felicitatis humanae notio ad ferendum de placitis Chriſtianae religionis iudicium, quaeri non poteſt, niſi confectum ſit hoc, religionem totam ad hanc felicitatem pertinere.

Ex his, quae iam ſunt a nobis disputata, conſequitur illud, quod nunc quidem omni ſtudio effici volunt, qui de corrigenda diſciplina vulgari theologica cogitant, *nullum eſſe Dei in conſtituenda religione arbitrium.* Quae ſententia quamquam videtur periculoſiſſima, et ad tollendam religionem univerſam comparata: tamen ſine detrimento concedi poſſe videtur adverſariis, quoniam habet aliquid veri, nec metuendum eſt, ne quid excludatur hoc modo, quod ad placita Chriſtianae religionis referen-

dum ſit. Sed quoniam hac in re multi loquuntur confuſe, ac dominatur magna notionum obſcuritas: placet iam paullo copioſius eam perſequi, praeſertim cum omnis disputatio, quam hic ſuſcepimus, incerta ſit et ambigua, niſi demonſtraverimus perſpicue, quam ſequamur in hac cauſſa ſententiam.

Primum igitur neminem, putamus, fore, qui nobis repugnet, ſi illud arbitrii genus, *quod nulla cauſſa impellitur*, in Deo, negemus, locum habere. In decernendo enim qui nullam ſequitur rationem, ſed cocco fertur impetu, et quidquid in mentem venerit, id temere vel appetit, vel fugit, ſive malum ſit, ſive boni naturam habeat, is, ut omnes fatentur, ne viri quidem ſapientis nomine dignus eſt. Quod igitur in humana mente, ut iam ſupra obſervavimus, vitioſum eſt, id, quaeſo, quis Deo tribuerit, cuius eſt ſapientia res omnes complexa, nec niſi ea ſequitur, quae bona ſunt, veraeque perfectioni convenientia. Igitur nec in conſtituenda religione aliquid poteſt ſine ratione idonea praeſcribi a Deo, qui, cum omnis temeritas in decernendo et pertinacia abſit ab ipſo longiſſime, nihil profecto ſine cauſſa poſtulare poteſt in ea re, quae eſt omnium graviſſima. Iam ea momenta, quibus, cum ſoluta eſt eligendi optio, inclinatur divina voluntas, vel *ab*

ipſa neceſſaria Dei natura proficiſcuntur, vel *a natura mundi et hominum omnium.* Cum igitur ſupra-victum ſit, leges divinas omnes ad hominum rerumque creatarum utilitatem felicitatemque referri: ſequitur, ut Deus in religione condenda et praeſcribenda non poſſit ſuae rerumque creatarum naturae non habere rationem. Unde porro efficitur, nihil a Deo ſanciri, nihil in religione praeſcribi, cuius non ſit neceſſaria ratio vel in ipſa Dei natura, vel in indole hominum, quorum felicitas non poſſit alio modo teneri. Nihil igitur poteſt temere et ſine ratione idonea poſtulare Deus; quod qui ſumere nollet, is ipſam ſapientiſſimae naturae notionem tolleret. Quidquid poſcit Deus atque praeſcribit, id cum communi rerum omnium felicitate ita eſt coniunctum, ut, ſi alio modo comparatum eſſet, non poſſet ellici iſta felicitas.

Sed cum tam late pateat civitas Dei, cuius nos ſumus pars exigua, ut eam totam minime poſſint capere humanae mentis angultiae: facile intelligitur, rationes, quibus commotus Deus aliquid ſciſcat, non ſemper *a nobis*, quos tanta rerum omnium inſcitia premit, perſpici poſſe, ſed ſaepe tam occultas eſſe et quaſi involutas, ut in iis aperiendis frultra laboret hominum diligentia. Quod ubi accidit, ſolent homines exi-

ſtimare, quae a Deo conſtituta ſint, eſſe *arbitraria*, nec rationem habere neceſſariam. Ita enim etiam de hominibus iudicare ſolemus, quos, putamus, aut pertinaces eſſe, aut impetu ferri temerario, quando non ſatis poſſumus perſpicere intimos recessus animi humani, nec occulta momenta protrahere et aperire, quae ipſorum voluntatem impulere. In legibus autem humanis, quantumvis ſapientiſſimis, quot res ſolent et quantae ſaepe vituperari ab hominibus imperitis, qui, quoniam non vident, quid ſecutus ſit legislator, quibusve cauſſis commotus ſingula decreverit, temeritatem aliquam et pertinaciam in eo ſolent ita maxime reprehendere et accuſare, quo ſunt ipſi rerum omnium ignariſſimi. Deum ipſum in gubernando mundo, ac decernenda ſingulorum hominum ſorte hoc modo agere, ut ſaepe non poſſit intelligi, cur malis bene ſit, et bonis male, nemo negaverit, niſi qui omnem Dei naturam tollendam, et providentiam a rebus humanis removendam cenſuerit. Iſtam vero temeritatem fortunae, quae videtur in vita humana dominari, nemo ſanus vere putaverit expertem conſilii; ſed fatentur omnes, quamquam *nos*, cur ſingula fiant, aſſequi cogitatione non poſſimus, omnia tamen a ſapientia divina bene, et ad communem ſalutem accommodate, adminiſtrari. Unde etiam

Paullus poſtulat, Rom. IX, 20. 21. hominem debere in voluntate divina conquiescere, nec reprehendere ea, quorum rationes non ſatis perſpiciat. Multa igitur etiam in religione nobis debent videri arbitraria, quae cum Dei rerumque natura optime cohaerent, nec ſunt a Deo, niſi propterea, praeſcripta, quod abeſſe ab hoc rerum nexu non poterant. Nam cum noſtra cognitio ſit ab omni parte anguſtiſſimis limitibus cohibita, et ignoratione earum rerum, quae vere bonae ſint et expetendae, maxime vexetur vita humana: mirum non eſt, ſi ſaepe haeremus in iis, quae ſunt a Deo ſancita, qui in conſtituenda religione, cum et ſapientia ſua complexus ſit omnia, et amore benignitateque proſequatur, non modo hominum omnium, et vitae debet rationem eius habere, quam in hac terra transigimus; verum etiam curare res omnes reliquas, et ſempiternam illam vitam proſpicere, quam poſt mortem exſpectamus. Amputata igitur ac circumciſa inanitate omni et errore, ſpes eſt, fore, ut rationes earum rerum, in quibus nobis iam ineſſe videtur caſus, et temeritas quaedam dominari, intelligamus aliquando plenius, ac diſcamus, partes religionis eas, quae videbantur inſcitiae noſtrae ab arbitrio quodam profectae, ita cum ſapientia ſumma conſpirare et cohaerere, ut alio modo con-

ſtitui non potuerint. Neceſſaria igitur hoc modo in religione, etiam ea, quae divinitus patefacta eſt, dici poſſunt omnia, cum Deus nihil poſſit praeſcribere, nihilque conſtituere, quod non ſit vel ſuae, vel rerum omnium naturae conveniens, omnis vero temeritas ab ipſius conſiliis abſit. Sed cum omnis neceſſitudo dupliciter dividatur, ſitque vel *ſimplex et abſoluta*, quae neque mutari, neque leniri poſſit ullo modo, omnisque ſit conditionis expers; vel neceſſitudo *cum adiunctione*, quae quibusdam efficiatur cauſſis, et in rebus ſoleat locum habere, quae in deliberationem cadunt, et conſilio geruntur: iam ad intelligendum facile erit, *illud* genus, abſolutae neceſſitudinis, in conſtituenda religione vim habere nullam, cum omnis religio patefacta divinitus referatur ad hominum et omnino mundi naturam, quae abſolute neceſſaria non eſt; *alterum* vero, cui cauſſa adiuncta eſt, debet profecto in omnibus regnare, quae praeſcribuntur a Deo, quoniam alias nec Deo digna religio eſſet, nec humano generi ſalutaris. Nec eſt, quod quis haereat in verbo. Nam qui dicunt, in religione omnia a Deo *ſapientiſſime* conſtituta eſſe, in quo profecto conſentiunt omnes, qui ipſi ſapiunt: ii differunt a nobis oratione, re conveniunt. *Nobis* denique, qui non capimus conſilii divini am-

plitudinem, nec allequi poſſumus, quid in decretis ſuis ſequatur Deus, multa, ab ipſo conſtituta, videri debent *arbitraria*, quamdiu vexamur illa rerum cauſſarumque ignoratione, in qua iam verſamur; qua detracta, nova luce colluſtrabuntur omnia, et evaneſcet omnis temeritatis vel leviſſima ſuſpicio. Largiamur itaque adverſariis, in religione nihil ineſſe, quod a ſapientia Dei aliter potuerit conſtitui, vel mutari; ſed teneamus hoc, eam multa poſſe admixta habere, quarum cauſſas *nos* non perſpiciamus, quaeque ſint, ob temeritatis, quam *nobis* habere videntur, ſpeciem, minime vocanda in dubitationem, vel incaute vituperanda. Sic, ut exemplo illuſtremus hanc disputationem, lex illa, hominibus primis data, *de abſtinentia a fructu arboris religioſae*, voluntaria nobis videtur et ab arbitrio profecta; cum eam nihil videamus coniuncti habere cum natura Dei et primorum hominum. Sed ipſa illa adiuncta gravis admonitio, cum uſu iſtius arboris fore mortem et omnis generis miſeriam coniunctam, ſatis docet, fuiſſe cauſſam iſtius legis longe graviſſimam, quamquam eo tempore nec primi homines eam intelligerent, nec nos eam ſatis poſſimus allequi. Unde etiam factum eſt, ut, cum temeritatem in hac re indignam eſſe Deo, omni tempore animadverterent homines eruditi,

de rationibus et caussis eius praecepti varie quaererent, et vel *pestiferam* fuisse, putarent, istam arborem; quae sententia nunc multis placet, et iam olim nonnullis probabatur; vid. *Theophilus* ad *Autolyc.* l. II. c. 25. vel *utilem et salutarem* sed prohibendam propterea, quod, ut *Gregorius Nazianzenus* ait, *Orat.* XXXVIII. φυτὸν erat, καλὸν μὲν εὐκαίρως μεταλαμβανόμενον — οὐ καλὸν δε τοῖς ἀπλουστέροις ἔτι, καὶ τὴν ἕξεσιν λιχνοτέροις. Quam sententiam etiam *Iosephus*, *interpretes Chalduici*, *Theophilus* eo loco, quem iam attulimus, aliique sunt amplexi. Quidquid sit, hoc, putamus, manifestum esse, cum ne humanus quidem pater infantem praeceptis vexet, ab eius salute et incolumitate alienis et inanibus: id multo minus ab optimo patre factum esse in hac caussa, quamquam nos, quid potissimum in ea re secutus sit, non penitus perspiciamus. — Ceterum nos, ut iam sumus professi, quae de necessitate omnis religionis disputavimus, obtrudimus nemini, sed haec sunt a nobis eo consilio perscripta, ut intelligatur, adversariis hanc rem, in qua se maxime iactat ipsorum oratio, *posse* concedi, e qua profecto, ut infra demonstrabimus, adversus ecclesiae nostrae doctrinam nihil efficitur.

Restat ultimum, in quo his, qui omnia repeti volunt, ab humanae felicitatis ratione,

lubenter assentimur, Christianam *religionem* probe distinguendam esse a *theologia*. Nam hoc discrimen ita comparatum est, ut sine magna rerum confusione, et ingenti detrimento, non possit negligi. Christiana *religio* nonnisi ea continet, quae sunt perspicue tradita a Christo et apostolis, ut facile possint et sine ambagibus e libris divinis disci. Haec vero tam plana sunt, tamque perspicua, ut vel infimis de plebe hominibus sint accommodata, et penitus comparata ad erudiendam in rebus gravissimis mentem, ad conformandum et corrigendum animum, ad regendam vitam, ad levandam omnem aegritudinem, ad efficiendam mortis contemtionem, ad excitandam denique spem et erigendos homines, ut, spretis rebus caducis et vanis, discant appetere bona sempiterna, et in omni actione spectare vitam post mortem, hac longe meliorem. Itaque in religione Christiana nihil inest artificiosi, nihil quod non intelligat et ad usum transferre possit etiam eorum imbecillitas, qui nunquam litteras didicerunt, vel mentem ad videndum id, quod in quavis re verum est, diuturna meditatione acuerunt. Haec ipsa Christianae religionis perspicuitas, et utilitas plane mirifica etiam effecit, ut facillime propagaretur per orbem terrarum, et ab hominibus probaretur, nec opus esset sophisticis artibus in ea

re, et διδακτοῖς ἀνθρωπίνοις σοφίας λόγοις, ut Paullus ait: 1 Cor. II, 13. Saepe hoc adversus *Celsi* criminationes monet *Origenes*, et recte quidem. Ὅρα, ait l. III. p. 135. Ed. *Spenc.* εἰ μὴ τὰ τῆς πίστεως ἡμῶν ταῖς κοιναῖς ἐννοίαις ἀρχῆθεν συναγορεύοντα, μετατίθησι τοὺς εὐγνωμόνως ἀκούοντας τῶν λεγομένων, idque exemplo illustrat, quod iam afferre nihil attinet. Christiana igitur religio quibus tradenda est, iis breviter et perspicue demonstrandum, quae sit aeternae salutis per Christum tenendae ratio; quae οἰκονομία, si ab idoneo magistro explicata fuerit, incorrupto hominum iudicio ita se probabit, ut in ea nemo haeserit. Sed ab ista nativa simplicitate aberrarunt, ut sit, Christianae religionis doctores, et artem quamdam religionis effecerunt, quae lites infinitas peperit, et varias pro temporum varietate passa mutationes est. Nam quod fieri etiam in aliis doctrinae humanae partibus solet, ut, si quaeras de *modo*, quo quidque fiat, et subtiliter *rerum caussas* anquiras, in eaque re adhibeas viam aliquam differendi, ordinemque descriptum, exsistat ars quaedam ac disciplina: id etiam fieri poterat in religione Christiana, et est, ut iam supra observavimus, mature factum, cum accessissent ad rempublicam Christianam homines eruditi, Graecaque doctrina instructi. Atque sic sensim nata

eſt *Theologia*, quam philoſophiam eorum dixeris, qui de doctrina Chriſtiana quaerere ſolent ſubtilius. Sed in tanta cauſſarum ignoratione, et imbecillitate humanae mentis, magna etiam cogitandi ac ſentiendi diverſitate, neceſſe erat, ut exſiſterent longe diverſiſſimae de religione ſententiae, et ingens diſputandi ac pugnandi ſtudium exardeſceret. Quae res duabus de cauſſis magna mala attulit rei Chriſtianae. Primo enim ſaepe ſunt obliti Chriſtianae religionis magiſtri, quantum religio ipſa differat a decretis et δόγμασι, ſenſim ſuper ea prolatis, et exiſtimarunt, cum *ſuas* opiniones vel impugnatas viderent, vel aliorum iudicio improbatas, rem ipſius Chriſtianae religionis agi. Unde coeperunt decreta ſua ſaepe etiam reliquis Chriſtianis obtrudere, ad quos minime pertinebant illa de religione φιλοσοφέμενα, ſcholae tantum virisque doctis deſtinata. Deinde is error malum peperit multo funeſtius. Fecit enim, ut praeter diſputantium de religione contumelias et concertationes pertinaces, hominibus Chriſtianis plane indignas, bella ſaepe funeſtiſſima conflarentur, et ſentiendi illa cogitandique libertas, quam nemo ſanus, niſi cum ipſa vita, dimiſerit, poenis coerceretur et atrocitate ſupplicíorum. Nos igitur non tantum damus hoc, diverſam eſſe religionem Chriſtianam a theolo-

giae artificio, et accurate feiungi debere: fed optamus etiam, ut doctorum hominum opera et ſtudio, ope legitimae interpretationis, magis magisque definiatur, quid et quantum ſit ad eam doctrinam referendum, quam, acceptam a Domino, tradiderunt nobis apoſtoli, ſimplicem et apertam: ſi forte poſſint hoc modo ad pacem concordiamque reduci Chriſtianorum mentes, eiusque caritatis devinciri vinculo, quae οὐδέποτε ἐκπίπτει, et etiam tum manebit, cum ἡ γνῶσις καταργηθήσεται 1 Cor. XIII, 8.

Sequitur, ut *de humanae felicitatis notione* quaeramus, qua in re hunc fere modum tenebimus, ut ea tantum perſequamur, quae ad hunc locum maxime pertinere videntur, ne in infinita propemodum rerum copia, qua hoc argumentum affluit, vel incerta vagetur oratio, vel trita nimis et in vulgus nota contineat. Igitur cum iam *veteres philoſophi* in ea diſputatione, quam inſtituere ſolebant *de finibus bonorum malorumque*, hunc locum docte et ſubtiliter perpurgaverint: nos eorum decreta propterea breviter tangenda putamus, quod ad perſpicuitatem in hac cauſſa aliquam vim habebit illa commentatio. Deinde diligenter formabimus felicitatis notionem eam, quae cum hominis indole maxime videbitur convenire. Adiungemus denique placita nonnulla, quae cum in

omni quaeſtione de humana felicitate minime negligenda videntur, tum in hac cauſſa plane neceſſaria ſunt.

Veterum igitur disciplinarum quam variae fuerint de beata vita ſententiae, et quam diſcrepantes, vel tironibus notum eſt, et *Cicero* in iis libris, quos *de Finibus* reliquit, eum locum ita tractavit, vt, quales fuerint antiquorum philoſophorum opiniones, quibusque argumentis nixae, diſtincte exponeret, et conquiſite perſcriberet. Sed veteres in univerſa illa quaeſtione ſaepe videntur lapſi verborum ambiguitate, et pugnaſſe, ut ſaepe fit, de nomine, quamquam re convenirent. Verbis enim iis, quibus maxime ſolebant uti, cum de beata vita quaererent, non una eademque ſubiecta eſt a diſciplinis omnibus vis atque poteſtas. Nam quod Graeci appellabant τέλος, Latini *extremum*, *ultimum*, *ſummum bonum*, ſeu *bonorum ſummum*, qui ad nullam aliam rem, ad ipſum autem omnia referuntur; vid. *Cicero* de *Finib.* l. III. c. 7. et l. I. c. 12. in eo inerat magna ambiguitas, quam, mirum eſt, non animadverſiſſe veteres, cum, diſiecta verborum obſcuritate, intelligatur, eorum ſaepe orationem pugnaſſe, in notionibus ipſis magnum fuiſſe conſenſum. Alii enim ſummi boni vocabulum de *conditione ſtatuque* hominis dicebant, in quo ipſi bene eſſ, et

in quo habet felicitatis sensum. Sic fere disputabant hi, qui bonorum finem inesse putabant vel in vacuitate doloris, vel in voluptate, vel in eo, si quis fruatur principiis naturae. Hi enim omnes existimabant, hominem tum demum esse consecutum finem bonorum, cum eam esset conditionem adeptus, et in eo statu collocatus, in quo, detracto omni dolore, fruatur diuturna voluptate, et laetetur assidue. Alii vero ita disserebant de summo bono, ut non tam felicitatem ipsam, quam *eius consequendae viam et adminicula* eo nomine appellarent, omnemque disputationem accommodate ad praecepta de moribus instituerent. In his ii ponendi sunt, qui virtutem bonorum finem dicebant, negabantque, praeter hanc ad bene beateque vivendum quicquam requiri. Eo pertinent etiam hi, qui virtuti adiungebant ἀδιαφορίαν quandam et ἀπάθειαν, vel in scientia summum bonum quaerebant; nam haec omnia ad bene beateque vivendum optima praesidia esse, quis non videt? Hae igitur disciplinae, in ipsa via ad beatam vitam haerentes, vehementer pugnabant adversus eas, quae paullo longius progressae, rem ipsam amplectebantur, ad quam illa via ducit, et honestis iucunda anteponere videbantur. Fuerunt denique, qui *utrumque coniungerent*, et cum ipsam felicitatem, tum eius pa-

randae praesidia summi boni appellatione indicarent; ut ii, qui honestatem seu virtutem cum aliqua accessione ponebant, eique vel voluptatem, vel indolentiam, vel illud adiungebant, quod vulgo solebant appellare, frui primis a natura datis. Ex hac observatione facile intelligitur primo quidem hoc, cum in ipsa summi boni notione tanta ambiguitas apud veteres inesset, eam rem non potuisse non locum facere infinitis propemodum litibus; in quibus agitandis ii, qui erant certis addicti ac destinatis sententiis, tam seduli fuerunt ac tam pertinaces, ut is locus ipsorum contentionibus fieret impeditior. Deinde manifestum est, cum tot magna ingenia, tot homines acuti et eruditi, in hac re saepe sint ac varie lapsi, ac decepti tum verborum ludibriis, tum sensuum iudicio, tum rebus multis aliis: humanae felicitatis notionem non ex earum numero esse, quae magnam lucem habeant, et facile possint intelligi. Quae res non debet praetermitti, cum quaeritur, utrum possit in moderanda religione normae loco esse, sitque praeferenda librorum sacrorum auctoritati.

Sed veniamus iam ad hanc notionem, et, missa quaestione ea, quae est de adminiculis parandae felicitatis, *quid sit ipsa, et qua in re cernatur eius natura*, paucis doceamus. Etsi

igitur in hac re dominatur ingens opinionum discrepantia, ut vere dixeris, tot esse sententias, quot sint homines: hoc tamen suus quemque sensus docet, hominem felicem se putare, cum sit in voluptate, suavitatque vitae aliquam iucunditatem; eos vero miseros dici, qui molestiis doloribusque discruciantur, nec habeant, de quo possint laetari. Voluptas vero in hac caussa non ea sola dicitur, quae quasi sensus titillat, et cum suavitate ad eos allabitur, sed ea etiam, et quidem maxime, quae sola mente percipitur, et vel e cognitione veri, vel e virtutis pulcritudine et dignitate, vel ex alia quacunque re in animo nascitur. Huius voluptatis, quae hominis naturam exornat et auget, quot sint genera, quantaque vis, *Plutarchus* eleganter exposuit in eo libello, quo demonstravit, non *posse suaviter vivi secundum Epicurum*. Atque haec beatitatis notio, quae valet, ut cum Socrate loquar, ad [illegible] sensum incorruptum, nisi loquendi hominumque iudiciis ita firmatur, ut nulla possit esse de eius veritate dubitatio. Hanc, ait *Maximus Tyrius* Dissert. XXXIII. καὶ [illegible] — Sed cum absoluta omnibus numeris felicitas, quae sine ulla aegritudinis admixtione sit, non cadat in hanc vitam, uti usus quemque docet

quotidianus: praeclare nobiscum agitur, ac felices dicendi ſumus, *ſi plus habemus voluptatum, quam dolorum.* Recte profecto poeta apud *Plutarchum* in *Conſolat. ad Apollon.* pag. 105.

> Οὐκ ἐπὶ πᾶσί σ' ἐφύτευσ' ἀγαθοῖς
> Ἀγάμεμνον Ἀτρεύς·
> Δεῖ δέ σε χαίρειν καὶ λυπεῖσθαι
> Θνητὸς γὰρ ἔφυς. —

Sed malorum, praeſertim ſi ſint leviora, admiſtio tantam vim non habet, ut omnem ſuavitatis ſenſum exſtinguat: qui ſenſus acuitur adeo, ſi acceſſerint interdum quaedam moleſtiae, quibus detractis, aptior eſt animus ad guſtandam liquidam voluptatem. Videtur etiam hominis natura ita comparata eſſe, ut nunquam, ne in ea quidem vita, quam poſt mortem exſpectare nos iubent libri ſacri, omnis aegritudinis poſſit expers eſſe, ac percipere conſtantem ac perpetuam voluptatem, nullo moleſtiarum ſenſu corruptam. Unde beatitatem recte dixeris eam conditionem, *in qua tanta ſit ac tam conſtans vitae iucunditas, ut moleſtiarum et aegritudinis ſenſum longe ſuperet.*

Sed haec definitio etſi eſt ad communem omnium intelligentiam accommodata, et facile poteſt capi vel ab his, qui ad verum ſubtiliter videndum exercitati non ſunt: tamen non-

dum sufficit ad perspiciendam felicitatis naturam; restat enim, ut quaeramus, *qua in re cernatur ipsa illa voluptas*, quae nos vocat ad se, et suapte natura allicit. Gaudemus igitur, *cum evenit, quod optaveramus*, hoc est, cum sentimus, *cupiditates nostras expletas esse*. Nam qui aliquid appetunt, et animadvertunt, sibi deesse, quod desiderabile putent, eos nemo dixerit in voluptate ac felices esse. Sed quibus contigit, quod optaverant, quorum sunt expleta desideria, ii putantur beati, et perfusi laetitia. Ἥδεται, ait *Sophocles* apud *Stobaeum Serm.* CI. p. 458. τυχὼν, ὧν τις ἐρᾷ. — Iam cum nihil appetatur a nobis, *nisi quod vel sit, vel videatur bonum esse*: bonum enim illud est, quod ad se impetum animi secundum naturam movet, ut *Senecae* verbis utar, *Ep.* CXVIII. facile intelligitur, animi desideria tum expleta esse, *cum sit potitus rebus iis, quae bonae videbantur, iisque frui possit*. Igitur in omni voluptate inest sensus eorum bonorum, quae sumus adepti; et quo expetabiliora sunt ista bona, vel nobis certe videntur, eo maior est voluptas, quam ex eorum cogitatione percipimus. Unde philosophi veteres, ut est apud *Plutarchum de aud. Poet.* p. 24. felicitatem dicebant τὴν παντελῆ τῶν ἀγαθῶν ἕξιν ἢ κτῆσιν. Cumulata vero complexio bonorum, quae pos-

ſidemus, et quibus nos potitos eſſe ſentimus, efficit id, quod *praeſtantiam* hominis eiusque *perfectionem* appellant. Ita enim quisque perfectiſſimus eſt, et maximam conſecutus dignitatem praeſtantiamque, ut plurima adeptus eſt bona, iisque frui poteſt et uti. Nam quo quis plura poteſt agere et efficere, quo maior eſt in omni re vis eius atque poteſtas, eo perfectior cenſetur eſſe. Unde Deus, qui omnia poteſt, et unus omnia complexus eſt bona, veriſſime et perfectiſſimus dicitur, et longe beatiſſimus. In aeſtimanda igitur bonorum copia, quibus efficitur et conflatur quaſi hominis perfectio, earum rerum omnium habenda ratio eſt, quibus ad vim hominis poteſtatemque aliqua fieri poteſt acceſſio. Falluntur enim, qui in bonorum numero nonniſi ea habent, quae ſunt in animo ſita; rebus vero extrariis, et aliqua τῶν πραγμάτων ἐυρσίᾳ, negant, augeri poſſe praeſtantiam hominis, vel perfectiorem fieri eius ſtatum. Nam ſi is, qui plurimum in quavis re poteſt, perfectior eſt eo, cuius imbecillitas in agendo in promtu eſt et manifeſta; externae vero res efficiunt hoc, ut hominis potentiam varie augeant: nemo negaverit, eas res, quae ſint extra nos poſitae, recte in bonis haberi, et numerari in perfectionis noſtrae incrementis. Iam ſi verum eſt, quod ſupra vicimus,

nos laetari, cum desideria nostra expleta sentiamus; cupiditates autem nostras tum esse sedatas, cum videamus, ad perfectionem nostram aliquam accessionem factam, auctamque bonorum, quae sint in potestate nostra, copiam: efficitur, omnem animi voluptatem cerni *in sensu crescentis praestantiae ac perfectionis nostrae*, quacunque demum in re illud incrementum positum sit. Unde voluptas a *Maximo* in eo loco, quem excitavimus supra, non male dicitur κρηπὶς, τῇ σωτηρίᾳ τῆς ζωῆς ὑποβεβλημένη, quoniam est arctissime coniuncta cum ipsa naturae praestantia. Cum autem in voluptatis magnitudine, quae superet molestiarum sensum, insit omnis beata vita: consequitur, ut humanae felicitatis vera indoles posita sit *in ea conditione, in qua homo sentiat et animadvertat, se eas esse praestantiae perfectionisque humanae partes consecutum, quas adhuc potuerit consequi.*

Ex hac humanae felicitatis notione consequuntur nonnulla, quae cum omnino diligenter observanda sunt ei, qui voluerit eius notionis vim subtiliter intelligere, tum in hac caussa praetermitti nullo modo possunt. Primo enim etsi distincte dicere possumus, qua in re posita sit beatae vitae natura, ut ex his patet, quae sunt hactenus a nobis disputata: tamen,

cum ad vitam ipſam rerumque uſum ventum eſt; tam ambigua ſit in illa notio, ac tot *eſſe* ſolent tamque pugnantes hominum de felicitate ſententiae, *ut in ea re quisque videatur ſuum ſenſum ſequi, eumque a iudicio reliquorum omnium multis in rebus longe diverſiſſimum.* Etenim quod alter ſummo ſtudio ſectatur, et ſummi boni loco habet, id alter fugit malumque putat; eiusque discrepantiae tanta vis eſt, ut non modo in rebus levioribus dominetur, in veſtitu, in cibis et potu, in oblectamentorum generibus; ſed etiam in rebus maximis, quae cum dignitate hominis et praeſtantia coniunctiſſimae ſunt. Eſt autem mentis humanae in iudicandis rebus iis, quae ad felicitatem referendae ſint, inconſtantia tanta, ut ſinguli paene mutent pro tempore ſententiam ſuam, et in ea re pendeant a fortunae ludibriis et mutationibus; quod iam *Ariſtoteles* obſervavit *de Moribb.* I. I. c. 2. Nec vulgus tantum iſta levitate et inconſtantia fertur, ſed ne docti quidem homines in re tanta ac tam gravi conſentiunt, ut manifeſtum eſt e diſputatione veterum de fine bonorum, quae omni tempore cum tanto animorum motu et indignatione coniuncta fuit, ut ſaepe contumeliis et maledictis inquinaretur. Sed ſi vera ſunt, quae effecimus ſupra, beatitatis naturam cerni in ſenſu, quem

quisque de perfectione sua eiusque incrementis habeat: necesse est, ut sint hominum longe diversissimae opiniones de beata vita, eiusque rei caussa inest in modo ac via, qua rerum cognitionem sibi comparat humana mens, et iudicare discit de his, quae in electionem cadunt. Hoc enim manifestum est, etsi magna sit hominum similitudo, posita illa in universa naturae constitutione; tamen *ingeniorum varietatem* tantam esse tamque mirabilem, ut eam nemo possit cogitatione assequi atque complecti. Accedit *locorum temporumque diversitas*, qua fit, ut homo quisque res externas alio modo percipiat, et ab alia parte contempletur, quam reliqui omnes. Haec vero vim habere debet maximam ad mentis conformationem, quae in tanta multitudine locorum, in quibus non sine providentiae divinae nutu constituti sunt homines singuli, debet non gradu modo et praestantia, verum etiam ipso genere et natura multiplex esse. Nec praetermittenda *educationis ac disciplinae indoles*, in qua etiam inest longe maxima diversitas, a moribus singularum gentium, a rerum publicarum formis, et ab opportunitatibus aliis profecta, quae nemo potest ob ingentem multitudinem varietatemque vel mente complecti, vel oratione persequi. Iam cum omnis cognitio hominis oriatur a sensibus,

et per hos tanquam satellites et nuntios a rebus externis ad mentem perveniat: quis non videt, hominem quemque talem habere scientiam rerumque notitiam, qualis non possit eodem prorsus modo in ullo alio reperiri. Unde porro consequitur, ut iudiciorum de rebus bonis, atque omnino de vera hominis praestantia, ingens esse debeat dissensus et pugna longe maxima. In illa vero perfectione cum insit verae felicitatis natura: debet profecto eius notio apud homines ipsos vehementer ambigua esse, nec unus idemque omnium in re gravissima sensus. Haec pugna tanta est, ut *Anaxagoras*, cum esset interrogatus a quodam, quem potissimum putaret beatissimum; *neminem*, respondisse dicatur, *ex his, quos tu existimas, sed eum, qui tibi a felicitate remotissimus videtur*: vid. *Aristoteles Eudem.* l. I. c. 4. Atque ab hoc fonte manat etiam ingens error, qui omnium fere animos insedit et occupavit, *de bonis opinatis, et opinatis malis*, quique effecit, ut homines saepe fugiant ac pertimescant, quae appetere debebant, et diligenter sectari; occaecati vero cupiditate, et blanditiis praesentium voluptatum deliniti atque corrupti, assumant et arripiant avide, quae repudianda erant et vitanda. Etsi igitur universe facile dixeris, qua in re posita sit hominis felicitas; tamen ea

notio, ad vsum translata, hominum opinionibus earumque infinita propemodum varietate ita obscuratur, vt vix habeas, quid pollis tenere, et in quo tuto conquiescas.

Sed in tanta opinionum de beata vita discrepantia, et bonorum generumque felicitatis multitudine, tamen mira deprehenditur *consensio*, si rem ab alia parte consideraveris. Ita enim a sapientia diuina conditum sunt omnia, et apta inter se copulataque, *vt singulorum hominum felicitas pendeat e communi omnium, nec beatus esse possit, qui aliquid libidinose aut cogitet, aut faciat.* Natura enim ipsa hominem conciliavit homini, omniumque societatem ita deuinxit, vt, distracti dilapsique, salvi esse non possint, in coetus coacti, facile parent, quae ad bene beateque viuendum necessaria sunt. Vt igitur augetur et crescat communis omnium felicitas, ita et singulorum priuata augeri solet et incrementa capere; et vti quisque in omni actione maxime spectat id, quo conservatur hominum coniunctio, et in eo laborat maxime, vt, communes vtilitates afferendo in medium, deuinciat hominum inter homines societatem: ita solet ipse praestantissimus esse, et ad percipiendam verae felicitatis et beatissimae voluptatis dulcedinem aptissimus. Communi autem saluti qui detrimentum infert, is, quam-

quam videatur interdum fructus ex ea re capere uberrimos, tamen sibi nocet ipse, docuitque omnium temporum usus, opinata esse ea bona et cum damno maximo coniuncta, quae sint male parta, et e publica salute inuste decerpta, et quasi surrepta. Una igitur homini patet ad veram felicitatem via haec, *ut aliis quam maxime prosit*: nam quo maior est accessio, quae per quemque fit ad salutem publicam, eo maior est ea praestantia, quam sibi quisque comparat et acquirit, eo firmior privata cuiusque felicitas. Praeclara igitur est illa *Platonis* vox, quam e libro *de Legib.* VIII. decerptam, *Stobaeus* attulit *Serm.* CI. τῷ ἐυδαιμόνως ζῆσαι, ὑπάρχειν ἀνάγκη πρῶτον, τὸ μή τε αὐτὸν ἄλλοι, μή τε ὑφ' ἑτέρων αὐτὸς ἀδικεῖσθαι. Qua de re etiam libro *de Republ.* V. bene disputat, ubi docet, eam civitatem optime constitutam et beatissimam esse, quae sit similis corpori humano, ut, afflicta parte aliqua, doleat corpus integrum, et omnia sint membris omnibus communia. Quod igitur *Aristoteles* quoque de civitatibus singulis demonstrat, unam eandemque esse singulorum et reipublicae felicitatem, *Politicor.* l. VII. c. 2. id etiam, ad generis humani societatem translatum, verum est. Atque in hoc mire elucet *Christianae religionis* praestantia, quae tota eli in commen-

danda hominum omnium caritate. Nam amori omnium erga omnes, eique fummo, qui debeat contentione virium maxima laborare in augenda falute publica, et vitam ipfam ac fanguinem pro aliorum felicitate profundere, tali igitur ac tam facto pioque amori tamquam fundamento impofuit Chriftianae religionis auctor praeceptorum fuorum omnium veluti aedificium, atque fic tum fingulorum, tum communi omnium faluti optime profpexit. Nec praetermittendum in hac cauſa illud eſt, generis humani felicitatem *etiam cum reliquis civitatis divinae partibus cohaerere.* Etenim cum nos fimus magnae civitatis, quam condidit Deus, et fapienter adminiſtrat, nonnifi pars exigua; in hac autem immenfa republica omnia fint apta ex fe nexaque: quis non videt, etiam noſtram falutem eſſe publicae felicitatis partem aliquam, et cum ea copulatam. Hoc paſſim et libri ſacri indicant, qui *angelos* inducunt de falute generis humani ſollicitos, et laetantes de his, quae nobis evenere feliciter; vid. Luc. II, 13. 14. XV, 10. Hebr. I, 14. *diabolum* vero in cauſis iis numerant, a quibus proficiſcitur humani generis miſeria; vid. Ioh. VIII, 44.

Ex eo, quod vera felicitas poſita eſt in incrementis humanae perfectionis, ſequitur etiam illud, *neminem vere beatum eſſe, cui terminus*

quaſi praefixus ſit, ultra quem non poſſit progredi; ſed ad veram felicitatem, quae expleat omnia hominis deſideria, *requiri ſpem immortalitatis, quae ſit cum infinita progreſſione ad maiorem perfectionem coniuncta.* Nam univerſa hominis natura ita comparata eſt, ut, ubi ſemel exſuſcitatus eſt animus, maior indies fiat ad gerendas res, nusquam conſiſtere poſſit, et ſemper aliquid novi anquirat et appetat. Si igitur ita eſſet finibus quibusdam circumſcriptus animus noſter cohibitusque, ut videret locum aliquem ultimum, et quaſi metam, ultra quam datum non eſſet progredi: omne ſtudium et ardor omnis, quo contendit ad maiorem in omni genere praeſtantiam, frigeſceret, atque, ſi adeptus eſſet ſummam illam felicitatem, aut deterior fieret, eſſetque ad carceres revocandus a calce; aut taedio afficeretur, cum quotidiana in quavis re facile fordeant. Spes autem beatitatis interminatae a beata vita vel propterea non poteſt abeſſe, quod omnis noſtra felicitas in hac terra non modo moleſtiarum admiſtionem habet ſaepe ſatis acerbam; verum etiam in hac turba et colluvione bonis ſaepe male eſt, et malis bene, quo facile exſtinguerentur virtutis igniculi, et ſolatium eriperetur rebus humanis, ſi ſupremus ille dies exſtinctionem afferret, non commutationem loci et ſortem

optabiliorem. Etſi enim multa ſunt omni tempore a philoſophis diſputata ad efficiendam mortis contemtionem, eiusque metum depellendum: ita tamen naturae diſſolutionem perhorreſcimus, ut amorem vitae ſempiternae inſixum naturae eſſe, ſuus quemque ſenſus doceat; unde et illa philoſophorum argumenta vim omnem pondusque ſuum a ſpe beatioris vitae debent accipere. Nulla igitur eſſe poteſt animi in hac vita vera tranquillitas ſine ſpe ſempiternae durationis, quae adiunctam habeat creſcendi in quavis re ac proficiendi opportunitatem. Atque hac in re, quae et ad agnitionem animi pulcerrima, et ad beatam vitam neceſſaria eſt, antiquorum philoſophorum decreta longe ſuperantur a Chriſtianae religionis doctrina. Illorum enim diſputatio de felicitate, cum ipſis admodum incerta videretur immortalitatis ſpes, *huius vitae* coercebatur angustiis, ad aliam beatiorem, de qua nemini ſatis conſtabat, vix audebat aſſurgere. Ab hac parte magnopere laborabat inprimis eorum oratio, qui bonorum finem in virtute ponebant. Nam virtus in hac vita ſaepe eſt tot ac tantis laboribus, miſeriis, et deſpicationibus oppreſſa, omnique modo ſepta, ut, detractis aliis vitae praemiis, nemini perſuaſeris, eam ad beate vivendum ſe ipſa contentam eſſe. Chriſtiana vero religio de felici-

tate ita praecipit, ut nihil cogitari poſſit quod vel humanae naturae deſideriis et dignitati, vel rationis incorruptae iudicio ſit convenientius. Fatetur enim, quae per hanc vitam in hominem cadat felicitas, eam, etſi minime contemni debeat, ſitque ſufficiens ad alendam animi fiduciam, in benignitate Patris optimi maximi nixam, tamen eſſe mancam et imperfectam. Unde totum animum ad aliam vitam erigit, et hominem iubet alte ſpectare, et in caelum migrare. Hanc vitam *diſciplinam* eſſe docet, qua conformandi ſint homines et educandi, ut poſſint maioris aliquando felicitatis fieri participes. Unde conſequitur, ut etiam fortunae caſus et calamitates omnes, cum immittantur a patre τῶν πνευμάτων ſapientiſſimo ac benigniſſimo, accipiant vim et naturam beneficiorum, caſtigationisque paternae, quae ὕστερον καρπὸν εἰρηνικὸν ἐν τοῖς δι' αὐτῆς γεγυμνασμένοις ἀποδίδωσι δικαιοσύνης, Hebr. XII, 4–11. Quae gerenda ſunt in hac vita ab hominibus, ea comparat etiam cum *ſationis tempore*, quod etſi ſpem iucundam futurae meſſis habet, meſſe tamen et uberitate ipſa nondum fruitur; Galat. VI, 9. 10. Omnem denique hominis animum ad exſpectandam poſt mortem felicitatem ſummam ita convertit, ut neget, eum, qui Chriſto nomen dederit, σκοπεῖν τὰ βλεπόμενα, cum tota mente amplectatur τὰ

μὴ βλεπόμενα, quae ſint αἰώνια, nec poſſint fortunae ludibriis eripi; 2 Cor. IV, 18. Atque haec omnia ita comparata ſunt, ut, ſi volumus verum fateri, ſine hoc additamento manca ſit et imperfecta felicitatis notio, parumque accommodata humanae naturae deſideriis, quae neque expleri poſſunt et ſatiari τοῖς βλεπομένοις, neque contineri ſe coerciique patiuntur huius vitae brevitate, ſed cum ingenti impetu ad incrementa feruntur infinita. Igitur recte, putamus, a nobis ſumi hoc, *ſempiternae vitae ſpem, quae ſit cum perpetuis perfectionis noſtrae augmentis coniuncta, a notione beatae vitae non poſſe ſeparari.*

Reſtat ultimum, quod non eſt negligendum, ſi plena et numeris omnibus abſoluta notio felicitatis humanae formanda eſt. Haec felicitas cum non capiatur huius vitae angustiis, ſed per infinitam aeternitatem porrigatur, ac duret; in ea vita, quae a morte corporis ſperatur, *non poteſt ita pendere a rebus per hanc vitam geſtis, ut tota poſita ſit in ſcientia bonarum rerum, quam nobis hic comparaverimus, et in animi tranquillitate, quae oriatur e memoria recte et praeclare factorum:* ſed requirit etiam *bona externa, novasque opportunitates discendi plura et proficiendi in omnibus iis, quae ad veram mentis humanae*

perfectionem pertinent. Etſi enim veriſſime praecipiunt, qui negant, beatum poſſ hanc vitam eum eſſe poſſe, qui, nulla bonarum rerum ſcientia inſtructus, omniumque ſcelerum contagione infectus, ex hac ſtatione deceſſerit: tamen id non poteſt habere hanc vim, ut alterius vitae felicitas omnis a virtutibus iis proficiſcatur, quas animus ex hac vita ſecum deportaverit. Etenim quam imperfecta et paupercula foret futurae vitae conditio, ſi praeter has doctrinae et ſcientiae noſtrae copiolas, quae vel in eruditiſſimo homine ſatis curta ſupellex ſunt, et praeter conſcientiam virtutis noſtrae, quae in optimis viris imperfecta eſt, nihil haberet, quod nos delectaret? Si autem vera ſunt, quae demonſtravimus in antegreſſis, nullum felicitatis genus humanae naturae deſideriis accommodatum eſſe, niſi quod in *incrementis* noſtrae perfectionis cernatur: profecto animus, ſeiunctus a corpore, et uſu ſenſuum privatus, felix eſſe non poteſt, ſi bonis olim partis debet eſſe contentus, nec nova parandi opportunitatem habet. Ea vero voluptas, quae e conſcientia recte factorum percipitur, quomodo tandem poteſt explere aeternitatis immenſitatem, et exhilarare mentem humanam, quae ſine taedio ac moleſtia non poteſt diu vel in iucundiſſima re haerere, ſed nova circum-

ſpicit oblectamenta? Ac ſunt etiam multa alia, quae ſatis demonſtrant, felicitatem vitae ſempiternae proficiſci debere a *novo aliarum rerum nexu*, qui novas acquirendi dotes copiam faciat humanae menti, et voluptates praebeat novas, ſatietatem nunquam allaturas. Atque ſic etiam libri ſacri hac de re praecipiunt. Nam etſi ſcriptura non tradit perſpicue, quae ſit futura nova conditio, hominibus probis poſt hanc vitam a Deo deſtinata; quomodo enim potuiſſet perſpicue, et ad hominum intelligentiam accommodate, de rebus iis loqui, quae, cum plane novae ſint et inauditae, nec verbis deſignari poſſunt, nec mente et cogitatione capi: hoc tamen manifeſte demonſtrat, felicitatem caeleſtem praemia multa habituram eſſe, quae ab alio rerum externarum nexu pendeant, et a ſapientia benignitateque Dei, quae hominibus contingit per Chriſtum, repetenda ſint. Sed hunc locum *Erneſtius* in *Vindiciis arbitrii divini in conſtituenda religione* §. 18—20. ita perſcripſit, ut plura addere iam non ſit neceſſe.

De notione felicitatis humanae qualis ſit et quam perſpicua, ſatis, putamus, ſuperiori diſputatione expoſitum eſſe; ſequitur, ut quaeramus, *utrum ſit ea notio ad definiendum id, quod ad Chriſtianam religionem pertinere debeat, ſatis idonea?* Qua in re non hoc agitur,

ut oſtendatur, *omnem religionem eſſe ſalutarem*, quod nos ſupra iam dedimus, et conceditur ab omnibus, qui recte ſentire didicerunt de φιλανθρωπίᾳ Dei. Atque ſolebant olim Theologi noſtri hac ipſa de cauſſa, quod exiſtimabant, in religione nihil ineſſe, quod non aliquam vim habere poſſit ad amplificandam felicitatem humanam, in definitionibus rerum fere omnium ponere tritum illud, eas pertinere ad gloriam Dei et hominis ſalutem. — Nec illud iam quaeritur, utrum Chriſtianae religionis placita, *cum perſpicue traduntur, et inculcantur multitudini ab ea potiſſimum parte illuſtranda ſint, a qua intelligi poteſt quaedam eorum cum beata vita coniunctio;* id enim omni ſtudio et quantum fieri poſſit, agendum eſſe ab his, qui vel in concionibus ſacris de religione diſſerunt, vel aetatem puerilem ſalutari doctrina imbuunt, quis eſt, quin intelligat? Nam cum omnis cognitio *efficax* eſſe debet et fructuoſa, tum illa maxime, quae de religione in animo eſt; vim autem ad regendam vitam tum demum habebit, cum intelligitur, quomodo poſſit prodeſſe, ut mens, utilitatis propoſita ſpe, ad agendum impellatur. Optandum igitur eſt, ut ii, qui populariter de religione diſputare debent, deſinant tandem admiſcere ſpinas illas, quas in ſchola tangere nos

cogit neceſſitas, fugiantque formularum Hebraicarum et imaginum umbras, quarum multae tam obſcurae ſunt, ut ſaepe ne a magiſtris quidem ipſis intelligantur. — In his igitur quamquam aſſentientes habebimus omnes harum rerum peritos; hoc tamen quaerendum reſtat, utrum ex illa utilitatis notione, *qualem nos eam formamus ipſi*, definienda ſint religionis placita, nec in iis quidquam admittendum, quod nobis ab iſta felicitate abhorrere videatur? Vis enim, quam religio habet ad efficiendam hominis ſalutem, duplici modo illuſtrari poteſt; primo quidem ſic, ut qualis ipſa ſit religio, et quam tenendae felicitatis viam praeſcribat, *e libris ſacris per legitimam interpretationem diſcas*, ac deinde doceas, quid ſit homini agendum, et quo debeat animo eſſe, ſi voluerit eam felicitatem adipiſci, quam religio pollicetur. Hanc rationem, *quae omnia argumenta ducit a libris ſacris*, et ab his diſputandi initia capit, omni tempore tenendam cenſuere noſtri theologi, idque recte, ut paullo ante obſervavimus. Deinde poteſt de vi religionis ſalutari etiam ita diſputari, ut primo quidem, quae ſit hominis felicitas, et qua in re cernatur vita beata, *rationibus philoſophicis efficias*, eiusque notionem aliquam plenam atque diſtinctam *initii loco* ponas; deinde ex iis,

quae in libris ſacris de religione traduntur, *decerpas* nonniſi ea, quae ad illam notionem, tanquam ad normam et regulam exacta, locum habere poſſint, felicitatemque, uti *a te* definita fuerit et expoſita, augere videantur. Haec eſt nova illa ratio conformandi religionem ad felicitatis notionem, a cuiusque excogitatam ingenio; quae utrum legitima ſit, age, iam paucis videamus.

Omnis autem noſtra diſputatio huc redit, ut quaeramus, *utrum felicitatis humanae notio, e contemplatione naturae ducta, initii loco eſſe poſſit, e quo efficiatur, quae placita ſint ad Chriſtianam religionem, et ipſum quoque theologiam referenda?* Iam in eo neminem habebimus repugnantem, enunciata ea, quibus tribuenda ſit initiorum vis, ut ſint cognoſcendi principia, a quibus omnia ducantur ac deriventur, primo quidem eſſe debere *certa ſatisque firma*, ad efficiendum aſſenſum; deinde *ad perſpicuitatem utilia*, ut facile poſſit intelligi, quid et quantum ex iis ſequatur; *plena denique et ſatis idonea ad explicationem eorum omnium*, quae ad cauſſam, de qua quaeritur, pertinent. Nam quae enunciata has dotes non habent, ab iis nec oratio rite proficiſci poteſt, ut fatentur omnes, qui ſunt in diſputando ſatis exercitati, et viam modumque tenent, ſubtili-

ter de aliqua re quaerendi. Iam ſi demonſtraverimus, *a notione felicitatis humanae haec omnia abeſſe:* manifeſtum putamus et illud fore, eam ad iudicium de placitis Chriſtianae religionis parum idoneam eſſe, nec normae vim habere poſſe, ad quam in hac cauſſa omnia ſint exigenda.

Explorata igitur certaque ea ſunt enunciata, *quae argumentis non egent*, nec obnoxia ſunt humani ingenii petulantiae, ſed ſtatim *vel invitis aſſenſum extorquent*, quales ſunt enunciationes eae, quas in arte dicunt *axiomata*, quorum vim et auctoritatem etiam *definitiones* habent, ſi tam manifeſtae fuerint, tamque perſpicuae, ut nemo de earum veritate dubitare poſſit, niſi qui ſenſum omnem cum ratione eiuraverit. Iam ex eo genere *notionem felicitatis humanae* eſſe, nemo dixerit, niſi qui vehementer cupidus ſit, ſuaque decreta omnibus obtrudenda cenſuerit. Eſt enim ea notio vehementer ambigua, ac poteſt varie explicari et definiri. Hoc non modo res ipſa docet, et ſuus quemque ſenſus; ſed poteſt etiam, et quidem maxime, e litibus iis intelligi, quibus olim tempus conterere ſolebant graviſſimi philoſophi, ut iam obſervavimus. Etſi enim disciplina quaevis aliquid vidit, quod probari poſſit, et cum humana natura conveniat; ſetſi etiam lar-

gimur, eas incidiſſe ſaepenumero in inanem pugnam de verbis: hoc tamen in promtu eſt, *notionem felicitatis humanae multum habere difficultatis*, et quamcumque definitionem ſecutus fueris, multa poſſe in contrariam partem dici, quae et ipſa ſpeciem habeant magnam, praeſertim cum illa notio ad uſum translata et ad vitam ipſam, maximae ſit hominum inconſtantiae obnoxia. Unde multos in explicanda hac re tantopere nutare videas, ut malint ſenſum ſequi, quam patefactione aliqua uti ac definitione legitima. Sed quae notio ita comparata eſt, ut infinitis litibus locum faciat: eam profecto nemo dixerit ſatis idoneam ad iudicium de placitis iis, quae ſunt in re graviſſima, in ipſa religione, credenda tenendaque, cum in nulla alia re magis vitanda ſit omnis temeritas in aſſentiendo, et omnis error fugiendus. Vanum igitur eſſet, ſi quis exiſtimare vellet, concertationibus de religione, et criminationibus eorum, qui Chriſtianam religionem oppugnent, ſic optime occurri, ſi omnia revocentur ad rationem humanae felicitatis. Nam haec ipſa felicitas qualis ſit, et quibus rebus efficiatur, cum vel eruditiſſimi homines ambigant, nec poſſit in hac re, ut ſupra vidimus, unquam eſſe conſenſio hominum: nemo profecto cohibuerit diſputandi et pugnandi libidi-

nem, quae in notione felicitatis ipsa facile inventura esset quaerendi varie de religione novam, eamque uberrimam materiam. Adhuc quidem disciplinae Christianorum singulae opinionum suarum firmamenta petierunt *e libris sacris*, eorumque locos in partes suas studiose traxerunt propterea, quod ii libri auctoritatem habere putabantur divinam, adeoque decernere posse, quid sit de religione sentiendum. Haec ipsa reverentia atque perfuasio fecit, ut multi modestius versarentur in iis rebus, quae ad religionem pertinent; cum quod viderent, extorqueri ex animis eorum, quibus libri sacri pateant, difficulter ab interprete posse cognitiones veterum; tum quod institutioni divinae plus tribuendum existimarent, quam suo ingenio. Sublata autem auctoritate illa scripturae; nam tollunt eam vere, qui putant, ad felicitatis notionem, humana cogitatione effictam et efformatam, illius doctrinam exigendam esse: hac igitur auctoritate sublata, quae ipsa vix potuit humani ingenii libidinem coercere, quis tandem reprimat prorumpentem hominum licentiam, quae tam ad libidinem fingere, non sine multa specie, poterit, illam beatae vitae notionem, atque sic in religione quidlibet mutare atque decernere. Qui vero speraut, si in religione revocentur omnia ad humanam natu-

ram, eas certe criminationes facile dilui poſſe, quae ſoleant a vituperatoribus Chriſtianae religionis afferri: ii non vident, aut omnem religionem divinitus patefactam, ſi iſti debeant conticeſcere, tollendam eſſe, aut aequo animo ferendos eorum clamores. Nam quid efficiemus, ſi, ad felicitatis humanae notionem componentes religionem omnem, multa tollimus, quae libri ſacri diſerte docent, et clare praecipiunt? Num aequiores habebimus religionis adverſarios, quibus non hoc propoſitum eſt, ut ad ipſorum opiniones *refingantur* partes quaedam religionis, ſed *ut plane nulla ſit Chriſtiana religio.* Si vero iſta disputatio, de conformanda religionis doctrina ad notionem humanae felicitatis, debet habere hanc vim, et eo conſilio inſtituitur, ut deleantur, quibus a naturali differre putatur revelata religio: quid, quaeſo, impedit, quominus id fateantur eius rationis defenſores? Nam ipſa illa philoſophiae cum ſcriptura coniunctio, quam tantopere commendant, admodum contorta eſt, et hanc cauſſam facit impeditiorem. Iis enim litibus, quas habet philoſophia, cum de felicitate quaeritur, et quae in ſe ſatis graves ſunt, adiungit difficultates alias, a libris ſacris profectas; quibus ſuperſedere poſſunt, qui profitentur, ſe praeter naturalem religionem nihil admittere. Manifeſtum igitur eſt, in ma-

ximas difficultates se induere, qui hanc novam disputandi rationem antiquae praeferant. Tanta enim ambiguitate laborat felicitatis notio, ac tantopere potest a libidine humani ingenii corrumpi et immutari, ut vel hanc ob causam normae vim in constituendis religionis Christianae praeceptis non possit accipere.

Ne quis autem existimet, haec a nobis disputari eo consilio, ut invidiam faciamus novae rationi, vel in metum inanem vanumque coniiciamus eos, qui non satis possint hac de re iudicare: placet exemplo demonstrare, manasse iam ab hoc fonte perversissimas opiniones, ac depravasse religionem. Neque enim plane nova est haec ratio, ut nonnullis videtur; sed iam olim hoc modo lapsum est humanum ingenium, et erroribus contaminavit religionis integritatem. Nihil profecto cogitari potest vel a puritate religionis, vel ab ipsa generis humani salute alienius, *theologia mystica*, quae peperit *vitam monasticam*, doctrinam de moribus inquinavit, omnemque tenendae salutis sempiternae viam et modum penitus pervertit. Atqui labes ista inde orta est, *quod multi, fingentes falsam felicitatis notionem, ad hunc errorem accommodarunt religionem Christianam.* Nam in iis regionibus, qui accenduntur nimio solis calore, propensi sunt homines, ut satis constat,

ad eum errorem, ut silentium, quietem, negotiorum cessationem et fugam finem bonorum habeant, ac tum demum ad veram felicitatem pervenisse sibi videantur, cum, neglectis rebus humanis, sensus et oculos a rebus externis et materiae contagione revocassent, et omnem naturae impetum penitus exstirpassent. Ad hanc felicitatis notionem cum coepissent multi immutare Christianae religionis praecepta, primo quidem *Eremitica*, quam dicunt, vita, et ex hac *monastica* orta est, quae brevi tempore pervagata omnem fere orbem Christianum, maxima mala intulit religioni et reipublicae. Corrupit enim *omnem doctrinam de moribus*, et exstinxit amorem, quem suadent praecepta Christi, quique totus cernitur in eo, ut pro salute generis humani vel gravissimi suscipiantur labores, et in augendis aliorum commodis omnis vita consumatur. Is error etiam *ad reliquas doctrinas* manavit, et infecit ea maxime, quae *de morte Christi, ac speranda per ipsum peccatorum venia*, inculcant libri sacri; nam Christo facile carebant, qui monastica sanctitate tantam praestantiam sibi consecuti videbantur, ut haberent adeo, quod ex istis suis divitiis, et ex illa bonorum operum copia, depromere possent ad levandam aliorum paupertatem. Inde porro profecta est *indulgentiarum nundinatio*,

et fluxerunt alia multa, quae iam copiosius persequi nihil attinet. Nos hoc exemplo uti voluimus eam ob causſam, ut intelligatur, cum felicitatis humanae notio tam ambigua ſit, ut ipſa terrarum adſpiratio, et coeli locorumque natura poſſit ingenium humanum in errores maximos inducere, rei Chriſtianae male conſuli ab his, qui *perſpicua* Chriſti praecepta tollant, et ab hac re *incerta* peti iubeant omnem Chriſtianae religionis doctrinam.

Sed nec *ad perſpicuitatem* vim tantam habet nova ratio demonſtrandi religionis doctrinam, quantam habet vulgaris illa, a librorum ſacrorum ſententiis omnia repetens. Solent enim initia, a quibus omnia ducenda ſunt, perſpicuitatem adiuvare tum, cum partim *ipſa magnam lucem habent*, et facile intelliguntur ab omnibus, qui ea vel audiunt, vel legunt; partim cum ad ea, quae ſunt ex iis demonſtranda, ita pertinent, ut *nexus*, per quem concluſiones ſunt ab ipſis ſuſpenſae, *apertus ſit minimeque impeditus*. Neutrum poteſt de notione felicitatis humanae dici, cum ponitur principii loco, a quo duci debeant religionis praecepta. Et illud quidem, hanc notionem ipſam non ſatis perſpicuam eſſe, iam elleciſſe nobis videmur. Quis enim dixerit, ſua ſe perſpicuitate commendare illud initium, de quo, quid ſit, non con-

venit inter hos, qui differunt? Demonſtravimus autem, etiam eruditis hominibus ambiguam viſam eſſe felicitatis humanae notionem; in qua etſi non ſolent ii haerere, qui in definiendo aut ſcholae, cui addicti ſunt, auctoritatem ſequuntur, aut ſunt patefactione eius rei qualicunque contenti: tamen omnes, qui non ſectantur eamdem disciplinam, ſtatim ipſam notionem vituperabunt, habebuntque aliam conceptam animo et comprehenſam. Ii vero, qui verum ſubtiliter videre non didicerunt, diſtinctam et plenam felicitatis notionem nec tenent, nec aſſequuntur, ſed quid bonum ſit, aut quid malum, ſenſu iudicant; cuius iudicium cum non ſemper incorruptum ſit, errores multi oriuntur, nec poſſunt vulgares opiniones de beata vita regulae loco eſſe, quae definiat, quid vel credendum ſit de religione, vel in omni vita ſequendum.

Ne quis autem exiſtimet, nos oratione noſtra nimis augere obſcuritatem huius notionis, quam ſupra ipſi ſimus definitione complexi: largiamur, ſatis perſpicue dici poſſe, qua in re poſita ſit humana felicitas. Iam enim demonſtrari poteſt, *nec doctrinas ipſas*, quas nova illa ratio duci iubet a felicitatis notione, *ita cum ea cohaerere, ut lucem accipiant maiorem, ſintque magis perſpicuae, quam eſſe ſolent, cum*

e libris ſacris eliciuntur. Nam ſive in illuſtranda *religione* utaris iſta ratione, ſive in tradendis *theologiae* praeceptis: laborabit disputatio multis difficultatibus, quas non habet eorum oratio, qui e libris ſacris omnia eliciunt. Ac primo quidem in rudem multitudinem et imperitam prorſus non cadit hoc genus ratiocinandi, quod autem in diſputando requirit, et mentem, litterarum ſtudio conformatam, quae videre poſſit, quid ex quavis re conſequatur, rerumque notiones formet diſtinctas. Nihil igitur eſt ad erudiendam maximam generis humani partem, quae disciplinae ſubtilitatem non aſſequitur, accommodatius, nihil utilius, *locis librorum ſacrorum*, diligenter decerptis ac perſpicuis. Hi enim, cum ſint breves, mediocri animadverſione adhibita, arripi poſſunt, maxime ab his, qui natura memores fuerint; atque ſic ſine magno labore discent homines, quae credenda proponit Chriſtiana religio. Ea vero pars, quae ad mores et vitam pertinet, imperitae multitudini optime inculcatur per γνώμας, e libris ſacris petitas. Nam tales ſententiae, praeterquam quod ob brevitatem facile diſcuntur, duabus de cauſſis utiliſſimae ſunt. Primo quidem propterea, quod ſunt *auctoritate divina munitae*, qua aegre caret humanus animus, qui vel mollitia quadam, vel blanditiis

praesentium voluptatum delinitus, ad deferendum officium saepe propensus est. Imperiti autem homines vel propterea sunt horum oraculorum severitate coercendi, quod, quid sibi prosit, ne iudicare quidem possunt, cum raro causas rerum earumque progressus cernant, occaecati autem cupiditate saepe non provideant, quas molestias ob brevem voluptatem excepturi sint. Deinde decerpta illa e libris sacris praecepta, habent etiam hoc, *ut in vita ipsa occurrant sua sponte, et ubique ac statim desiderata praesto sint*, quod in exercenda virtute maxime necessarium est. Quod enim *Demetrius Cynicus*, ut est apud *Senecam* de *Benef.* l. VII. c. 1. egregie dixit: *solet plus prodesse, si pauca praecepta sapientiae teneas, sed illa in promtu tibi et in usu sint, quam si multa quidem didiceris, sed illa non habeas ad manum;* id non modo in se verissimum est, verum etiam ostendit, quam utile sit, si per sententias breves, e libris sacris depromtas, ad virtutem conformetur indocta multitudo. Quamquam igitur largiri vellemus, a notione felicitatis humanae ad omnem religionis doctrinam perveniri posse: maxima tamen hominum pars non est ducenda per has ambages, sed multa commodius omnem institutionem a libris sacris petit, qui, ut omni tempore recte docuit ecclesia nostra, de rebus

ad salutem necessariis tam perspicue praecipiunt, ut ad omnium hominum intelligentiam sese demittant.

Ii vero, qui *doctam religionis cognitionem quaerunt*, et ad videndum verum exercitati sunt, videbunt quidem atque intelligent, quid e notione beatae vitae consequatur, et cum ea cohaereat; sed *perspicuitati* minime consulent, si librorum sacrorum doctrinam negligere, nec ex iis discere voluerint quidquam, nisi quod antea ipsi ratiocinando ex illa notione vel effecerint, vel facili negotio cum ea coniungere possint et copulare. Hoc enim manifestum est, scripturam tradere multa, quae cum notione felicitatis, qualem sibi humana cogitatio fingit, vel *pugnare* videntur, vel certe *parum cohaerere*, et ad tenendam salutem *minime necessaria* esse. In his igitur non possunt non haerere omnes, qui ab illa notione disputandi initia capiunt; aut enim, ad magnas et difficiles quaestiones delati, se non poterunt expedire; aut animadvertentes, doctrinas ex eo genere non posse cum decretis de felicitate conciliari, audacter vel ea tollent, quae in libris sacris diserte docentur, adeoque violabunt scripturae auctoritatem. Placet afferre exempla quaedam, quae hanc causam non male illustrabunt. Nihil est in omni religione

Chriſtiana, quod manifeſtius tradatur in libris ſacris, quam hoc, *Chriſtum eſſe Deum.* Ut enim eos locos iam praetermittam, in quibus ipſa Dei appellatio de eo uſurpatur, et qui non contemnendam vim habent: quis nescit, de dignitate ſumma filii, per quem pater condiderit omnia, conſervet, et adminiſtret, ita ſaepiſſime praecipi, ut multos locos miſere torquere ac pervertere debeant, qui divinam filio naturam eripiunt. Iam ſi quis hanc doctrinam vel *elicere* inſtituerit e notione felicitatis humanae, vel cum ea per ratiocinia *coniungere*, bone Deus, quot et quantas difficultates reperiet! Nam quae vulgo de ea re philoſophantur nonnulli, ea contemnuntur ab his ipſis, qui a notione beatae vitae omnia repetunt; nec videntur in eo male iudicare. Oſtendi enim facile poteſt, parum idoneas eſſe eas rationes, quibus nonnulli docere voluerunt, *eum*, qui ad veram felicitatem hominibus viam aperire vellet, *Deum eſſe debere.* Quamquam igitur hoc damus lubenter, etiam hanc rem cum ſalute noſtra ita coniunctam eſſe, ut in ea inſint magna ſapientiae divinae documenta; hoc tamen negamus, *nos* perſpicere poſſe conſilii divini vim, et putamus, qui voluerint in hac cauſſa perſpicue docere, eos huius rei notitiam e libris ſacris haurire debere, et fateri rationis huma-

nae imbecillitatem. Idem dici potest de his, quae satis manifeste *de vicaria morte Christi* docentur, cui, si Evangelicae veritati credimus, peccatorum veniam et sempiternae salutis spem debemus. E beatae vitae natura et notione qui omnia derivari iubent, ii non perspiciunt illius mortis necessitatem, et existimant, Deum deprecantibus peccatorum culpam et poenam, propter ipsam deprecationem, condonare; felicitatem autem alterius vitae ab anteacta in his terris effici, nec posse ab aliena virtute proficisci. Sic excluditur scripturae doctrina, et oritur obscura et spinosa quaestio de eo, *quomodo Deus benignum se peccatoribus praebere possit, et utrum id fieri queat sine victima idonea?* Sed hoc modo qui disputant, ii aut plane tollunt hanc librorum sacrorum doctrinam, quae tamen arx ipsa Christianae religionis esse videtur; aut, si eam retinent, *perspicuitatem* disputationis non conservant; contemnentes enim scripturae simplicitatem, per ingentes ambages a notione beatae vitae ad hanc doctrinam perveniunt, et argumentatione coguntur uti, quae multas habet ὑποψίας καὶ ἀντιλαβάς, omnemque rem facit impeditam. Si igitur verum est, haec et alia, quae de religione praecipit scriptura, difficulter *elici* posse ex illa beatae vitae notione, et philosophume-

nis ex eo genere plerumque deeſſe *perſpicuitatem;* manifeſtum eſſe putamus hoc, qui vitare velint magnae quaeſtionis obſcuritatem, eos acquieſcere in auctoritate librorum ſacrorum debere, et omni modo tenere hoc, cum omnis religio ſit ad hominum utilitatem comparata, etiam has partes cum noſtra felicitate coniunctas fore, quamquam id nondum ſatis aſſequatur humana mens. Nec vituperamus eorum diligentiam, qui de iſta coniunctione philoſophari inſtituunt; modo id fiat moderatius, ut partes illae, religioni propriae, *diſcantur e ſcriptura*, non autem eam ob cauſſam habeantur verae, vel varie mutentur, *quod nobis hoc vel illo modo cum humana felicitate cohaerere videntur.*

Atque hic lubet aliquid obiter addere, quod ab hoc loco non alienum eſt. Equidem haud ſcio, utrum *ingrati animi* culpa vacent, ut iam reliqua praetermittam, qui ad philoſophiae decreta conformandam eſſe, clamant, religionem Chriſtianam. Nam hoc ipſum, quod de rebus multis rectius praecipit philoſophia recentior, et antiquorum philoſophorum ſapientiam ſuperat, id ipſum, inquam, *libris ſacris debet*, e quibus multum lucis derivavit in ſuas tenebras, multaque didicit accuratius perſequi. Manifeſtum eſt vel ex iis, quae nos ſupra dis-

putavimus breviter, philosophos antiquos in finienda beatae vitae notione et acuminis, et diligentiae multum consumsisse, ac de ea re non male disputasse. Et tamen cum ventum esset ad doctrinas alias, quae *nobis* iam cum illa notione coniunctissimae videntur, postquam sapere didicimus e libris sacris, pueriliter errabant illa magna ingenia, suoque exemplo docent, quantopere perspicuitas desit eorum orationi, qui, scripturae opem contemnentes, de notione felicitatis humanae fidiculis quasi omnia exquirunt. Nihil nostris, ut hoc utar, videtur e notione felicitatis humanae rectius consequi, quam ea, quae de *Deo*, eiusque *providentia*, rerumque humanarum cura praecipit philosophia recentior. Secus videbatur *Ciceroni*, qui de finibus bonorum multa praeclare scripserat, et omnium disciplinarum ea de re placita probe didicerat; *perdifficilem et perobscuram quaestionem de natura Deorum dicit*, de *Nat. Deor. l. I. cap.* 1. et in pertractando hoc loco tantopere nutavit, ut, quam ipse sit sententiam amplexus, vix dicere possimus. Nos, quibus affulsit Christianae religionis lux divina, nihil rationi magis consentaneum esse, putamus, vel ad beatam vitam magis necessarium, doctrina *de animorum immortalitate*. Sed haec ipsa res antiquis philosophis tam incerta visa

est, ut *Plato* quidem optimam argumentationem compararet cum σχοίνῳ, hoc est, cum rate vili ac rumoltuaria, qua usus homo, dubitans, circumspectans, haesitans, multa adversa reverens, ut *Cicero* ait *Tuscul Quaest. l. I. c.* 30. vix posset διαπλεῦσαι τὸν βίον, εἰ μή τις δύναται, addit Simmias apud Platonem, ἀσφαλέστερον καὶ ἀκινδυνότερον, ἐπὶ βεβαιοτέρου ὀχήματος, ἢ λόγου θείου τινός, διαπορευθῆναι. *In Phaed. c.* 35. Nos igitur, quibus non modo in hac quaestione, quae est de animorum immortalitate, verum etiam in aliis multis, contigit λόγος θεῖος, divinum *oraculum*, sine quo cum veteribus in rebus gravissimis haesitaret nostra philosophia, imo, cum vix *elementa* omnis religionis illius oraculi beneficio intelligere coepimus, tantum vanitati et superbiae debimus, ut, praeter illa rudimenta, nihil amplius audire, nihil discere velimus? Eam igitur rationem, quae sine libris sacris in rebus maximis fere nihil vidit, nunc, cum vix per illos *sapere* coepit, *scripturae magistram* constituemus, et exilissimum, huius imbecillitatem rebus divinis novam lucem allaturam esse?

Sed revertamur in viam; restat enim ultima, eademque gravissima causa, e qua intelligitur, humanae felicitatis potionem in definienda religionis doctrina non posse scripturae

loco esse. Nam ea, quae supra de hac notione observavimus, satis demonstrant, nos *humanae salutis partes omnes nec perspicere, nec in hac rerum gravissimarum ignoratione perspicere posse.* Iam vero fatentur omnes, de eo, quod ad humanam felicitatem aliquam vim habeat, indicium ferre posse neminem, nisi qui sciat accurate, qualis ipsa sit, et quibus efficiatur partibus. Si igitur ostenderimus, nobis, in hac vita constitutis, multa deesse, quae ad notionem *plenam* salutis humanae requirantur: demonstratum erit etiam hoc, ex ista notione manca, et truncata quasi multis partibus, minime definiri posse, quid in religione vel amplectendum sit, vel ex ea tollendum; sed his, qui caute philosophentur, *e libris sacris* discendum esse, quae sint a Deo ad parandam generis humani felicitatem constituta, et firmiter credendum hoc, cum Deus nihil praescribat in religione sine felicitatis nostrae respectu, etiam ea, *quorum vim et rationes nondum assequatur humana mens*, hominum generi profutura esse. Sunt autem loci duo, unde possunt argumenta peti in hac causa; quos nunc deinceps aperiemus.

Primum igitur ostendimus supra, privatam singulorum felicitatem cum salute omnium ita coniunctam esse, ut quidquid omnibus prosit,

id etiam singulos invet, privata autem felicitas nulla sit, cum incipiat detrimentum inferre publicae. Et cum in civitate Dei ipsa sint omnia et pulcerrimo ordine devincta: hominum felicitatem etiam cohaerere, diximus, cum salute reliquarum partium, nec ab his separari posse genus humanum, quod in magna republica Dei suum tenet locum, per quem etiam cum reliquis generibus rerum creatarum, quas condidit Sapientia visque divina, cohaeret. Quae si vera sunt, sequitur, ut de humana felicitate recte iudicare nemo possit, *nisi qui sciat, quid et hominibus omnibus omni tempore prosit, et quomodo nostra felicitas ad incolumitatem et salutem reliquarum partium huius immensae civitatis divinae se habeat.* Hoc qui tenet, et plane perspicit, is demum sciscere potest et constituere, quomodo comparata esse debeat ea religio, quae ad efficiendam generis humani salutem satis sit idonea. Iam talis tamque late patens scientia cum in neminem cadat, praeter Deum, qui et ab initio constituit omnia, et omni tempore sapienter administrat: vanum profecto est et audax negotium, ad felicitatis notionem mancam, quam finxit insciția nostra, exigere velle religionem divinitus patefactam, e qua *discere* debeamus modoque, quid *Deo* visum fuerit, ac pie credere, quae ab eo con-

ſtituta ſint, profutura eſſe ſaluti omnium, et ad eam comparandam neceſſario requiri, quamvis conſilii divini amplitudinem et rationes minime capiant noſtrae mentis anguſtiae. Nam quae *nobis* praeſcripta eſt ſalutis tenendae ratio, ea debet ita comparata eſſe, ut *reliquis civitatis divinae partibus* non modo ſit accommodata, et cum earum incolumitate conſpiret, ſed proſit etiam, et ad communem felicitatem rerum creatarum omnium aliquid conferat. In cauſſa igitur tam gravi et late patente, ut in rebus omnibus aliis, ſumma ſapientia eſt, *credere Deo*, et omni ſtudio hoc agere, ut, quid conſtituerit Deus, et ab hominibus poſtulet, rite diſcamus e libris ſacris, eiusque legibus diligenter obſequamur. Hinc parum recte iudicant, qui, ut iam exempla quaedam afferamus, reprehendunt, et a religione Chriſtiana abeſſe iubent ea, quae *de angelis ac de diabolo* tradunt libri ſacri. Si enim verum eſt, genus humanum non omnem conſtituere civitatem Dei, ſed praeter nos adeſſe etiam alias mentium intelligentium claſſes: equidem non offendor, ſi libri ſacri ea de re aliquid praecipiunt, docentque, mentium quarundam in hoc orbe terrarum vim aliquam et efficaciam eſſe. Cum enim omnia bene cohaereant in civitate Dei, ſintque apta inter ſe et connexa: non video, quomodo, ſublata eſſi-

cacia earum mentium, quas ἀγγέλους appellat scripturae consuetudo, genus humanum cum reliquis mentibus intelligentibus copulatum sit? Nec illud male me habet, quod non satis intelligo, cur haec doctrina non possit abesse ab institutione eo, quae tota refertur ad humanam felicitatem? Nam hoc ipso, quod Deo placuit, de his mentibus nonnulla praecipere in libris sacris, adducor, ut credam, eius rei notitiam non posse vanam et inutilem esse, quamquam *ego* non satis assequar eius vim. Atque hoc modo, putaverim, sentiendum esse etiam de iis, quae de *persona Christi*, *eiusque dignitate et imperio* tradit scriptura. Etsi enim in hac gravi religionis parte insunt multa, quae paullo remotiora videntur a felicitatis humanae ratione, qualis multorum opinione fingitur: tamen, de librorum sacrorum doctrina aliquid detrahere, vel propterea videtur impium, quod diserte perhibent, imperium Christi *late patere*, et omnem esse rerum universitatem complexum; eius vero dignitatem esse tantam, ut non modo sit auctor rerum omnium, et omnia per ipsum condita, verum etiam adorandus et colendus ab omnibus; conf. Ioh. I, 1–3. XVII, 5. Matth. XXVIII, 18. 1 Cor. XV, 24–28. Eph. I, 20–23. Col. I, 16–18. Iam quoniam causa Christi, eiusque imperium tam late patere dicun-

tur, ut sint cum hoc universo eiusque salute coniuncta: facile intelligitur, notionem felicitatis humanae, ab hac *nostra* conditione ductam, minime sufficere ad definienda ea, quae sint de Christo eiusque dignitate credenda. Discamus potius e libris sacris, et efficiamus per interpretationem doctam atque legitimam, quid in re tam gravi et ampla credendum sit. Si enim tam late patent, quae Deus per filium suum gerit, ut non modo ad genus humanum, quamquam ad hoc maxime, verum etiam ad res reliquas pertineant, sintque copulata cum universa rerum omnium compage: quis audeat angustam illam et ambiguam humanae felicitatis notionem regulam ponere, ad quam sit decernendum, quis sit Christus, quid egerit, et quid de ipso sperandam sit. — Etiam is locus sic illustrari potest, qui est *de morte Christi*, quam *fide* nos iubet amplecti scriptura, et hoc modo concipere sempiternae salutis spem. Non ignoro, hanc totam rem difficultates habere graves et multas; nec enim assequitur caussas oeconomiae tam mirabilis humana mens. Sed cum nemo intelligat, *quid Deus debeat saluti mentium omnium:* angelos quidem mirantes hanc rem, et diligenter scrutantes, inducit scriptura 1 Petr. I, 12. cumque nondum sit ad finem perductum opus illud ingens, quod per

Christum coepit perficere divina benignitas: qui tu es, homo, quae est ingenii tui vis, ut ratiunculis quibusdam usus, in tali re tamque gravi, decernere audeas, quid sapientia Dei sequi debuerit et constituere?

Veniamus, ut supra proposuimus, ad locum alterum, de quo aliquid dicendum est. Notio felicitatis humanae etiam eam ob caussam non sufficit ad religionis placita rite definienda, *quod ab ea parte, quae ad vitam futuram pertinet, prorsus manca est et imperfecta.* Docuimus enim supra, sine incrementis, quorum perpetuitas per omnem aeternitatem duret, felicitatem humanam esse nullam. Observavimus etiam, ista incrementa pendere a nexu novo, ab alia quadam statione, in qua sit homo quisque post mortem collocandus, ut proficiendi in quavis re opportunitatem habeat, novasque dotes acquirendi. Haec omnia quamquam videmus non posse abesse a notione felicitatis humanae; nemo tamen dixerit, quae tandem sit nova illa beatiorque conditio, et quibus in rebus posita sint illa perfectionis nostrae incrementa. Harum enim rerum propterea nulla potest notio esse, quod, quae cogitamus omnia, proficiscuntur a sensibus, per quos nonnisi eorum notitiam accipimus, quae ad *hanc* vitam pertinent. Nec est, quod quis

dicat, ad illustrandam e notione beatae vitae doctrinam christianam minime requiri istam futurae vitae cognitionem, quae ad nos nondum pertineat. In promtu enim est, hanc vitam cum ea, quam post mortem corporis speramus, ita cohaerere, ut omnia, quae sint ab homine suscepta, gesta et peracta, vim aliquam habeant ad sortem et conditionem futuram, quae cuique debet contingere. Futura enim vita huic coeptae perpetua continuatio est, nec mors ita mutat animi naturam, ut repente evanescant ac deleantur omnes facultates, studio et exercitatione contractae. Religio itaque, cuius utilitas minime cohibenda est huius vitae brevitate, habeat, necesse est, *naturam disciplinae*, qua conformetur animus ad perfectioris ac sempiternae vitae cursum, et ita praeparetur, ut ad novam stationem delatus, habeat, secumque deportet, quibus non poterit carere. Iam cum futura hominum conditio nobis prorsus obscura sit: nec illud a nobis decerni potest, quomodo comparata esse deceat disciplina, qua simus ad eam praeparandi. Ut enim quodvis vitae genus singularem requirit institutionem; ii vero, qui educandi pueros et erudiendi officium suscepere, tum demum sapere putantur, et officio satisfacere, cum totius vitae cursum, quem quisque debet peragere, prospiciunt, ac disci-

plina sua res necessarias praeparant ad vitam rite degendam: ita etiam religio, praesertim Christiana, quae omnem hominis mentem ab hac vita abducit, et ad futuram convertit, eam debet habere vim, ut nihil vel ad credendum, vel ad agendum proponat, nisi quod etiam post mortem aliquo modo prosit, atque sic rebus praesentibus adiungat et annectat futuras. Inde sponte sequitur, ut, praeter Deum, nemo possit religionem constituere, ac desinire, quid vel inesse in ea debeat, vel ex ea removeri. Ipse enim solus optime novit stationem et locum, quem tenere post hanc vitam debeat genus humanum, et praesidia intelligit, quibus sit ad eam conditionem rite praeparandum. Ridere solemus, cum pueros omnium rerum rudes, interdum reprehendere videmus magistri disciplinam, quod ipsis obscura saepe est eorum utilitas, quae vel discenda proponuntur, vel exercenda sunt studiosius. Qui si hoc sibi arrogant, ut magistro etiam repugnent, et opinentur, se sibi posse rectius consulere, contemnuntur etiam a nobis, dignique putantur, quorum petulantia severius coerceatur. Cuius petulantiae culpa quomodo nos vacabimus, si ausi fuerimus, supremi patris disciplinam propterea vituperare, quod multa videntur inscitiae nostrae superflua, multaque eo modo con-

ſtituta, ut, quomodo cum utilitate noſtra cohaereant, nondum intelligamus. Si patribus humanis etiam in iis obtemperandum eſſe putavimus, quorum rationes non poteramus perſpicere, quod uſu didiceramus, ab ipſorum amore nihil poſſe proficiſci, niſi quod ad utilitatem noſtram pertineat: *ἐ πολλῷ μᾶλλον ὑποτασσόμεθα τῷ πατρὶ τῶν πνευμάτων, καὶ ζήσομεν;*

Hic locus quam late pateat, et quantam hac in re vim habeat, facile, putamus, intelligi poſſe. Cum enim omnis religio, ut ſupra dedimus, ad hominis ſalutem comparata eſſe debeat, eaque ſalus non tantum ſit e conditione brevitateque huius vitae aeſtimanda, ſed etiam, et quidem maxime, e vita futura: quis non videt, in omni religione habendam eſſe rationem huius ipſius vitae, quam a morte corporis exſpectamus? Unde fit, ut nos, cum intelligamus futurae conditionis noſtrae naturam, minime poſſimus e notione felicitatis, ad huius vitae naturam accommodata, eaque saepe ſatis ambigua, decernere, quid religio debeat continere. Discendum eſt a Deo, hoc eſt, e libris ſacris efficiendum, quales eſſe debeant, et quo animo praediti, qui non modo hic beate vivere, verum etiam ad percipiendam ſempiternam felicitatem apti eſſe voluerint. Nullum igitur eſt

caput, Chriſtianae religioni proprium, de quo ſine errandi periculo, e notione felicitatis humanae, fieri poſſit iudicium, cum in tanta futurae vitae ignoratione ne ſciamus quidem, quid nobis vere profit, vel quid ad ſalutem noſtram neceſſario requiratur. Eſt etiam omnis religionis in hac vita cognitio tam imperfecta, ut, verbo Dei credere, et uberiorem declarationem eorum, quae nobis in rebus divinis difficilia videntur, poſt mortem exſpectare, a viri ſapientis dignitate minime ſit alienum. Atque hac in re magnopere nos adiuvat *Pauli*, apoſtoli, auctoritas, qui 1 Cor. XIII, 8–12. prorſus hoc modo diſputat de omni rerum divinarum ſcientia; cuius oraculo, cum ad hanc cauſſam totum pertineat, lubet iam huic noſtrae commentationi finem imponere. Dixerat igitur in antegreſſis apoſtolus, *amorem* praeferendum eſſe non modo donis illis Spiritus ſancti, quorum tanta vis erat in eccleſia prima ad commovendam hominum admirationem, ut eſſent ſenſibilis quidam religionis ornatus: verum etiam τῇ γνώσει, hoc eſt, *uberiori religionis cognitioni*, quae et ipſa aliquando ſit finem habitura. Adiungit deinde cauſſas, cur etiam uberior rerum divinarum ſcientia, et poſtponenda caritati ſit, et cum hac vita finem habitura. Ex μέρους γὰρ γινώσκομεν, ait v. 9. καὶ ἐκ

μέρους προφητεύομεν. *Nam imperfecta sunt, quae scimus, imperfecta, quae docemus.* Negas itaque, ab homine iam omnia cognosci, quae ad religionem pertineant; partes quasdam, et universae doctrinae nonnisi fragmenta ab homine intelligi docet. Hoc modo formulam ἐκ μέρους dixerat cap. XII, 27. de membris, quae singula nondum constituunt corpus integrum; et Rom. XV, 15. ἀπὸ μέρους de scriptione imperfecta usurpat, quae tantum sit elaborata crasso filto, et admonendi caussa confecta. Unde etiam τὸ τέλειον distinguit ab hac *mutila religionis cognitione* v. 10. ὅταν δὲ ἔλθῃ τὸ τέλειον, τότε τὸ ἐκ μέρους καταργηθήσεται, *cum plenior nobis et absoluta cognitio contigerit, finem habebit haec manca et imperfecta.* Docet universa Paulli oratio, τὸ τέλειον, eam scientiam indicare, *quae sit in beatiori vita speranda.* Etsi enim alibi loquitur de his, qui iam in hac vita sint τέλειοι, hoc est, *uberiori religionis scientia instructi*, ut cap. II, 6. ubi σοφίαν ἐν τοῖς τελείοις memorat, et cap. XIV, 20. ubi Corinthios iubet ταῖς φρεσὶ τελείους γίνεσθαι: tamen ea, quae huic nostro loco subiicit v. 12. satis demonstrant, τὸ τέλειον hic referri *ad meliorem vitam*, quam ubique spectare iubet apostolus, et quae etiam allatura esset maiorem cognitionis lucem.

Iam v. 11. docet, quae ſit, ſi cognitionem ſpectes, huius vitae ad futuram ratio. Hic *infantibus* nos eſſe ſimiles obſervat; et quantum ſuperetur infantis inſcitia ab adulti viri prudentia: tantum ſuperari, demonſtrat, notitiam, quae nunc ſit de religione, a praeſtantia eius cognitionis, quam futura vita polliceatur. Sequitur autem in hac re notam librorum ſacrorum imaginem, quam paſſim adhibent etiam ſcriptores alii, ut *rudes et imperitos*, qui in elementis haerent, cum *infantibus* comparet. Inde etiam ſupra c. III, 2. memoraverat νηπίους ἐν χριστῷ, *tirones Chriſtianae religionis*, fere ut Dominus ipſe μικροὺς appellat tales homines Matth. XVIII, 10. et Petrus ἀρτιγέννητα βρέφη, 1 Petr. II, 2. Aliena autem eſt a natura huius loci *Clementis Alexandrini* expoſitio, qui in *Paedagog.* l. I. c. 6. obſervat: νηπίους μὲν τοὺς ἐν νόμῳ λέγει, οἱ τῷ φόβῳ, καθάπερ οἱ παῖδες τοῖς μορμολυκείοις, ἐκταράττονται· ἄνδρας δὲ τοὺς Λόγῳ πειθηνίους καὶ αὐτεξουσίους κέκληκεν. Etſi enim ab uſu Paullino haec minime abhorrent, ut *Clemens* ipſe bene docuit: tamen eam interpretationem non admittit verſiculus, qui ſequitur, et qui tam manifeſte ad vitam poſt mortem pertinet, ut ea de re vix dubitari poſſit. In hac enim vita, ait v. 12. omnia cerni a nobis

obſcurius, δι' ἐσόπτρου ἐν αἰνίγματι, *veluti per ſpecularia, quae offendant oculorum aciem, et obſtent, quominus omnia propius inſpicere, et accuratius contueri poſſimus.* Ita fere *Plutarchus* de *Iſid.* et *Oſir.* p. 382. philoſophos, ait, nihil neglexiſſe, ἐν ἀψύχοις καὶ ἀσωμάτοις πράγμασιν αἴνιγμα τῆς θείας κατιδόντες, animalia autem Numinis ἐναργέστερα ἔσοπτρα appellat. Fatetur itaque Paullus, *omnem religionis ſcientiam nunc quidem imperfectam et obſcuram eſſe; quae vero iam male cohaerere videantur, ſintque multis difficultatibus impedita, ea aliquando fore clariora;* τότε δὲ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, quae eſt Hebraica deſcriptio *familiaritatis, conſuetudinis* et *notitiae*, cui ad perfectionem nihil deſit. Hoc nec *Clemens* diſſimulat *de futura vita* dici, qui eo loco, quem iam attulimus, p. 120. obſervat: τὴν ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι ἐναργῆ ἀποκάλυψιν, ῥήματος δίκην, πρόσωπον πρὸς πρόσωπον αἰνίττεσθαι δύνασθαι. Sumus igitur, ut is apoſtolus fatetur, qui cognitionis ubertate et copia cedebat nemini, et qui a Spiritu ipſo didicerat, ἀ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη, cap. II, 9. ſumus, inquam, dum hic vivimus, cum *pueris* comparandi, qui vix prima elementa tenent, et qui nonniſi obſcure cernunt, quae adulti

clare cognoſcent, ac plane perſpicient. Caveamus itaque, ne, contemnentes inſtitutionem disciplinamque divinam, ſuperbiamus puerilibus rudimentis, vel ea nobis arrogemus, quae non cadunt in infantes et discipulos, ſed aetatis et ſcientiae maturitatem requirunt ab hac vita alienam.

12.

Utrum et quando possint oratores divini in administrando munere suo demittere se ad vanas hominum opiniones.

In concertationibus iis, quae sunt nuper de doctrinis Christianae religionis exortae, eamque vim habuere, ut multi cogitarent de corrigenda vulgari disciplina theologica, putarentque, non paucas esse Theologorum opiniones depellendas, multaque resingenda, quae sint hominum errore religioni admista; in his igitur concertationibus saepe est ab iis, qui emendationis necessitatem demonstrabant, disputatum de Christi et apostolorum in docendo prudentia, quae sese demiserit ad aequalium imbecillitatem, et in tradenda veritate saepe se ad opiniones auditorum, Iudaeorum maxime, accommodaverit. Etenim quod oratores divini in docenda religione Christiana, quae celeriter spargenda erat per orbem terrarum, et incul-

canda quam plurimis, ſecuti ſint hoc, ut cum Iudaeorum, tum reliquorum hominum opinionibus multis parcerent, haberentque ſatis, ſi, in tanta praeceptionis brevitate et feſtinatione, meliorem doctrinam ita proponerent, ut omnibus placere poſſet, quamquam hoc modo traheret aliquem ex illo tempore, vulgaribusque hominum decretis, colorem: in eo multis non modo recte videbantur egiſſe Chriſtus et apoſtoli, atque prudenter; verum etiam neceſſitati conceſſiſſe, cum pauciſſimis tradi potuiſſet Chriſtianae religionis veritas, ſi nonniſi in mentibus puris deponenda fuiſſet, nec ulla vulgarium errorum labe contaminatis. Receptum vero docendi genus qui tuebantur apud nos, negabantque, formulam vulgarem emendationis indigere, cum viderent, ſi ſemel admittatur hoc, Chriſtum et apoſtolos in docendo ſaepe ſecutos eſſe popularium opiniones, circumcidi facile et amputari multa poſſe, quae ſint ad Chriſtianae religionis doctrinam referenda: omni ſtudio efficere voluerunt hoc, eam diſputandi rationem, quae componat ſe ad auditorum errores, prorſus alienam eſſe ab oratoris divini dignitate, et vix vacare fraudis et mendacii culpa. Nam in eo potiſſimum cerni, dicebant, oratoris divini munus, ut omnem erroris vanitatem e religione tollat, et ex hominum ani-

mis penitus evellat; ſcripturam verò, ſi ſit fontis loco habenda, a quo manare debeat omnis de religione notitia, puram eſſe debere et integram; quae ſi ſit illa *συγκατάβασα* corrupta, et opiniones multas contineat, quas olim toleraverit Chriſti et apoſtolorum ambitioſa docendi ratio; vehementer falli eos, qui normae vim ei tribuant, et arbitrentur, ad eius auctoritatem in quavis re conferre debere ſeſe religionis Chriſtianae magiſtros. In hac igitur cauſſa cum utraque pars probabili oratione utatur, ſitque res ipſa ita comparata, ut ad religionis ſummam pertineat, et pateat latiſſime, ſaepe ita diſputatum eſt, ut multum contentionis et iracundiae haberet pugnantium ſermo, earum vero notionum, ad quas tandem omnia redeunt in hac cauſſa, vis atque natura plerumque nonniſi leviter declararetur ſatisque perfunctorie. Nec diſſimulamus, nos, ex quo tempore videre coepimus, quam gravis ſit ea quaeſtio ad iudicandam religionem, et quantum habeat obſcuritatis, hac de re cogitaſſe paullo diligentius, ſi forte inveniremus normam aliquam regulamque certam, qua poſſit interpres uti in legendis et tractandis libris ſacris, et in elicienda e ſermonibus Domini et apoſtolorum religionis doctrina. Eſt enim periculum, ne aut, neglecta hac re, inſtitutioni divinae ali-

quid detrahamus, aut opinionibus humanis nimium tribuamus, et anili ſuperſtitione obligemur. Et quamquam ſcimus, hoc argumentum occupatum ab aliis eſſe: placuit tamen, id noſtro modo ediſſerere, quoniam utile putamus, et ad videndum verum efficax, ſi loci obſcuriores tractentur ſaepius, et perpurgentur varie. Nec deterruit nos rei difficultas; partim, quod exiſtimabamus, in re tam obſcura excuſatius peccari; partim, quod noſtri errores habere poſſe videbantur aliquam vim, ad excitandos homines doctiores, ut hunc locum diligentius explicent, quam adhuc factum eſt. Quoniam vero disputationis de re graviſſima ubertas et copia in unius libelli academici anguſtias non poteſt compingi: conſtituimus, hac ſcriptione tractationi ipſi praeludere quaſi, et ea tantum perſequi, *quae praemittenda videntur ex hiſtoria veteris eccleſiae*, cum quaeritur, *utrum et quando poſſint oratores divini in adminiſtrando munere ſuo demittere ſe ad vanas hominum opiniones.* Eſt enim minime inutile cum ad doctrinae copiam, tum ad rei ipſius intelligentiam, noſſe eccleſiae veteris de hoc argumento ſententiam, ac veluti praeiudicium. Repetemus igitur iam e monimentis antiquis ea, quae ad hanc cauſſam maxime videbantur pertinere, ut intelligatur, quid theologi vetuſtiſſimi de

hoc genere, οἰκονομικῶς docendi, praeceperint. Alio autem tempore diſſeremus paullo uberius et conquiſitius de eo, *quid ſit hoc ipſum, demittere ſeſe et accommodare ad hominum opiniones.* Nam cum in quavis re, quae diſtributius tractatur, cavendum eſt, ne incerta vagetur oratio, vel a notionibus obſcuris proficiſcatur: tum in hac maxime, cuius perſpicuitas omnis pendet a diligentiori notionum patefactione, ſine qua omnia ſunt ambigua. Alterum igitur, quod nobis propoſitum eſt, cernitur in eo, ut συγκαταβάσεως univerſe conſideratae, notionem formemus diſtinctam ac plenam, eamque accurate ſeparemus a rebus aliis, quae, cum ſaepe non ſatis ſubtiliter eſſent ab ea ſeiunctae, fecerunt facile, ut omnis diſputatio hac de re fieret ambigua, et haberet multas ὑποψίας. Haec ubi perſpicue a nobis declarata erunt, ſperamus, fore, ut aditus patefactus, et via quaſi munita ſit ad iudicium de eo, *utrum aliena ſit iſta facilitas in ferendis aliorum opinionibus ab oratoris divini perſona*, atque, ſi poteſt ea uti, *quando et qua lege id rite poſſit fieri?* Atque hanc tertiam quaeſtionis partem ultimus libellus complectetur, in quo eam, accommodate ad libros novi teſtamenti, copioſius perſequemur.

Ut autem intelligi poſſit, *quomodo hac de re praeceperint veteris eccleſiae magiſtri:* ante omnia paucis aperiendum eſt, *quam ipſi tenuerint in tradenda, demonſtranda et vindicanda religionis doctrina rationem.* Etenim quem modum probabant ipſi, putabantque legitimum; eum nec abhorrere, cenſebant, ab oratoribus divinis, et ſaepe librorum ſacrorum exemplis vel illuſtrabant disputandi, quam ipſi ſequebantur, conſuetudinem, vel defendebant ac tuebantur. Cum igitur ad rempublicam Chriſtianam ſe applicuiſſent homines eruditi, et Graecis imbuti litteris praeter philoſophiam omnem etiam *eas artes* ſecum attulerunt, quibus, ut olim profitebantur Sophiſtae, *cauſſa inferior dicendo fieri ſuperior poſſet, et de quavis re in utramque partem ſubtiliter disputari.* Uti enim oratoribus Graecis et Romanis non hoc propoſitum erat, ut, quid in quavis re verum ſit, diſtincte exponerent, et perſpicue illuſtrarent; ſed hoc, ut eorum, qui audirent, ſic afficerentur animi et commoverentur, uti eos affici commoverique vellent [1]); qua in re adhibere ſolebant artes multas, et ad opiniones ſenſumque popularem deſcendere: ita et patres eccleſiae ii, qui litteras didicerant, cum Chriſtianae religionis patro-

1) Conf. Cic. de Orator. l. II. c. 7.

cinium ſuſcepiſſent, et adverſus alios diſſererent, uſurparunt fere vel declamatorium illud dicendi genus Graeculorum Sophiſtarumque, qui facile in utramque partem quavis de re verba facere ſolebant in ſchola; vel forenſem illam et contentioſam dictionem, quae tota erat ad vincendum comparata, et ad ornandam cauſam ſuam quidlibet arripiebat [2]). Haec diſputandi ratio a doctoribus antiquae eccleſiae maxime iis in libris adhibita eſt, qui ſunt adverſus *Graecos et Romanos* pro Chriſtiana religione, vel adverſus *haereticos* de religionis integritate ſcripti. In his non ſemper argumentis idoneis pugnant eccleſiae patres, ſed ſaepe diſſerunt fraudulenter et captioſe; in partes ſuas utcunque trahunt antiquorum philoſophorum, atque omnino exterorum ſcriptorum, decreta; locis ambiguis, e Platonicorum maxime libris decerptis, notiones alienas, e Chriſtiana religione petitas, obtrudunt; ſpuriorum adeo librorum auctoritatibus abutuntur ad convincendos ac perturbandos adverſarios; atque omnino ſcripturae doctrinam ita refingunt, ut iam olim a ſapientiſſimis ſcriptoribus Graecis expoſita videretur et confirmata. Nec dici poteſt, imprudenter lapſos in hac re eſſe ſcriptores eccleſiaſticos, eam-

2) Plura de hac arte diſputat Clemens Alex. Strom. I. I. c. 8—10. p. 339 ſqq.

que dicendi scribendique rationem ab ipsorum insscitia profectam esse. Ut enim illud praetermittam, nonnullorum, velut *Origenis*, *Eusebii*, *Apollinaris* tantam doctrinam fuisse, ut insscitiae culpa vix in eos cadat: passim falli sunt ipsi, se *consulto* hoc modo disputare, eamque consuetudinem nihil habere, quod reprehendi possit.

Haec quam vera sint, vel unus potest *Hieronymi* locus demonstrare, nobilis ille, et prolatus iam a *Dallaeo*, *de vero usu patrum* l. 1. c. 6. p. 159. Is locus quoniam hac de re praeclare agit, et eruditissimos homines antiquae ecclesiae memorat, hic minime praetermittendus videbatur, sed, nonnullis observatiunculis illustratus, testimonii loco ponendus. Cum enim *Hieronymus* accepisset, eos libros, quos adversus *Iovinianum* scripsisset, in varias multorum reprehensiones incurrisse, quod nimium favere viderentur eorum opinionibus, qui caelibatum matrimonio longe praeferendum existimarent: *Pammachio* se purgat per copiosas litteras, in quibus ostendit, contra adversarium pugnanti licere artibus uti, et differendi genere fallaci et contentioso. *Nolo*, inquit, (Opp. Tom. 11. p. 75. *Ed. Francof.*) *tale certamen ideas, in quo tantum te protegas, et torpente dextra, sinistra clypeum circumferas. Aut feriendum tibi*

eſt, aut cadendum. Non poſſum te exiſtimare victorem, niſi adverſarium viderо trucidatum. Legimus, o eruditiſſimi viri, in ſcholis pariter, et Ariſtotelea *illa de* Gorgiae *fontibus manantia ſimul didicimus, plura eſſe videlicet genera dicendi, et inter cetera aliud eſſe γυμναστικῶς ſcribere, aliud δογματικῶς.* — Facile intelligitur, *Ariſtotelea*, quae tangit *Hieronymus*, eſſe libros illos, quos *de reprehenſione Sophiſtarum* ſcripſit is philoſophus, et quorum *primus* tractat artes, ac ſubtiliter exponit, quibus *Sophiſtae* ſolebant olim γοητεύειν καὶ ταράττειν eos, quibuscum disputabant. In primis autem alludere videtur noſter ad iſtorum librorum locum eum, qui eſt l. 1. c. 2. ubi quatuor λόγων γένη, ſeu *genera diſſerendi* diſtinguit *Ariſtoteles*, quorum eſt ultimum τὸ ἐριστικὸν, ſeu ἀγωνιστικὸν, quod probabilia ſectatur, et omnia ſtudioſe conquirit, quae ad convincendum adverſarium et quovis modo opprimendum pertinere poſſint; qua de re cum in omni libro fuſe praecipitur, tum perſpicue c. 10. Quod vero *de Gorgiae fontibus manaſſe Hieronymus*, ait, illa *Ariſtotelis* praecepta: eius rei cauſſa videtur haec eſſe, quod *Gorgias Leontinus* non modo antiquiſſimus fere Rhetor fuit, plurimumque his artibus potuit; vid. *Cicero de Finibus* l. 11. c. 1. verum etiam conſcripſit, ut in *Bruto* c. 12. me-

morat idem *Cicero*, rerum singularum laudationes vituperationesque, quod indicabat, hoc oratoris esse maxime proprium, *rem augere posse laudando, vituperandoque rursus affligere.* His igitur artibus si quis utatur, eum γυμναστικῶς scribere, ait *Hieronymus*, et in usurpando hoc nomine sequitur consuetudinem loquendi vetustam, quae de hoc genere concertationis usurpabat similes formulas. Socrates apud *Platonem* in *Theaet.* p. 124. de suo pugnandi adversus Sophistas studio differens: οὕτω τις ἔρως δεινὸς, inquit, ἐνδέδυκε τῆς περὶ ταῦτα γυμνασίας. Unde etiam *Platonis* dialogi ii, in quibus hoc modo disputans inducitur Socrates, a scriptoribus vetustis appellantur γυμναστικοὶ [3]). *Clemens Alexandrinus Strom.* l. 1. p. 339. Ed. Pott. dialecticen dicit γύμνασμα φιλοσόφου περὶ τὸ ἔνδοξον, ἀντιλογικῆς ἕνεκεν δυνάμεως. Disputationes ex eo genere etiam λόγων ἀγῶνας simili formula appellant veteres; vid. *Diogenes Laert.* l. IX. segm. 52. 53. et *Suidas* in verbo *Protagoras.* — Sed revertamur ad *Hieronymi* orationem, qui illam γυμναστικῶς differendi rationem ita fere describit: *in priori vagam esse disputationem* (didicimus), *et adversario respon-*

3) Albinus Introduct. in Platonis dialog. apud Fabricium Bibl. Graec. Tom. II. p. 46. ὁ δὲ ῥητορικὸς (sc. διαλογοὶ) πρὸς γυμνασίας, καὶ ἀγῶνα, καὶ ἔλεγχον τοῦ φεύδους

dentem; nunc haec, nunc illa proponere; argumentari, ut libet; aliud loqui, aliud agere; panem, ut dicitur, oſtendere, lapidem tenere. In ſequenti autem aperta frons, et, ut ita dicam, ingenuitas neceſſaria eſt. Aliud eſt quaerere, aliud definire; in altero pugnandum, in altero docendum eſt. Tu me ſtantem in praelio, et de vita periclitantem, ſtudioſus magiſter doceas: „noli ex obliquo, et unde non puta„ris, vulnus inferre; directo percute gladio; „turpe tibi eſt, hoſtem dolis ferire, non viri„bus.“ — *Quaſi non et haec ars ſumma pugnantium ſit, alibi minari, alibi percutere.* Hic igitur manifeſte demonſtrat *Hieronymus*, contra adverſarium ſubdole et captioſe disputandum eſſe. Eſt autem eius oratio paullo obſcurior; partim quod *Pammachius* ſubito loquens inducitur, et admonens quaſi, ne fraudibus utatur in pugna *Hieronymus;* partim quod non ſatis intelligi poteſt, cur *ſtudioſus* magiſter appelletur *Pammachius*. Fuerunt, qui *otioſus* legi debere coniicerent. Mihi *ſtudiorum magiſter* ſcripſiſſe videtur *Hieronymus*, et imaginem a *laniſtis veterum* duxiſſe, qui tirones erudiebant, ac dicebantur *magiſtri;* vid. *Cicero de Orator.* l. III. c. 25. *Studia*, tironis *exercitia* dixit *Hieronymus*, et finxit *Pammachium*, magiſtri ſeu laniſtae perſona indutum, et adſtantem ſibi,

dicentemque illa: *directo percute gladio.* — Pergit autem hoc fere modo: *legite, obſecro vos, Demoſthenem, legite Tullium; ac ne forſitan rhetores vobis displiceant, quorum artis eſt, veriſimilia magis, quam vera dicere: legite Platonem, Theophraſtum, Xenophontem, Ariſtotelem et reliquos, qui, de Socratis fonte manantes, diverſis cucurrere rivulis. Quid in illis apertum, quid ſimplex eſt? Quae verba non ſenſuum? Qui ſenſus non victoriae?* Origenes, Methodius, Euſebius, Apollinaris *multis verſuum millibus ſcribunt adverſus Celſum et Porphyrium. Conſiderate, quibus argumentis, et quam* lubricis problematibus *diaboli ſpiritu contexta ſubvertant. Et quia interdum coguntur loqui,* non quod ſentiunt, ſed quod neceſſe eſt: *dicunt adverſus ea, quae dicunt gentiles.* (Non veram exponunt animi ſententiam, ſed ſatis habent, gentilium disputationem aliquo modo confutaſſe) *Tacco de Latinis ſcriptoribus,* Tertulliano, Cypriano, Minutio, Victorino, Lactantio, Hilario, *ne non tam me defendiſſe, quam alios videar accuſaſſe.* — Hactenus ille. Nos hunc locum, quantumvis longiorem, protulimus propterea, quod de genere differendi, quo uſi ſunt patres eccleſiaſtici adverſus vituperatores Chriſtianae religionis aliosque, quos confutare inſtituiſſent, ita prae-

cipit, ut e tota antiquitate eccleſiaſtica nihil ſuperſit, quod eam rem accuratius apertiusque declaret. Ac profecto facile intelligent, qui vel primis labris, ut aiunt, deguſtaverint ſcripta patrum, *Hieronymum* tam candide, tamque vere locutum eſſe, ut de illo diſputandi artificio rectius diſſerere nemo poſſit. Etſi igitur *Clemens Strom.* l. 1. p. 339. comtemnere videtur et improbare fallax illud et aſtutum pugnandi genus, quod *Hieronymus* hoc loco doctiſſimis eccleſiae ſcriptoribus tribuit: tamen in iis ipſis Stromatum libris ubique regnat haec ipſa ratio, nec eſt ullus alius in arripiendis et torquendis locis philoſophorum Graecorum vel audacior *Clemente*, vel diligentior. *Athanaſius* in libello *de ſe...*. *Dionyſ. contra Arianos* p. 552 Ed. Col. hoc genus loquendi comparat cum *prudentia agricolae*, qui, ſi varias arbores pro indolis discrepantia varie tractet, non vituperandus ſit, ſed ob multiplicem ſollertiam in admiratione eſſe debeat; et in eodem libello p. 555 probi doctique magiſtri eſſe docet, in tradenda ſapientia omnia exigere et flectere ad mores diſcipulorum, eosque ſenſim ad maiora in quavis re producere. Ex his igitur manifeſtum eſſe putamus hoc, patres eccleſiae in diſputationibus ſuis, maxime in his, quas adverſus exteros et alienos a fide infli-

tuiſſent, eum tenuiſſe modum, ut ſibi, putarent, quidvis licere, nec ea ſemper dicerent, quae vera haberent ipſi, ſed quae adverſariis accommodata eſſent, et ad conturbandos convincendosque alios aliquid valerent. In quo ſibi et prudenter facere videbantur, et ad utilitatem eccleſiae accommodate.

Hanc igitur artem, quae componit ſe et flectit ad aliorum opiniones, ac circumſpicit omnia, quibus vel in partes ſuas pertrahere diſſentientes, vel convincere poſſit, et ad ſilentium redigere, *etiam Chriſto et apoſtolis ſolebant tribuere plurimi patres eccleſiae veteris*, et exiſtimare, eam a perſona oratoris divini minime alienam eſſe. Cum autem duplex ſit huius συγκαταβάσεως genus, alterum eius, qui *docens* captat aliorum favorem, et omnia prudenter ita exponit, ut auditorum opinionibus ſaepe parcat, nec ea tradat, quibus nimis offendi poſſent; alterum vero eorum, qui *in omni actione ac vita* ſeſe demittunt ad ingenium, mores, inſtituta, ſenſum eorum, quibuscum verſantur: patres ſaepe *utrumque genus* deprehendiſſe ſibi videbantur cum in ſermonibus et inſtitutis Chriſti et apoſtolorum, tum in vita eorum et in conſuetudine cum aliis. Qua de re quomodo loquantur ac praecipiant, placet iam ita disputare, ut primo quidem de *verbis*

dicamus, quae ſolent in hac cauſſa adhibere; deinde vero, prolatis locis perſpicuis, eorum *ſententiam* declaremus.

Utuntur itaque ſcriptores eccleſiaſtici, cum hac de re disputant, nominibus multis ac variis, in quibus ſaepe ineſt non parum elegantiae. Et συγκαταβάσεως quidem vocabulum, quod in hac cauſa fere tritiſſimum eſt, cum in ſe magnam perſpicuitatem habet, tum eſt bene illuſtratum a *Suicero* in *Theſauro*, et eius uſus exemplis multis demonſtratus et comprobatus. Solet autem eo nomine, et verbo συγκαταβαίνειν, nemo frequentius uti *Chryſoſtomo*, qui omnino eſt in commendanda hac apoſtolorum, et ipſius adeo Dei, ſapientia, diligentior, eiusque ſaepe mentionem iniicit. Latini patres hac de re paſſim adhibent verbum *condeſcendere*, ut e loco quodam *Marii Mercatoris* intelligitur, quem afferemus infra. — Qui aliquid pro tempore vel dicunt, vel agunt, ii etiam κατ' οἰκονομίαν dicuntur vel differere, vel vivere. Cuius formulae exempla idonea quoniam deſiderantur in theſauro Suiceriano, certe in prima eius editione, quae nobis ad manus eſt: liceat locos aliquot afferre ex *Athanaſii* libello, excitato iam ſupra, quo demonſtravit adverſus Arianos, Dionyſium Alexandrinum de divina Chriſti natura recte et cum Nicaena ſynodo

ſciſſe. Etenim cum Ariani arriperent formulas quasdam, quibus in epiſtolis ſuis uſus erat Dionyſius, et quae favere videbantur Arii opinionibus: oſtendit *Athanaſius* (Opp. Tom. I. p. 532.) eum τὰ ὑποπτευθέντα κατ' οἰκονομίαν ſcripſiſſe, et addit, ἃ δεῖ δὲ τὰ κατ' οἰκονομίαν γεγραμμένα καὶ γινόμενα, ταῦτα κακοτρόπως δέχεσθαι. Quid autem hoc ſit, κατ' οἰκονομίαν aliquid facere, clarius dixerat p. 551. ubi Dionyſium καιρῷ καὶ προσώπῳ προφάσει coactum, ſcripſiſſe quaedam, ait, et doctrinam, hoc modo comparatam, τὴν ἐν καιρῷ διδασκαλίαν appellat; fere ut *Tertullianus de praeſcript. Haereticor.* c. XXIV. p. 210. Ed. Prior. *pro temporibus et perſonis et cauſis aliquid reprehendere* dicit, et *Origenes contr. Celſum* l. IV. p. 172. Ed. Spenc. ἐκ περιστάσεως aliquid agere. Alio modo l. V. p. 241. dicit: ἀναγκάσθημεν δὲ τὰ μὴ ἁρμόζοντα τοῖς ἁπλουστέροις πιστεύσαι, καὶ δεομένοις τῆς ἁπλοτέρας ἐν λόγοις οἰκονομίας, ἐνδείξασθαι. — Hoc etiam ἐσχασμένως τῶν ἐντευξομένων dicere appellat p. 243. Latini *honeſtam dispenſationem* dicunt illam οἰκονομίαν; ſic eſt apud *Hieronymum in Epiſtola ad Auguſtinum*, hac ipſa de re conſcripta, p. 228, e qua deinde nonnulla afferemus. — *Clemens Alexandrinus* hac de re fere ſemper utitur verbo συμπεριφέρεσθαι, ac nomine συμπεριφορᾶς. *Strom.* l. VI. p. 802.

uſurpat formulam πᾶσι πάντα γίνεσθαι κατὰ συμπεριφοράν, negatque, *mendaces* dici poſſe τὰς συμπεριφερομένας δι' οἰκονομίαν σωτηρίας. Eodem modo loquitur l. VII. p. 863. ubi eſt formula: ὁ μέχρι τῆς συμπεριφορᾶς διὰ τὴν τῶν πέλας σωτηρίαν συγκαταβαίνων. Add. l. II. p. 467. Et in Paedag. l. II. c. 10. p. 234. Ita etiam *Origenes* contr. Celſum l. VII. p. 375. 76. et *Clemens* Strom. l. I. c. 1. pag. 326. ubi memoratur οἰκονομούμενός τι θεοσόφως καὶ συμπεριφερόμενος. Ita fere *Arrianus Diſſ.* l. III. 16. Socratem habuiſſe ait δύναμιν, ὥστ' ἐν πάσῃ συμπεριφορᾷ ἄγειν ἐπὶ τὸ αὐτῶ τὰς συνόντας, quam loquendi formam etiam alibi frequentat *Arrianus.* Sic apud *Epictetum* quoque eſt in *Enchir.* c. 16. μεχρὶ μὲν λόγου μὴ ἔχει συμπεριφέρεσθαι αὐτῷ, nempe τῷ κλαίοντι, de quo in antegreſſis dixerat. De eadem re paſſim etiam adhibetur verbum συγκάτειμι, ut a *Chryſoſtomo de Sacerd.* l. VI. c. 4. ubi docet, ſacerdotem eſſe debere εἰδότα συγκατιέναι χρησίμως, ὅτ' ἂν ἡ τῶν πραγμάτων ὑπόθεσις τοῦτο ἀπαιτῇ. Add. *Arrianus* Diſſ. l. III. c. 16. Hoc modo etiam verba συμπλάττειν, συμμετριάζειν, συννηπιάζειν et alia dici, *Suicerus* iam obſervavit, ut uberiori diſputatione facile poſſimus ſupерſedere. *Auguſtinus*, qui minime probabat *Clementis* illam ſententiam, τὰς συμπεριφερομένας δι' οἰκονομίαν σω-

τρεῖς minime *mendaces* eſſe, alio modo loqui inſtituit de hac συγκαταβάσει, eamque, acerbis ac durioribus verbis, *mendacium*, *officioſum mendacium*, *perniciosam*, *fallacemque ſimulationem* appellavit; quae nomina ſaepe leguntur in illa viri cum *Hieronymo* ſuper hac re ſuscepta disputatione. Quae dicendi licentia cum vehementer displiceret *Hieronymo*, in epiſtola LXXXIX. p. 228., qua reſpondit *Auguſtino*, negavit, ſe et alios multos, *officioſum mendacium* defendere, ut *Auguſtinus* parum recte appellaverit apoſtolorum in docendo prudentiam; ſed *honeſtam dispenſationem* ab oratoribus divinis ſaepe eſſe adhibitam. Sed *Auguſtinus*, qui verebatur, ne omnis ſcripturae auctoritas elevetur, eiusque fides corruat, ſi talis ſimulatio tribuatur auctoribus ſacris, appellationis a ſe uſurpatae rationem defendit Ep. XCVII., ubi p. 240. *hoc autem*, inquit, *quod dicis*, dispenſative, *ut noſtri voluere maiores, quid ſibi vult, oro te? Aut enim hoc eſt, quod ego appello*, officioſum mendacium, *ut haec dispenſatio ſit* officium, *velut honeſte mentiendi; aut quid aliud ſit omnino non video, niſi forte addito nomine* dispenſationis *fiat, ut mendacium non ſit mendacium. Quod ſi abſurdum eſt, cur ergo non aperte dicis* officioſum mendacium *defendendum, niſi forte no-*

men te movet. — *An ſi* officioſe *mentiatur quiſquam, culpandus eſt; ſi* dispenſative, *approbandus?* — Sed haec ſufficiant de *nominibus* et *verbis*, quibus in hac cauſſa uti ſolebant ſcriptores eccleſiaſtici; iam paullo copioſius demonſtrabimus, *eos Chriſto et apoſtolis iſtam ſimulandi conſuetudinem*, quae animum flectit ad auditoris captum, opiniones et ſenſum, *ſaepe tribuiſſe.*

Ac primo quidem loci ſunt inſignes duo apud *Clementem Alexandrinum*, qui hanc docendi et agendi rationem oratoribus ſacris non modo aſſerunt, verum etiam rationibus defendunt. *Strom.* l. VI. p. 802. docere vult *Clemens*, Chriſtianae religionis magiſtrum in uſus ſuos convertere poſſe philoſophiae Graecae decreta, eiusque placita ad illuſtrandum afferre; hoc autem firmat *Paulli* exemplo, qui circumcidi curaverit Timotheum, ut in ea re captaret Iudaeorum, qui Chriſtum ſectari coepiſſent, benivolentiam; negatque, *mendaces* eſſe, qui eo conſilio ad aliorum opiniones ſe accommodent, ut ipſorum felicitati proſpiciant. Λυτέον, inquit, ὁ Παῦλος τὸν Τιμόθεον περιέτεμεν, διὰ τοὺς ἐξ Ἰουδαίων πιστεύοντας, ἵνα μὴ, κατηλύοντος αὐτῷ τοῦ ἐκ τοῦ νόμου σαρκικώτερον προσεληλυθότος, ἀποστῇ τῆς πίστεως οἱ ἐκ νόμου κατηχούμενοι. εἰδὼς ἀκριβῶς, ὅτι περιτομὴ οὐ δικαιοῖ, τοῖς πᾶσι γὰρ πάντα γίγνεσθαι διαλόγει

κατὰ συμπεριφοράν, σώζων τὰ κύρια τῶν δογμάτων, ἵνα πάντας κερδήσῃ. Facile intelligitur, ſcripturae locos, quos ad ornandam cauſſam ſuam excitat *Clemens*, eſſe *Actor.* XVI, 3. *Gal.* V, 6. et 1 *Cor.* IX, 19. Eſt autem haec *Clementis* oratio duabus de cauſſis in hac re notatu digniſſima. Primo quidem propterea, quod *Paulli exemplum*, quo rem ſuam illuſtrat *Clemens*, tantopere placuit ſcriptoribus vetuſtis, ut eo uterentur reliqui tantum non omnes, cum de apoſtolorum συγκαταβάσει, differerent. Deinde poteſt ex hoc loco intelligi, *quo usque*, ex mente *Clementis*, *progredi potuerit apoſtolorum illa in docendo commoditas.* Nam, paucis interiectis, addit: ψεῦσαι τοίνυν τῷ ὄντι, ἐχ οἱ συμπεριφερόμενοι δι' οἰκονομίαν σωτηρίας, ὐδ' οἱ περί τινα τῶν ἐν μέρει σφαλλόμενοι· ἀλλ' οἱ εἰς τὰ κυριώτατα παρεμπίπτοντες. Exiſtimabat igitur *Clemens*, in partibus doctrinae non adeo gravibus, quas τινὰ τῶν ἐν μέρει appellat, dare aliquid poſſe oratorem divinum hominum imbecillitati, resque leviores negligere, modo retineat τὰ κυριώτατα, hoc eſt, *ſummam* religionis, partesque graviſſimas ſervet incorruptas, huiusque συγκαταβάσεις ope hominibus amabiles reddat. — Huic loco ſimilis eſt alter *Strom.* l. VII. p. 863. ubi de *Gnoſtici*, hoc eſt, de ſapientis, et iam aliquam maturitatem adepti Chriſtiani dignitate

disputans *Clemens*, obſervat, eum ubique vera dicere, et ſimplicem eſſe apertumque, niſi interdum cogatur temporibus accommodare ſeſe, et aliorum imbecillitati; tum vero talem perfectum Chriſti cultorem ſequi, ait, *Paulli exemplum*, qui et ipſe commodum ſe praebuerit aliis et facilem. Αληθῆ τε γὰρ, inquit, φρονεῖ ἅμα, καὶ ἀληθεύει (nempe ὁ γνωστικὸς) πλὴν εἰ μή ποτε ἐν θεραπείας μέρει, καθάπερ ἰατρὸς πρὸς νοσοῦντας, ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν καμνόντων ψεύσεται, ἢ ψεῦδος ἐρεῖ κατὰ τὰς Σοφιστάς. Hanc illuſtrationem οἰκονομίας, a *medicorum prudentia* in tractandis aegrotorum opinionibus ductam, dici non poteſt, quoties afferant patres, cum hunc locum vel ediſſerunt, vel attingunt. Sequuntur in ea re aliorum ſcriptorum auctoritatem, qui hoc exemplo docere voluerunt, *mentiri in loco* non eſſe a viri ſapientis dignitate alienum. *Plato* iam *de Republ.* l. III. p. 611. dixerat, τὸ ψεῦδος ἀνθρώποις χρήσιμον εἶναι, ὡς ἐν φαρμάκου εἴδει, putabatque, ex eo intelligi poſſe, τόγε τοιοῦτον ἰατροῖς (ſic autem appellat *cuſtodes* illos, quos, ut notum eſt, reipublicae ſuae *principes* conſtituerat) δότεον, ἰδιώταις δὲ ἅπτέον, h. e. *medicis reipublicae et principibus dandam eſſe hanc veniam, ut ad reipublicae ſalutem interdum poſſint fraudibus et mendacio uti, plebi autem eam poteſtatem mentiendi minime concedendam eſſe.* Hunc

locum poſtea imitati ſunt plures alii, et *licitum mendacii* genus illuſtrarunt *medicorum* exemplo, qui ſaepe non poſſint aliter mederi aegrotorum pertinaciae. Sic *Philo*, in libello *de Cherubis* disputat, p. 110., ut *Potterus* iam ad hunc *Clementis* locum obſervavit; *Lucretii* autem elegantiſſimi verſiculi *de Rer. Nat.* l. I. v. 935–41. quibus hanc rem exornavit, ſatis noti ſunt. Patres igitur, hos auctores ſecuti, certatim quaſi utuntur hoc exemplo, cum ad declarandam συγκαταβάσεως vim et naturam, tum ad defendendam eius honeſtatem. Sufficiat e pluribus locis notaſſe, quae *Origenes* habet *contr. Celſum* l. IV. p. 170. Ed. Spenc. *Chryſoſtomus de Sacerdot.* l. I. c. 5. ubi talis fraudis exemplum memoratur, et l. VI. c. 4. *Athanaſius* denique *de ſentent. Dionyſ. contr. Arian.* p. 552. — Sed revertamur ad *Clementem*, pergit enim hoc modo: αὐτίκα Τιμόθεον ὁ γενναῖος περιτέμνει Ἀπόστολος, κεκραγὼς καὶ γράφων, περιτομὴν τὴν χειροποίητον οὐδὲν ὠφελεῖν· ἀλλ᾽ ἵνα μὴ ἀθρόως ἀποσπῶν τοῦ νόμου πρὸς τὴν ἐκ πίστεως τῆς καρδίας περιτομὴν, ἀφηνιάζοντας ἔτι τοὺς ἀκροωμένους τῶν Ἑβραίων ἀναῤῥῆξαι τῆς συναγωγῆς ἀναγκάσῃ, συμπεριφερόμενος Ἰουδαίοις, Ἰουδαῖος ἐγένετο, ἵνα πάντας κερδήσῃ. Ex quo deinde efficit, τὸν διὰ τὴν τῶν πέλας σωτηρίαν συγκαταβαίνοντα, *mendacii et ſimulationis reum non eſſe*, ſed bene et recte

in ea re facere. Ex his igitur locis intelligitur, *Clementem* apostolis non modo tribuisse simulationis quoddam genus, quod auditorum imbecillitati attemperatum esset, verum etiam existimasse, hanc *συγκατάβασιν*, sine periculo detrimenti, leviores Christianae doctrinae partes vel refingere posse et varie mutare, vel occultare pro tempore et silentio praetermittere.

Hanc sententiam *Tertullianus* quoque in libro *de Praescript. Haereticor.* c. 23. probavit et exposuit. Etenim cum essent, qui offenderentur *Paulli illa cum Petro contentione*, quam Paullus ipse memorat *Gal.* II, 11 sqq. *Tertullianus* ita respondet: *sed quoniam perversissimi isti illam reprehensionem ad hoc obtendunt, ut suspectam faciant doctrinam superiorem: respondebo quasi pro Petro: ipsum Paullum dixisse*, factum se esse omnibus omnia, Iudaeis Iudaeum, non Iudaeis non Iudaeum, *ut omnes lucrifaceret. Adeo pro temporibus, et personis et causis quaedam reprehendebant, in quae et ipsi, aeque pro temporibus et personis et causis, committebant; quemadmodum si et Petrus reprehenderet Paullum, quod prohibens circumcisionem, circumciderit ipse Timotheum. Viderint, qui de apostolis iudicant. Bene quod Petrus Paullo et in martyrio adaequatur.* — Verbis ultimis indicat *Tertullianus*, quamquam interdum visa sit

dirimere et in partes diversas trahere doctrinae discrepantia quaedam apostolorum mentes, tamen consensionem eorum summam eluxisse in tolerando pro religione supplicio; reliqua omnia, quae *Tertullianus* hic disputat, cum *Clementis* sententia, paullo ante exposita, prorsus conspirant.

Veniamus ad *Origenem*. Is cum faveret Platonis decreto, virum sapientem mendaciis uti posse, si ex ea re perveniat aliqua ad reliquos homines utilitas, litem illam apostolorum, Antiochiae agitatam, facile putavit talis mendacii officiosi et simulationis pro tempore susceptae expositione dirimi posse, et adversus haereticorum gentiliumque criminationes defendi. Disserit de hac *Origenis* interpretatione *Hieronymus* in ea *epistola*, quam iam aliquoties laudavi, ad *Augustinum* super hoc argumento missa. Nam quoniam ipse in commentario in epistolam Paulli ad Galatas sumserat hoc, Petrum et Paullum *per dispensationem aliquam* egisse Antiochiae, eoque nomine vehementer erat ab *Augustino* reprehensus: tuetur se atque defendit *Origenis* auctoritate et exemplo. *Imbecillitatem*, inquit, *virium mearum sentiens, Origenis commentarios secutus sum. Scripsit enim ille vir in epistolam Paulli ad Galatas quinque propria volumina, et de-*

[illegible] *Stromateum suorum librum commatico super explanatione eius sermone complevit.* — Atque hanc eum locum explanandi rationem usurpatam esse ab *Origene* probatamque, mirabitur nemo, qui vel solos eius viri libros *contra Celsum* cognoverit. In his enim saepissime disputat ipse κατ' οἰκονομίαν, et affert multa, quae unice sunt comparata ad trahendos imperitos, magisque speciose dicuntur, quam vere. Insunt autem his ipsis in libris loci nonnulli, qui manifeste docent, *Origenem* tale docendi genus etiam *Christo* tribuisse. Illustris locus est l. IV. p. 171. 72. ubi de *divina Christi natura*, quam λόγον appellat, et a ψυχῇ eius distinguit, ita disputat: περὶ μὲν οὖν τῆς τοῦ λόγου φύσεως (λέγοιτ' ἂν) ὅτι ὥσπερ ἡ τῶν τροφῶν ποιότης, πρὸς τὴν τοῦ νηπίου φύσιν, εἰς γάλα μεταβάλλει ἐν τῇ τροφούσῃ, ἢ ὑπὸ τοῦ ἰατροῦ κατασκευάζεται πρὸς τὸ τῆς ὑγιείας χρειῶδες τῷ κάμνοντι, ἢ τῷ ἰσχυροτέρῳ ὡς δυνατωτέρῳ οὕτως ἐντρεπίζεται· οὕτω τὴν τοῦ πεφυκότος ἀνθρωπίνην ψυχὴν λόγου δύναμιν ὁ θεὸς τῶν ἀνθρώπων ἑκάστῳ κατ' ἀξίαν μεταβάλλει. Καὶ τοῖς μὲν (ὡς ὠνόμασεν ἡ γραφὴ) λογικὸν ἄδολον γάλα γίνεται, τοῖς δὲ ὡς ἀσθενεστέροις ὡσεὶ λάχανον, τοῖς δὲ τελείοις στερεὰ τροφὴ παραδίδοται. Καὶ οὐδέποτε ψεύδεται τὴν ἑαυτοῦ φύσιν ὁ λόγος, ἑκάστῳ τροφὴ γινόμενος, ὡς χωρεῖ αὐτὸν παραδέξασθαι, καὶ οὐ πλανᾷ, οὐδὲ ψεύδεται. De hac οἰκονομίᾳ, quam

observasse dicitur hoc loco divina, quae in Christo erat, natura, etiam patres alii saepe loquuntur, eaque usi sunt ad tollendas difficultates, quae passim in historia Christi reperiuntur, inprimis ad expediendum locum illum *Marci* difficillimum Cap. XIII. 32, ubi ne filius quidem scire traditur tempus, quo gerenda sint, quae in antegressis vaticinatus fuerat Christus. Haec et alia *οἰκονομικῶς* facta putabant patres, ut ὁ λόγος, si *Origenis* verbis uti voluerimus, ἑκάστῳ τρόπῳ γνώριμος, ab omnibus capi posset. Christum vero etiam in docendo adhibere potuisse *artes varias*, et ad hominum opiniones *descendere*, eodem loco observat *Origenes*, et sunt profecto eius verba digna, quae hic legantur. Οὐκ ἄτοπον ἐστι, inquit, τὸν ἰώμενον φίλους νοσοῦντας, (videtur *apostolos* his verbis indicare voluisse, quos institutione sua *morbis animi* liberavit Dominus) ἰάσασθαι τὸ φίλον τῶν ἀνθρώπων γένος τοῖς τοιοῖσδε, οἷς οὐκ ἄν τις χρήσαιτο προηγουμένως, ἀλλ' ἐκ περιστάσεως. Καὶ μεμηνὸς δὲ τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων ἔδει θεραπευθῆναι διὰ μεθόδων, ὧν ἑώρα ὁ λόγος χρησίμων τοῖς μεμηνόσι, ἵνα σωφρονήσωσι. Ex his manifestum est, *Origenem* commoditatem aliquam Christi in docendo et utilem putasse, et ob generis humani imbecillitatem perversitatemque paene necessariam.*)

*) Multi quidem οἰκονομίαν in exponenda doctrina de

Fuisse autem haud paucos in ecclesia vetere, qui existimarent, talem simulationem etiam ab *apostolis* saepe usurpatam esse, intelligitur maxime ex interpretatione illa, qua Paulli cum Petro concertationem, quae Antiochiae accidit, illustrarunt. Neque enim *Origenes* tantum et *Hieronymus* docuere, eam litem ab apostolis *consulto* susceptam esse, ut Paullus opportunitatem nancisceretur, de vanitate cultus Mosaici, quem Christus abrogasset, copiose disputandi: sed habuit ea sententia in ecclesia vetere fautores plurimos, et est ab eruditissimis hominibus probata. Hoc observat *Hieronymus* in ep. LXXXIX. p. 226., ubi optimos interpretes Graecos, qui epistolam ad Galatas enarraverint, praeter Origenem fuisse ait *Didymum*, *Apollinarium Laodicenum*, *Alexandrum* veterem haereticum, *Eusebium Emisenum* et *Theodorum Heracleotem*. Deinde, nonnullis interiectis, addit, hanc eius loci explanationem, quam primus *Origenes* proposuerit, *ceteros deinceps interpretes* esse secutos. Inprimis laudat *Ioannem Chrysostomum*, qui super hoc capitulo exaraverit latissimum librum, in

---

resurrectione docet *Origenes* Contr. Cels. l. V. p. 245 Huc etiam pertinet locus l. VI. p. 279. De Christi in docendo prudentia locus est apud *Clementem* Strom. l. I p. 323 med.

quo *Origenis et veterum sententiam expresserit. Si igitur me reprehendis errantem*, sic enim iam alloquitur *Augustinum*, *patere me quaeso errare cum talibus, et cum me erroris mei* multos socios *habere perspexeris, tu veritati tuae* saltem unum adstipulatorem *proferre debebis.* Ex his verbis quis est, quin videat, in ecclesia Graeca sententiam eorum, qui existimarent, simulationem pro temporibus bene consistere posse cum oratoris divini dignitate, doctissimis hominibus placuisse.

Sed quoniam ab *Hieronymo* iniecta est *Chrysostomi* mentio, lubet iam, de hoc viro nonnulla addere. Nemo enim ex omnibus scriptoribus vetustis saepius videtur ac diligentius inculcasse hoc, Christum et apostolos κατ' οἰκονομίαν multa et dixisse, et in omni vita fecisse, *Chrysostomo*, quod facile possemus multis locis demonstrare, qui sunt per omnes eius libros sparsi. Brevitatis caussa nonnisi unum afferemus, qui multum perspicuitatis habet, nec videtur ab hoc nostro sermone abesse posse. In praeclaro igitur opere *de Sacerdotio* l. I. c. 5. copiose disserit de eo, interdum posse etiam probum hominem fraudibus uti, easque saepe salutares esse et utiles. Hoc *Basilio*, quocum per integrum opus disputantem se finxit, cum exemplis demonstrat, e communi vita

rerumque usu petitis, quorum illud maxime ornat, a consuetudine medicorum desumtum; tum piorum hominum fraudes persequitur, quae commemorantur in libris sacris veteris testamenti. De quibus postquam copiose et eleganter dixerat, tandem addit haec: οὐ μόνον δὲ τοὺς τὰ σώματα θεραπεύοντας, ἀλλὰ καὶ τοὺς τῶν ψυχικῶν νοσημάτων ἐπιμελουμένους ἴδοι τις ἂν συνεχῶς τούτῳ κεχρημένους τῷ φαρμάκῳ. Loquitur fere ut *Plato*, in loco supra excitato, qui mendacium interdum utile esse censuit ὡς ἐν φαρμάκου εἴδει. *Celsus* autem apud *Origenem* l. IV. p. 171. prorsus hoc modo disserit: Ἀπάτην δέ, inquit, καὶ ψεῦδος ἄλλως μὲν κακά, μόνως δ' ἂν ὡς ἐν φαρμάκου μέρει χρηστά τισι *). Pergit autem *Chrysostomus* hoc modo: Οὕτω τὰς πολλὰς μυριάδας ἐκείνας τῶν Ἰουδαίων ὁ μακάριος προσηγάγετο Παῦλος. Μετὰ ταύτης τῆς προαιρέσεως περιέτεμε τὸν Τιμόθεον, ὁ Γαλάταις ἀπειλῶν, ὅτι Χριστὸς οὐδὲν ὠφελήσει τοὺς περιτεμνομένους. Διὰ τοῦτο ὑπὸ νόμον ἐγένετο, ὁ ζημίαν ἡγούμενος μετὰ τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν, τὴν ἀπὸ τοῦ νόμου δικαιοσύνην. Utitur *Chrysostomus* locis 1 *Cor.* IX, 20., ubi profitetur Paullus se factum esse τοῖς ὑπὸ νόμον, ὡς ὑπὸ νόμον, et *Phil.* III, 7., ubi de omni pietate Pharisaica, quam iactare solebant Iudaei, dicit: ταῦτα ἥγημαι διὰ τὸν Χρι-

*) Conf. *Luciani* Philopseudes ab initio p. 726.

τὴν ζημίαν. Addit denique *Chrysostomus*: πολλὴ γὰρ ἡ τῆς ἀπάτης ἰσχύς, μόνον μὴ μετὰ δολερᾶς προαιρέσεως γινέσθω τῆς περιαιρέσεως· μᾶλλον δὲ οὐδὲ ἀπάτην τὸ τοιοῦτον δεῖ καλεῖν, ἀλλ' οἰκονομίαν τινὰ, καὶ σοφίαν, καὶ τέχνην, ἱκανὴν, πολλοὺς πόρους ἐν τοῖς ἀπόροις εὑρεῖν, καὶ πλημμελείας ἐπανορθῶσαι ψυχῆς. Atque hac in re tam manifestum esse putavit Apostolorum exemplum, tamque praeclarum, ut l. VI. c. 4. eiusdem operis perspicue doceret, quemvis religionis magistrum et sacerdotem esse debere ποικίλον, quod ipse sic explicat: ποικίλον δὲ λέγω, οὐχ ὕπουλον, οὐδὲ κόλακα καὶ ὑποκριτὴν — οὗτα δὲ συγκατιέναι χρήσιμος, ὅτ' ἂν ἡ τῶν πραγμάτων ὑπόθεσις τοῦτο ἀπαιτῇ. In his verbis inesse pulcram descriptionem simulationis, de qua loquimur, nemini potest obscurum esse.

Plane hoc modo etiam *Athanasius* praecipit in illa iam aliquoties laudata Dionysii Alexandrini adversus Arianos defensione. Ibi enim postquam observaverat, in Dionysii libellis dici quaedam οἰκονομικῶς, quae ab imperitis facile detorqueri possint in alienam sententiam, p. 555. haec addit: καὶ διδάσκαλοι δὲ ὁμοίῳ τρόπῳ ἔχουσι, περὶ τὰ τῶν διδασκομένων ἤθη ἀντιτίθεσθαι καὶ λαλεῖν, ὅπως ἂν αὐτοὺς εἰς τὴν ἕξιν τῆς τελειότητος μετάγωσι. Haec universe de quovis magistro idoneo dicta, transfert deinde ad apostolos, et al-

latis locis multis demonstrat, eos in proponenda doctrina *de divina Christi natura* observasse omni tempore istam in docendo prudentiam, nec hoc, Christum esse Deum, statim proposuisse Iudaeis, qui offensi eo placito facile contemsissent omnem religionem Christianam; sed primo quidem involucris quibusdam texisse apostolos hoc ingens μυστήριον, et verbis ambiguis de eo locutos esse, donec tantae rei gravitatem ferre sensim disceret tironum imbecillitas.

Si quis autem fuit, qui hanc sententiam de συγκαταβάσει apostolorum non modo perspicue declararet, verum etiam defenderet acriter et propugnaret: is profecto fuit *Hieronymus.* Hoc inprimis intelligitur e contentione, quam super hac re cum *Augustino* habuit. Observavimus iam supra, *Augustino* vehementer periculosam esse visam simulationem illam, ab *Hieronymo*, aliisque, librorum sacrorum auctoribus tributam. Graviter profecto exposuit mentem suam in ea epistola, quae in operibus *Hieronymi Tom. II.* est *octogesima sexta*, ubi p. 222. ita disserit: *mihi videtur exitiosissime credi, aliquod in sanctis libris haberi mendacium; id est, eos homines, per quos nobis illa scriptura ministrata est, atque conscripta, aliquid in suis libris fuisse mentitos. Alia quippe*

quaeſtio eſt, ſitne aliquando mentiri viri boni; *et alia quaeſtio eſt*, utrum ſcriptorem ſanctarum ſcripturarum mentiri oportuerit; *imo vero non alia, ſed nulla eſt quaeſtio. Admiſſo enim ſemel in tantum auctoritatis faſtigium officioſo aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quae non, ut cuique videbitur vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis, eadem perniciosiſſima regula ad mentientis auctoris conſilium officiumque referatur.* — His et aliis *Auguſtini* vel argumentis, vel querelis minime movebatur *Hieronymus*, qui Graecorum ea de re placitis imbutus, conſtanter negabat, defendi poſſe apoſtolorum ſermones, eorumque res geſtas ſatis vindicari a Porphyrii, Celſi aliorumque calumniis, niſi ſumere liceat, eos interdum per honeſtam diſpenſationem et locutos eſſe, et egiſſe. Hoc late perſequitur in litteris iis, quibus reſpondet ad aliquot *Auguſtini* cum de aliis rebus, tum de hoc ipſo argumento ad ſe datas epiſtolas; ſunt autem eae litterae iam ſupra a nobis excitatae, et penitus cognoſcendae ab his, qui voluerint veterum ſententiam accurate noſſe. Sed quam late patere potuerit illa apoſtolorum ſimulatio ex mente *Hieronymi*: id optime diſcitur ex illa, quam etiam ſupra laudavimus, ad *Pammachium* ſcripta defenſione, in qua

postquam dixerat, optimos et doctissimos ecclesiae doctores usurpasse genus docendi, quod ad aliorum opiniones sese demittens, acute et fraudulenter conquirat omnia, quae possint adversarios ad silentium redigere: tandem p. 73 haec subiicit: *Paullum apostolum proferam, quem quotiescunque lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua.* Hoc dicere videtur *Hieronymus* de comminationibus gravissimis, quibus saepe percutit ac prosternit apostolus eos, qui Iudaicis opinionibus dediti, Mosaicae legis ritus religioni Christianae admisceri volebant; quod cum alias saepe, tum in epistola ad Galatas acerrime vituperavit, quam epistolam etiam statim commemorat *Hieronymus. Legite*, ita enim pergit, *epistolas eius*, et *maxime ad Romanos, ad Galatas, ad Ephesios, in quibus totus in certamine positus est, et videbitis eum, in testimoniis, quae sumit de veteri testamento, quam artifex, quam prudens, quam dissimulator sit eius, quod agit. Videntur quaedam verba simplicia, et quasi innocentis hominis rusticani, et qui nec facere, nec declinare noverit insidias; sed quocunque respexeris, fulmina sunt. Haeret in caussa; capit omne, quod tetigerit: tergum vertit, ut superet; fugam simulat, ut occidat. Calumniemur ergo illum, atque dicamus ei: testimonia, qui-*

bus contra Iudaeos, vel ceteras haereſes uſus es, aliter in ſuis locis, aliter in tuis epiſtolis ſonant. Videmus exempla captiva; ſervierunt tibi ad victoriam, quae ſuis in voluminibus non dimicant. Exempla captiva, ut res ipſa et univerſa ſcriptura docere videntur, appellat *Hieronymus* ea, quae violenter detorta ab apoſtolo in alienam ſententiam, et ad ornandam confirmandamque cauſſam prorſus aliam traducta putabat. Addit denique: *nonne nobis loquitur cum ſalvatore; aliter foris, aliter domi loquimur? Turbae parabolas, discipuli audiunt veritatem. Proponit Phariſaeis Dominus quaeſtiones, et non ediſſerit. Aliud eſt docere discipulum, aliud adverſarium vincere.* Hic tangere videtur locos Matth. XXI, 23—27. et Cap. XXII, 41—46, ubi Chriſtus ad convincendos adverſarios quaeſtiones quasdam proponit, easque, cum conturbaſſent Iudaeos et ad ſilentium redegiſſent, ipſe relinquit in medio, nec uberius illuſtrat. Atque hunc in modum ſaepe ſcribit *Hieronymus*, ut, ſi iam hoc ageremus, facile poſſemus congerere locos multos alios, ubi hanc ſententiam de apoſtolorum συγκαταβάσει, vel ad ſcripturae ſacrae interpretationem, vel ad vindicandam virorum divinorum auctoritatem, uſurpat. Ceterum de illa apoſtolorum facilitate, qua ſolebant attemperare ſe omnibus, quibus-

cum verſabantur, etiam in *Orat.* XII. *Neſtorii*, a *Mario Mercatore* converſa, §. 8. locus inſignis eſt, qui haec habet: *ſciebat namque etiam Paullus talia facere, ne ſciſſurae fierent per aliquam iuſtitiam coloratam, cum gratiam praedicabat, legisque inutilitatem confidenter arguebat. Sed Hieroſolyma veniens docetur ab Apoſtolis condeſcendere debere ibidem habitantibus, ut non fierent ſciſſurae in eccleſia.* — Quod vero in libris eorum ſcriptorum, qui poſt *Auguſtini* tempora, maxime in eccleſia Latina, vixerunt, hac de re multo rarius diſſeritur: id videtur ab auctoritate *Auguſtini* ipſius repetendum, qui, ut iam a nobis obſervatum eſt, vehementer vituperabat iſtam de συγκαταβάσει oratorum divinorum opinionem. Ad huius igitur viri auctoritatem cum ſe plurimi coepiſſent conferre, litterae autem, et omnino interpretatio librorum ſacrorum diligentior magis magisque negligerentur: nemo amplius de re graviſſima cogitavit, ſed ſenſim invaluit eorum perverſa conſuetudo, qui nulla vel contextus, vel loquentium habita ratione, ſine omni delectu arripiunt ſcripturae locos, et ex iis quidvis eliciunt.

Ceterum ex his, quae hactenus ſunt a nobis allata e ſcriptoribus eccleſiae vetuſtae, luculenter apparet, patrum de συγκαταβάσει

Chriſti et apoſtolorum ſententiam ad haec fere decreta redire. *Primo* quidem exiſtimabant, *ſimulare aliquid, vel diſſimulare*, ſi id fiat ad utilitatem generis humani, *a dignitate oratoris divini non abhorrere*, cum alio modo ſaepe ne poſſit quidem hominum ſaluti ſatis proſpici. — *Deinde eam commoditatem locum habere poſſe cenſebant in omni genere inſtitutionis, omnibusque vel tradendi religionem, vel vindicandi modis.* Oratores igitur divinos demittere ſe poſſe ad inſcitiam *tironum*, et multis parcere eorum opinionibus, ne praeceptionis vel novitate et inſolentia, vel gravitate et copia deterreantur ab amplectenda religione, ſed allecti probabili doctrina, ſenſim rectius ſapere discant. Nec vituperandum putabant oratorem divinum, ſi *in diſceptatione cum adverſariis* horum arripiat opiniones, iisque prudenter utatur, omninoque artes eas adhibeat, quas ad opprimendum adverſarium et conturbandum ſuppeditet Dialectice. Unde facile largiri ſolebant patres, *multos locos veteris teſtamenti in novo ad alienam ſententiam transferri*, et excitari ab apoſtolis per accommodationem. Dabant adeo hoc, oratorem divinum *leviores doctrinae caeleſtis partes negligere poſſe*, et in iis errores admittere, et docere, modo religionis ſummam eiusque partes prima-

rias retineat atque conſervet. — Exiſtimabant *denique, etiam in vita vulgarique conſuetudine oratores divinos poſſe ſe componere ad mores, inſtituta, ritus, ſenſumque eorum, apud quos vivant*, ſi ea commoditas habeat aliquam vim ad conciliandos religioni hominum animos, ſenſimque emendandos et corrigendos. Haec omnia in locis, quos paullo ante congeſſimus, tam perſpicue docentur, ut ea breviter indicaſſe ſufficiat.

Nuper autem cum revocaretur quaeſtio hac de re, et a multis fumeretur hoc ipſum, Chriſtum et apoſtolos in omni inſtitutione ac vita fuiſſe communes, faciles, commodos, et auditorum imbecillitati omni modo peperciſſe: fuerunt, ut ſit, multi, qui vererentur, ne haec opinio pertineat ad nova illa inventa, quibus multi corrumpere, penitusque evertere ſtudeant omnem Chriſtianam religionem. Hi ſi cogitaſſent, in eccleſia vetere multos viros eruditos, ſanctos et probos exiſtimaſſe, hoc genus docendi ab integritate ac fide oratoris divini minime alienum eſſe: in examinanda hac re et iudicanda aequiores certe fuiſſent et cautiores. Nos, quoniam putamus, recte quaerere de hac cauſſa non poſſe, niſi qui ſubtiliter expoſuerit, ac diſtincte finierit notiones omnes, quae tenendae ſunt, cum dicendum eſt, utrum varia *συγκαταβάσεως* genera ſint mendaciorum ac doli

mali loco habenda, adeoque non poſſint cadere in oratorem divinum: inpoſterum, ſi Deo viſum fuerit, hac ipſa de re diligentius praecipiemus.

Iam enim indicandum illud eſt, cuius cauſa haec ſcriptio prodit. Exſtare nuper voluit *Sereniſſimus Princeps Fridericus Auguſtus, Patriae Pater*, clementiae in me Suae documentum plane ſingulare et excellens, mihique munus publicum ordinarium, *Theologiam ſacrasque litteras* in hac academia docendi, demandavit. Hoc munus cum iam ſit auſpicandum oratione ſollemni, et publice declaranda ſignificandaque gratiſſimae mentis pietas in *Optimum Principem, Summosque Viros, litterarum in his terris Statores:* dicere mecum conſtitui *de prudentia Theologi, in comparanda et augenda eruditione Theologica aetatis ſuae rationem habentis.* Ut autem habeam meae in eos omnes, quorum adhuc ſum benivolentiam expertus, pietatis teſtes: ad audiendam hanc orationem *Rectorem Academiae Magnificum, Patres Academiae Conſcriptos, Viros Divinarum Humanarumque Rerum Conſultiſſimos, Litterarum Fautores Omnes, Commilitones* denique *Generoſiſſimos, Nobiliſſimos Doctiſſimosque*, decenter et officioſe invito. P. P. in Academia Vitebergenſi, Dom. Advent II. cIↃIↃCCLXXXII.

15.

Oratio a. cIↃIↃCCLXXXII dicta, cum munus Theologium publice docendi auſpicaretur.

Quod ſaepe precatus ſum a Deo Optimo Maximo eo tempore, cum ad docendas bonas litteras, et tradendam philoſophiam ab exteris invitatus eſſem et evocatus, ut, ſi mea opera meisque laboribus cum huic academiae, tum omnino civitati Chriſtianae aliquid poſſem prodeſſe, munus ſacrum mihi demandaretur ſummorum Virorum, qui academiae et litteris in his terris praeſunt, incorrupto iudicio, nec petendum eſſet officioſa prenſatione: eius voti me beneficio divino, immortalique Principis Optimi, teſtimonio autem conſenſuque veſtro, P. A. C. compotem eſſe factum, maxime laetor. Etſi enim muneris ratio, quod hodie publice auſpicor, ea eſt, quae facile poſſit cum gravitate ſua et amplitudine, tum officiorum novitate ſanctitateque perturbare animum, et mecum incute-

re: tamen recreat me ac reficit illud ipſum et Principis et Veſtrum beneficium, quo praeter ſpem et exſpectationem meam, renitens quodammodo et cunctabundus, ad eum gradum perductus ſum, in eoque praeſidio collocatus, quod iam teneo. Nam quid poteſt vel ad dignitatem honeſtius, vel ad confirmandum animum et excitandum efficacius eſſe, honorificentiſſimo Summorum Virorum iudicio ac teſtimonio, Veſtroque P. C. favore, a quo etiam inpoſterum, et in ipſa muneris, quod mihi impoſitum eſt, adminiſtratione, ad me et adiumenta quam plurima, et ornamenta pervenire poſſe confido. Sed cum more inſtitutoque maiorum in ipſis auſpiciis novi muneris publice dicendum ſit de re quadam utili, et cum litteris theologicis coniuncta: equidem exiſtimabam nuper, neque ab hac opportunitate, neque ab hoc ampliſſimo loco, et doctiſſimorum virorum auribus animisque alienum fore, ſi *de prudentia theologi, in comparanda et augenda eruditione theologica aetatis ſuae rationem habentis*, pauca diſſeram.

Videbatur autem hoc argumentum duabus de cauſſis cum hodierno die non male convenire. Primo enim putabam, me hoc modo Vobis, P. C. quorum auctoritate ac teſtimonio factum eſt, ut hoc munere exornarer, aperire

poſſe ac declarare, *quod ſit meum de litteris theologicis iudicium*, et quem curſum, arbitrer, ab eo tenendum, qui religioni ac patriae voluerit prodeſſe. Et quamquam facile ſentio, me ipſum ea, quae in re tam difficili laborumque pleniſſima poſtulari poſſunt, minime conſecutum eſſe, quod nec per mediocritatem ingenii, nec per aetatem adhuc fieri potuit: tamen haec ipſa oratio, quae breviter demonſtrabit, quid et quantum mihi agere debere videatur theologus eruditus, potent teſtimonio eſſe, quam alienus ſim ab eorum ignavia, qui rerum divinarum ſcientia qualicunque contenti, aetatis ſuae nec vitia curant, nec praeclare dicta vel inventa ſuis adiungunt. Deinde etiam propterea dicere hac de re placuit, quod in hac aetatis noſtrae libidine corrigendi vel reiiciendi adeo, quae de religione praecepere maiores noſtri, ſolent multi, qui vel pio religionis amore ducuntur, vel vetuſtae conſuetudinis nimis tenaces ſunt, ubi novus religionis magiſter exſtitit, anxie quaerere, *e quo demum genere ſit, et utrum novatoribus faveat, ſuſpectusque videatur?* Ego itaque cum minime probem nec temeritatem eorum, qui tum demum ſibi ſapere videntur, cum opinionum commenta nova qualiacunque demum arripiunt, hisque magis ſuperbiunt; nec feveritatem, ac paene dicam per-

tinaciam eorum, qui deſtinatis certisque addicti ſententiis, in ipſa verba maiorum iurarunt: iam paucis demonſtrare conſtitui, primo quidem, *qua in re debeat theologus aetatis ſuae rationem habere*, et ad eam in augenda eruditione ſua ſe componere; deinde *eum hoc ſtudio, et hâc veluti commoditate carere non poſſe;* quae duo cum confecta erunt, etiam illud intelligetur, periculum non eſſe, ne talis magiſter integritatem doctrinae, et librorum ſacrorum auctoritatem temere deſerat.

Cum igitur eius theologi, qui in comparanda augendaque litterarum ſcientia non contemnit morem publicum indolemque ſeculi ſui, prudentiam laudamus: facile videtis, Aud., nos non commendare vel urbanitatem vanam, vel levitatem eorum, qui, neglectis et perfunctorie tractatis litteris theologicis, *amplectuntur res plane alias, quas ſeculi conſuetudo in pretio habet, et cum maxime colit.* Quis enim probaverit theologum, qui, oblitus muneris ſui gravitatem, rerumque discendarum incredibilem multitudinem, vel aluearibus adſtet apumque examina regat, vel agricolationi deditus libros oeconomicos ſcribat, vel, ut hominibus delicatulis placeat, commode discat ſidibus canere, verſiculos fabulasque amatorias ſcribat, et alia tractet, quae nihil habent cum litteris theolo-

gicis coniuncti? Nam etſi in iis, qui Chriſtianam religionem imperitae plebi tradunt, ac populariter de ea diſſerunt, talia facile fero, partim quod in his non debet ineſſe eruditi theologi doctrina, partim quod multis ex eo genere hominibus ipſa muneris ratio permittit, ut poſſint eo tempore, quod eſt ab officio vacuum, ad res alias divertere: tamen a *theologo*, in quo praeter illam vulgarem religionis ſcientiam ineſſe debet copioſa multarum rerum ſcientia, removenda ſunt omnia, quorum nulla vis eſt vel ad rectius intelligendos libros ſacros, vel ad illuſtrandam ac defendendam religionem.

Nec in eo putamus ineſſe theologi, ſeculi ſui rationem habentis, prudentiam, ſi animi quadam levitate, et ſtudio omnibus placendi abreptus, *in ipſa religione incertus vagatur, nec habet, quod ſequatur, ſed decreta ſua ad morem publicum et multitudinis clamores ſtudioſe componit.* Nam quid poteſt vel turpius eſſe, vel perniciosius tali levitate, quae in rebus graviſſimis nutat, et aut novitatis lenocinio illecta, aut lucelli vel gloriolae ſpe ad imitationem tracta, cupide arripit et laudat quicquid fuerit novi prolatum ab his, qui ingenii fiducia elati, in contemnenda veritate et corrumpenda ſibi placent? Ab ipſa igitur religione, cuius veri-

tas mutari nequit et ſempiterna eſt, plane debet abeſſe omnis, immutandi reſingendique vetera, libido. Religionis integritatem retinendam a theologo, putamus, et incorruptam eſſe ſervandam, ſi vel maxime displiceret omnibus, cum eius doctrina non pendeat a perverſa ſeculi conſuetudine, ſed a docentis Dei ac poſtulantis ſapientia et ſeveritate, quae omnem humani ingenii petulantiam excludit ac reprimit. Sed cum in erudito theologo praeter earum rerum ſcientiam, quibus ipſius religionis natura continetur, etiam ineſſe debeat linguarum multarum non contemnenda facultas, omnis hiſtoriae accurata cognitio, philoſophiae acerrimum ſtudium, eorum omnium, quae adverſus religionem moliuntur homines et agunt, copioſa notitia ac perpetua animadverſio, tradendi denique ſingula et exponendi ſollertia dexteritasque ſingularis, quae ſit uſu multo multaque exercitatione contracta: facile videtis, Aud., in his copiis doctrinae et ornamentis vel deligendis, vel tractandis, theologum poſſe moris publici rationem habere, et in ea re non modo prudenter facere, verum etiam neceſſitati cuidam debere concedere.

Cernitur autem haec theologi prudentia primo quidem in eo, quod in colendis doctrinae theologicae partibus, earumque ſcientia

augenda, *non temere caecoque impetu fertur, ſed ea maxime amplectitur, quae temporibus accommodata, et ad illuſtrandam tuendamque religionem cuivis aetati videntur aptiſſima.* Cum enim tam late pateat doctrinae theologicae campus, ut unius hominis ingenio vix poſſit capi: theologi ſapientis eſt, illas potiſſimum colere partes, a quibus peti poſſe animadvertit, quae aequalibus ſuis maxime ſunt neceſſaria et utilia. Nam ut res humanae omnes ſunt mutationi obnoxiae: ita ſeculi publicique moris viciſſitudines facile efficiunt, ut etiam in theologia opiniones et res multae conſenescant ſitumque contrahant; aliae contra vel revocatae iterum prodeant, vel hominum ingenio procreatae edantur in lucem. Vanum igitur eſſet, Aud., ſi, quae iam ſepulta iacent, ac paene ſunt ex hominum memoria deleta, ſtudioſius amplecti, et accuratius discere vellet theologus, et in his saepe difficilibus nugis inanem demonſtrare induſtriam. Sic, ut exemplo utar, eo tempore, quo religionis emendatio ſuscipiebatur a maioribus noſtris, eruditus theologus aegre carebat philoſophia ſcholaſtica, qua Pontificii ad oppugnandam meliorem doctrinam naviter ſolebant uti. Si quis autem noſtro tempore induere ſe vellet in iſtius philoſophiae difficultates et captiones,

quae iam ab ipſis pontificiis contemnuntur, inutili profecto labore tempus conſumeret. Ac ſunt etiam in omni eruditione theologica res multae aliae, quae ſenſim obſolevere. Has quamquam delibavit theologus eruditus, ne ſit earum prorſus imperitus, imbibere tamen non poterit; ſtudioſe potius ea conſectabitur, quae nunc potiſſimum agitantur, ut diligentia ſua et animadverſione ſecutus conſuetudinem publicam, de inſtitutis moliminibusque novis rite poſſit iudicare. Huius vero prudentiae utilitatem neceſſitatemque, quis quaeſo eſt, Aud., quin intelligat? Cum enim non ita nati ſimus, qui dudum deſierunt vivere, ſed eo conſilio generati, ut *his*, quibuscum vel reipublicae, vel religionis ſocietate coniuncti ſumus: horum etiam commoda, horum ſalutem in omni actione, omnique vita ſpectemus neceſſe eſt. Unde ſponte conſequitur, ut ea ſint a nobis amplectenda, ac diligenter pertractanda, quae noſtra aetate non tam aliquo modo, quam certiſſime et maxime videantur prodeſſe.

Sed illa theologi prudentia, qua aetatis ſuae rationem habet, poſita etiam eſt *in aequitate modeſta, quae, quamquam minime diſſimulat ſeculi vitia, tamen iis bonis, quae vel inveniuntur ab hominibus eruditis, vel, cum intercidiſſent, iterum protrahuntur in lucem, et*

exornantur, lubenter utitur, eaque non, ut multi facere solent, propterea damnat ac respuit, quod novitatis veluti vitio laborant, ac tamquam labe quadam corrupta sunt. Nam sunt profecto vel iniqui et cupidi, vel imperiti vituperatores aetatis nostrae homines ii, qui existimant, quae in re theologica recte et vere dici praecipique possint, ea iam olim tam accurate perpurgata esse, ut suspecti sint omnes, qui nonnulla vel melius constitui posse profiteantur, vel subtilius pertractari. Docuit usus ipse, quotidie aliquid disci ab homine docto et observari, quod adhuc vel neglectum esset, vel perperam traditum. Atque si omnis humana cognitio habet hoc, ut nonnisi sensim, multorumque hominum ac seculorum coniuncta opera, crescat, et aliquam maturitatem adipiscatur: ea quoque doctrina, quae ad religionem pertinet, varie potest hominum industria emendari, illustrari, augeri. Quomodo igitur excusandum putatis, Aud., eum theologum, qui incrementis doctrinae theologicae, novissimo tempore partis, minime movetur; qui unice delectatur compendiaria siccitate, vulgaribusque decretis, quae iuvenis arripuit, eaque nec extorqueri sibi patitur, nec melioribus permutari; qui novatorum, quos appellat, scripta nec legit, nec examinat aequo animo, eaque omnia

diligenter fugit, quae a suis discrepare videt; qui denique, cum vel scribit aliquid, vel publice dicit, nostris hominibus e superiori seculo supersse videtur temporum aliquo errore, et in orbem plane alium e remota vetustate delatus. Sed facile animadvertitis, Aud., a tali homine, qui nulla aetatis habita ratione, securus secum habitet, nihilque admittendum censeat, quod a consuetudine antiqua abhorreat, parum vel potius nihil proficisci posse, quod vel ad locupletandam doctrinam theologicam eiusque fines proferendos, vel ad coercendam et reprimendam novatorum audaciam pertinere possit. Nam qui non sunt his ipsis litteris imbuti, quibus iam multi solent abuti, et ad corrumpendam religionis integritatem, et ad minuendam auctoritatem eius et evertendam: ii profecto perperam repetunt compendii decreta, perperamque accusant, cum non audiuntur, seculi levitatem atque malitiam. Sequi debent theologi et imitari hanc ipsam seculi industriam, quae omnia pertentat, anquirit, examinat; uti debent his ipsis incrementis humanae cognitionis ad illustrandam et vindicandam religionis veritatem, quae non metuit examinantium curiositatem; exercitati denique esse debent in eo ipso pugnae genere, quo iam utuntur religionis vituperatores, et eadem arma tractare posse

ne vel circumventi adverſariorum fraudibus cadant, vel armis vetuſtis parumque idoneis inſtructi, proclivi ad levitatem ſeculo ridendos ſe praebeant.

Videtur denique etiam *in modo differendi ac tradendi religionis doctrinam* aetati publicoque ſapori aliquid dare debere theologus, in quo profecto ſine omni periculo flectere ſe poteſt ad morem publicum et accommodare. Manifeſtum eſt, omnem religionis dignitatem tum conſervari, cum tradatur quam plurimis placeatque non modo imperitae plebi, quamquam et huic, verum etiam hominibus doctioribus, qui videri volunt ultra vulgus ſapere. Sed hoc teneri non poteſt, niſi voluerit theologus in illuſtranda religione, commendanda et exponenda componere ſe ad auditorum ſenſus, ipſaque orationis perſpicuitate, munditie, cultuque nativo ac modeſto eos allicere. Etſi enim religionis Chriſtianae ea vis eſt, ut ſuapte natura et gravitate mirifica ac plane divina hominum animos trahat commoveatque: tamen ea vis ſe aut prorſus non exſeret, aut certe frangetur paullulum, ſi eorum, qui religionem tradunt, infantia barbarieque obſcuratur ſalutaris doctrina, et ſordibus orationis contaminatur. Cavendum igitur eſt, ne in dicendo ſeculum prorſus negligat theologus, vel ſermone utatur, ab

aetate ſua plane alieno. Ut enim ſubinde ſolent veſtimentorum rationes mutari, ita et oratio ſuum habet ſeculum, ſuasque viciſſitudines. Iam ſi ea commoditas, quae habitum eligit temporibus locisque convenientem, non poteſt, ut omnes fatentur, abeſſe a theologi perſona: quis exiſtimaverit, differendi genus impune poſſe negligi? Equidem lubenter largior, publicum ſaeculi morem ſaepe tam corruptum eſſe, ut ad eum ſe componere, ſit in vitio. Videtur hoc dici poſſe de noſtro ſeculo, quod unice amat ſermonem turgidum, vibrantibus ſententiolis diſtinctum; ac poteſt hominum noſtrorum in dicendo conſuetudo comparari fere cum illa *Luctiorum* celebritate, qua *carni valedicere* videri volunt homines delicati et otioſi. Nam ut ibi quisque hoc agit, ut veſtitus genere prodeat novo, et excogitet habitum inſolentem ſibique proprium, compoſitumque ad riſum et admirationem: ſic iam homines noſtri ita videntur lubentiſſime amplecti aliquod genus dicendi, ut eſt maxime inſolens, ad oſtentationem comparatum, et variis quaſi diſtinctum coloribus. Haec vitia nos minime putamus a theologo imitanda eſſe, ne hoc meretricio vanoque cultu indigere videatur religio. Sed in eo dabit aliquid mori publico, ut elegantia ſermonis modeſta, quae incorrupto ho-

minum ſenſu omni tempore probatur, teneat auditorum animos, caveatque diligenter, ne rerum divinarum ſanctitatem ſordibus orationis contaminet, vel hac negligentia efficiat, ut, qui ipſius infantiam barbariemque faſtidiunt, ſenſim religionem ipſam contemnere incipiant.

Sed ne Vobis ipſe videar in dicendo temporis rationem negligere, Aud., cohibendus eſt orationis impetus, et agendum illud, quod animus iam dudum geſtit effundere et palam profiteri. Iam enim vota nuncupanda ſunt pro ſalute *Friderici Auguſti, Principis, Optimi*, cuius indulgentia hoc ipſum munus, quod nunc auſpicor, mihi nuper eſt impoſitum. Sed hanc munificentiam, quae me, hominem peregrinum, tot ac tantis beneficiis auxit, quomodo praedicem, profecto non invenio. Nam quae dicendi facultas, quae vis eloquentiae celebrare poteſt eius benignitatis magnitudinem, quam diu accuratius perpendo, vix cogitando aſſequor. Quae cum ita ſint, equidem bene memor imbecillitatis meae, precibus ad Deum factis eum pietatis ſenſum declarabo, quo Optimum Principem proſequor. Hoc igitur Te rogo, Aeterne Pater, hoc unum ſupplicibus a Te votis hodie precor: hunc mihi, hunc nobis omnibus ſerva principem; hanc tu Patriae Patri propriam eſſe gloriam iube, ut nobis ſit

quam diutiſſime pacis auctor, litterarum ſtator, religionis defenſor; hunc denique mihi, huno populariBus omnibus animum tribue, ſerva, confirma, ut *Principem Optimum*, ut eius *Auguſtiſſimam coniugem*, Dominam matremque noſtram, ut *familiam regnatricem omnem* colamus pie, omnique tempore deveneremur. Ita vero et *Amicos* Principis Numine tuo rege, benignitate complectere ac bea, vi denique Tua conſerva Pater immortalis, ut, quae Tuae ſapientiae ductu optima eſſe noverint, ea fortiter ac prudenter, Tua vi adiuti, ad ſalutem Patriae, perficiant. Patriam autem ipſam ita tuere, ita Tuis auge beneficiis, ut non modo tota floreat, ſed etiam haec Academia Tuae benignitatis vi conſervetur, et novis incrementis aucta vigeat. —

Vobis vero P. A. C. ita hodie gratias ago, Vos ita me colere ac devenerari profiteor, ut magis ex animo, maiorive pietate nemo profecto poſſit. Non iam commemorabo doctrinae, quae in Vobis eſt, ingentem copiam; nec ambitioſa oratione perſequar meritorum Veſtrorum de hac Academia, de univerſa patria, de litteris adeo omnibus, gravitatem: eas tantum laudes tangam, quorum commemoratio eſt huic diei propria, eamque benivolentiam praedicabo, qua me potiſſimum eſtis complexi. Vos enim,

Viri Ill. Exp. et Excell., Vos, inquam, me, iam fere colligentem farcimulas iterque parantem, tantopere cepistis humanitate, benivolentia et favore Vestro incredibili ac plane singulari, ut talibus Viris adiungi, a talibus Viris amari, maximam felicitatis meae partem esse putarem. Si quid igitur impolitum a me prodierit, quod sit rei publicae litterisque non inutile; si qua fieri per me poterit accessio ad communem salutem, et ad Academiae nostrae existimationem: eius rei laus praecipua ad Vos pertinebit, id prope totum debebitur Vobis, qui auctoritate, consilio, aequitate Vestra effecistis, ut ad eum gradum producerer, in quo iam collocatus sum. Equidem huius immortalis beneficii memoriam ita conservabo, ut, quo certius est, me Vestram benivolentiam nunquam humili oratione eblanditum esse, eo magis colam incredibilem aequitatem Vestram, et omni tempore demonstrem Vobis gratissimi animi pietatem.

Denique etiam Vos gratus alloquor, *Commilitones Gen. Nob. Doctiss.* Amici optimi. Quem enim saepe sum expertus vestrum in me favorem, eum nuper tot ac tantis documentis, tamque luculenter demonstrastis, ut haec publica eius rei commemoratio minime possit a me praetermitti. Quidni enim fatear, hunc

ipſum amorem Veſtrum, quo me omni tempore proſecuti eſtis, excitaſſe me ſaepe, cum res aliae animum deprimerent et affligerent, Veſtrumque favorem facile effeciſſe, ut meas rationes Veſtris commodis ſemper poſthabendas exiſtimarem. Vos igitur illam voluntatem erga me Veſtram retinete quaeſo, Comm. Opt., Vobisque perſuadete, me etiam inpoſterum omni ſtudio elaboraturum in eo eſſe, ut Vobis proſim, et in augendis Veſtris commodis et vitam omnem, et vires meas conſumam.

Vitebergae,
typis Chriſtiani Henrici Graviſteri.

Corrigenda

Volum. I.

fates pag 94 lin. 2 leg. vates
confitenter pag. 95 lin. 2 leg. confidenter
et alii pag. 99 lin. 19 leg. etiam
טדבר pag. 101 lin. 13 leg. מדבר
בון pag. 107 lin. 14 leg. כון
כטובתן pag. 109 lin. 15 leg. בטובתן
נית pag. 111 lin. 15 leg. נות
utendo pag. 112 lin. 18 leg. urendo
דכב pag. 120 lin. 22 leg. רכב
גבם pag. 121 lin. 3 leg. בם
Domine pag. 125 lin. 25 leg. Domini
בלביך pag. 129 lin. 19 leg. כלביך
גלמה pag. 132 lin. 5 leg. עלמה
עזד pag. 136 lin. 5 leg. עזך
ההנבא pag. 138 lin. 12 leg. התנבא
קרנות pag. 139 lin. 11 leg. קרבות
תדיע pag. 141 lin. 24 leg. תריע
Pag. 146 lin. 17 leg. ſenſim
es pag. 154 lin. 19 leg. et
θαυματηγεῖν pag. 166 lin. 4 leg. θαυματηργεῖν
viribus pag. 179 lin. 23 leg. vitibus
προσθεν pag. 203 not. 4 lin. 1 leg. πρόσθεν
τραγωδιαι ibid. lin. 2 leg. τραγωδιας
ioductio pag. 214 lin. 20 leg. inductio
δείξεως pag. 218 lin. 8 leg. δείξεως
μόρον pag. 268 not. 1 lin. 7 leg. μύρον
γίγεσθαι pag. 275 not. 9 lin. 5 leg. γίγνεσθαι
ralationibus pag. 285 lin. 14 leg. relationibus
optimi pag. 309 lin. 11 leg. optimis
emandavit pag. 331 lin. 16 leg. emendavit
Pag. 518 lin. 15 leg. ut his omni modo conſulamus.

Volum. II.

Pag. 4. lin. 19 רויד leg. דויד
— 8. — 2 Matyr leg. Martyr.
— 11. — 13 וגבורה leg. וגבורה
— 12. — 24 יהוה גבורות leg. גבורות יהוה
— 14. — 2. 3 in die zweite Zeile muſs kommen והריחו und in die dritte ביראת יהוה
— 19. — 18 פיו נשבט leg. בשבט פיו
— 20. — 26 müſſen die Wörter verſetzt werden, ſtatt ברוח שפתיו : שיפתיו ברוח
— 23. — 12 et, ſupra leg. et, ut ſupra
— 48. — 24 Evangeliſtae leg. Evangeliſtas
— 98. — 7 conſiſtunt leg. conſiſtant
— 100. lin. ult. noce leg. nocet
— 108. — 9 10 copia obruemur leg. copia, et
— 118. — 19 ſollte לעת noch am Ende dieſer Zeile ſtehen
— 119. — 8 ſenſum leg. ſenſim
— 126. — 21 pratermittat leg. praetermittat
— 128. — 14 ſingnificat leg. ſignificat
— 149. — 5 ingnavi leg. ignavi
— 154. — 11 κάρας leg. κάρας
— 184. — 14 aſſutum leg. aſtutum
— 232. — 20 eundem leg. eundum
— 247. — 15 iuſſis leg. iuſſit
— 284. — 18 alloqui leg. alloquio
— 299. — 7 proficiscantur repet. leg. proficiscantur et repet.
— 310. — 22 παρακαλεῖται leg. παρακαλεῖται
— 322. — 9 lucrum leg. luctum
— 327. — 27 marentis leg. maerentis
— 331. — 14 experti leg. expertes
— 373. — 2 latetur leg. laetetur
— 381. — 9 ſalatiorum leg. ſolatiorum
— 382. — 19 Θεὸς leg. θεὸς

Pg. 398. lin. 18 ſolationum leg. ſolatiorum
— 404. — 7 ex illa leg. ex illata
— 433. — 16 ὑτὸ leg. ὑπὸ
— 474. — 5 reddandam leg. reddendam
— — — 9 conſpicare leg. concipere
— 479. — 20 nel leg. vel
— 480. — 4 quaerendi leg. querendi
— 487. — 3 induere leg. indueret
— 494. §. 1. lin. 10 habitam leg. habilem
— 495. lin. 4 recordantur leg. recordentur
— 511. — 1 דרן leg. דרך

Vitebergae
typis Christiani Henrici Graefelsel.

Francisci Volkmari Reinhardi,

Phil. et Theologiae Doctoris,

Potentiss. Reg. Saxon. Consistorii aulici primarii et

Consiliarii in Senatu ecclesiastico et Consilio

Supremo,

Opuscula academica.

Volumen II.

Lipsiae,

apud I. Conr. Hinrichs.

1802.

Praefatio.

Opuscula academica S. V. *Reinhardi*, quae volumen hoc secundum idque ultimum amplectitur, alio quidem tempore aut ab ipso autore seperatim edita, aut in sylloge commentationum theologicarum, a *Velthusenio* aliisque adornata, recusa sunt. Neque tamen ab hoc nostro opusculorum *Reinhardianorum* corpore abesse debebant, quippe quo omnes huius scriptoris libelli academici, ordine chronologico dispositi, variis-

que aucti additamentis, continerentur. Inter libellos autem hic exhibitos, is maxime, qui *de vi, qua res pars* [illegible] inscribitur, ab autore recognitus et exornatus est.

Quod calci voluminis subiectum legitur *epitomes doctrinae Christianae fragmentum*, eo tempore *Reinhardus* conscripsit, quo Senatus ecclesiasticus supremus Saxoniae, ut eiusmodi libellus in usum scholarum et academiarum ederetur, ab ordine Theologorum Lipsiensi et Vitebergensi flagitaverat. Meditabatur *Reinhardus* brevem, perspicuam, et, cum literarum sacrarum effatis, tum temporum nostrorum rationibus consentaneam doctrinae Christianae expositionem, quam in quatuor

partes ita digerere volebat, ut prima notionem religionis, et naturalis, et revelatae, explicaret; secunda, argumenta, quibus Christianae religionis veritas continetur, commemoraret; tertia, fidei capita praecipua proponeret; quarta denique historiam religionis Christianae paucis perfequeretur. Antequam vero hic liber absolvebatur, epitome *Mori* in lucem prodiit, ut *Reinhardus*, sub idem tempus Dresdam vocatus, operis, quod inchoaverat, absolvendi consilium abiiceret. Nuper autem, quum *Reinhardus*, quam ante plures annos absolverat huius operis partem, cum *Boettigero*, Viro Illustri, forte communicasset, hic auctor fuit *Reinhardo*, ut hoc fragmentum opusculis suis subiici cura-

ret. *Reinhardus* libellum nondum absolutum emitti noluit; *Boettigerus* non destitit a sua sententia; tandem utrique visum est, me huius rei arbitrum facere. Ac ego quidem in *Boettigeri* partes concessi, quoniam, vindicando ab oblivione fragmento hoc egregio, me gratum facturum esse Lectoribus arbitrabar.

Scripsi in Universitate Literarum Vitebergensi, d. 28 Mart. 1809.

Car. Heur. Ludov. Poelitz.

I n d e x.

14. *Explanatio loci Isaiae XI, 1-5.* (Programma, Viteb. 1783). - - - Pag. 1

15. *De Christo, suam dum viveret resurrectionem praedicente.* (Programma, Viteb. 1784). - - 30

16. *De vi, qua res parvae afficiant animum, in doctrina de moribus diligentius explicanda.* (Programmata IV, Viteb. 1785—1787, quae, postquam in unum corpus redacta Viteb. 1789 prodierant, denuo nunc scholiis variis et additamentis aucta emittuntur. - 63

17. *De praestantia religionis Christianae in consolandis miseris.* (Programmata IV, Viteb. 1789 — 1791; — recuda in Commentatt. theolog., a *Velthusenio, Rupertio* et *Kuenoelio* editis, part. VI, p. 195 sqq.) Pag. 289

18. *Epitomes doctrinae Christianae fragmentum.* (Ex Manuscripto editum). - - - 494

14.

Explanatio loci Ies. XI, 1–5. ipsis sollemnibus diei natalis Domini A. C. cIↃIↃCCLXXXIII. publice proposita.

Rediit, *Carissimi Cives*, ac nobis illuxit denuo laetissimus ille dies, quem exhilarat natalis memoria Domini; quem ingens beneficium, nobis divinitus tributum, tam illustrem facit, ut alius debeat alium in certamen officii gaudiique, palam declarandi, vocare, nemo autem festae gratulationis societatem contemnere vel deserere. Etenim si ullum est tempus, quod excitatos hominum animos religione impleat, ad obsequium impellat, voluptate perfundat: hic profecto dies est, quo revocat Christianus orbis memoriam in lucem editi filii Dei, qui eo consilio in hanc terram descendit, ut hanc fragilem imbecillemque naturam nostram quasi manu ad immortalitatem felicitatemque posset

educere. Sed ad alendos in animo et augendos pietatis ac laetitiae sensus cum nihil sit efficacius, quam si cum ipsius beneficii, quod per Christum nobis contigit, magnitudinem et excellentiam diligenter consideremus; tum repetamus memoria vatum illa antiquissima carmina, quibus praedicta sunt omnia, quae videmus in Christo esse completa: placuit, super loco quodam *Isaiae*, quo nemo melius, nemo elatius cecinit, animoque praecepit beatissima tempora initurandae per Christum humanae salutis, nonnulla disserere, si quos forte pellemus hac vetuti gustatione ad relegenda hoc die, ac pie contemplanda vatum nostra allicere, quae hanc nostri temporis felicitatem portendunt. Existimabamus autem, hoc nostrum consilium vel ea de causa non inutile fore, quod in hac aetatis nostrae levitate ac petulantia laedunt fere antiqua prophetarum oracula, et palam contemnuntur palam; multis autem nihil continere videntur, quod ad Christum vere pertineat. Est autem locus is, quem nunc paucis explanabimus, apud Isaiam Cap. XI, 1— , ac praeclare illustrat dignitatem Domini, et opus illud ingens ac plane divinum, quod ad generis humani salutem suscepit Christus, hucusque adhuc praeclare perfecit. Sed ne quis existimet, nos orationi propheticae tribuere ten-

tentiam, quam non admittat consuetudo verborum: agite, iam primo *de hac verborum potestate diligenter quaeramus;* deinde vero *demonstremus, Christum eiusque beneficia clare praenuntiari.*

Differuerat igitur Iesaias eo capite, quod locum nostrum praecedit, inde a versiculo quinto de expeditione illa *Sanheribi*, regis Assyriorum, quae suscepta est Hiskiae tempore, et cuius historiam ipse fusius exponit Cap. XXXVI. Hoc bellum ingens, quo paene deleta fuisset res Iudaica, quam futurum esset exitu foedum, praedixerat Iesaias capite *decimo*, et exercitum Assyriacum, divina vi ad urbem una nocte ad internecionem caedendum, comparaverat cum nemore denso, cuius arbores omnes exscindendae sint ac deiiciendae. Iam hunc sermonem continuare videtur Iesaias interpretibus plurimis hoc ipso loco, cuius explanationem dabimus; quod, si quid videmus, nullo modo potest admitti. Nam argumentum loci nostri, et eorum, quae deinceps sequuntur, ab illo priori oraculo tantopere abhorret, ut, qui haec cohaerere existimant, res misceant longe diversissimas. Videtur autem is error profectus esse a similitudine formularum imaginumque, quibus Iesaias capite decimo dicendi finem fecerat, cum ea translatione, qua orditur

hanc novam orationem, res complexam prorſus alias; quod iam praeclare vidit ac demonſtravit *Dathe*. Sumamus igitur, quod ſatis manifeſtum eſſe videtur, verba, quae explananda ſunt, *eſſe orationis novae veluti exordium*, et nunc de eorum vi ac poteſtate paullo conquiſitius agamus.

Surculum igitur canit vates v. 1. *e ſecto caudice Iſaei progerminantem et efflorescentem e radicibus iſtius trunci ramulum*. Non obſcurum eſt, praedici *ſubolem* ſeu *filium*, qui genus ab Haeo, Davidis patre, ducat. Amant enim hanc translationem ſcriptores ſacri, cum de prole loquuntur. Noluit ipſe auctum novis incrementis populum Deo carum, appellat נצר, ſeu *arbuſculum*, Cap. LX, 21. Plane autem hoc modo de nobili quadam Davidis ſubole vaticinatur *Ieremias*, Cap. XXIII, 5. et XXXIII, 15., eamque צמח דויד, ſimili translatione, dicit. Etiam in *pſalmis* frequentatur haec imago, et exornatur ſaepe mirifice. Dominatur enim per integrum fere pſalmum LXXX. et venuſtatem magnam habet in loco pſalmi CXXVIII. ubi v. 3. hominis proli ac pii uxor comparatur cum *vite ferace*, liberi autem cum *virgulis oleagini*s, ſcilicet ſuccreſcentibus; add. Pſ. CXLIV, 12. Atque hoc modo intellexerim quoque Zachariae formulam

apud *Lucam* Cap. I, 78., ubi ἀνατολὴ ἐξ ὕψους eſt *divina proles, demiſſa caelo progenies;* nam ἀνατολή et alibi *furculum* ſignificat, ut in illo Zachariae prophetae, Cap. VI, 12.: ἰδὲ ἀνὴρ, Ἀνατολὴ ὄνομα αὐτῷ, coll. Cap. III, 8. et Ezech. XVI, 7., eoque modo verbum ἀνατέλλειν occurrit Hebr. VII, 14. Placuit autem haec apta translatio magnopere, ut notum eſt, etiam Graecis et Latinis, magnamque locorum ex hoc genere copiam congeſſit *Wetſtenius* ad Luc. I, 78., quibus liceat adiungere praetermiſſos nonnullos. Apud *Platonem* in *Sympoſ.* p. 1197. Diotima, de amore diſputans, quo parentes prolem complectantur, μὴ θαύμαζε, inquit, εἰ τὸ αὐτῶ ἀπεῤῥλάστημα φύσει πᾶν τιμᾶ. *Ovidius Metam.* l. IX. v. 280. Hyllum, dicit, Iole uterum impleviſſe *generoſo germine.* Et plane hoc modo *Ammianus Marcellinus* Conſtantii imperatoris, iam exſtincti, ſuperſtitem filiam unicam appellat *imperiale germen* l. XXVI. c. 26. p. 380. ed. Ernеſt. —

At hic ſuccreſcens furculus truditur, ut noſter ait, מגזע ישי, *e trunco, e ſecto caudice,* vid. Cap XI., 24. et Iob. XIV, 8. hoc eſt, *e ſtirpe Iſaei paene deleta et vehementer acciſa.* Quae res inprimis obſervari debet, quod ex ea iudicari poteſt, utrum de ſuis temporibus loquatur vates, an de remotis ac futuris.

Suo igitur tempore quomodo Davidicam gentem potuerit *truncum* appellare *fectum et aridum*, equidem non intelligo. Viderat enim prophetа ex illa gente principes optimos, rerumque gestarum magnitudine longe clarissimos, *Iesum* et *Iothamum* Cap. I, 1.; et quamquam *Achasi* imperium reipublicae funestum esset, tamen illa calamitas non tam stirpem Davidicam fregit, quam populum universum; nec legitur in libris sacris, gentem regiam eo tempore ad paucos fuisse redactam, similemve trunco, ramis ac fronde privato. Et esi profecto ista comparatio plane aliena a tali gente, *penes quam est summa dignitas*: tum demum arbori deiectae similis erat gens Davidica, cum, regia dignitate amissa, ad obscuritatem hominum privatorum detrusa esset. Pertinent igitur haec, ut videtur, ad alia tempora remotiora, suntque explicanda de prole quadam, illo tempore nondum in lucem edita. Quod quam bene consentiat cum his, quae sequuntur, infra planum faciemus.

Commemorat nunc propheta *virtutes et ornamenta*, quibus instructus esse debeat nascendus ille nepos Isaei, et v. 2. utitur in ea re verbis, quae dicendi consuetudo usurpabat *de prophetis, de oratoribus divinis, afflatu spiritus sanctissimi excitatis.* Esi enim Iesaias in

exprimenda imagine vatis cuiusdam et oratoris divini hoc loco tam diligens, ut nihil praetermittat, quod eam possit evidentem facere, et numeris omnibus absolutam. Primum enim viro, cuius dotes enumerat, tribuit רוח יהוה, quod saepissime dicatur *de afflatu divino, de instinctu et ardore, quo excitati vates et inflammati fundebant oracula, et futura praesentire solebant.* Quae potestas verbi dici non potest, quam frequenter in libris sacris recurrat. Iesaias ipse hoc verbum saepissime sic adhibet; veluti Cap. XLII, 1. LIX, 1. LXI, 1. etc., et apud *Hoseam* Cap. IX, איש הרוח permutatur cum verbo נביא, quod, ut notum est, de his viris dicebatur proprie. *Alexandrini* interpretes hanc Hoseae formulam vertunt apte ἄνθρωπος πνευματοφόρος, fere ut *Petrus* in altera epistola Cap. I, 21. ait, prophetas antiquos scripsisse φερομένους ὑπὸ πνεύματος ἁγίου. Est enim in novo testamento nominis πνεῦμα saepe prorsus eadem notio, quod nisi pervulgatum esset, facile possemus multis locis docere. Apte autem de hoc *spiritu* verbo נוח utitur Iesaias; nam qui illam vim divinam sentiebant, in eos *demissus esse* dicebatur spiritus, et in iis *conquiescere.* Hoc loci docent Num. XI, 25. et 2 Reg. II, 15.; in novo testamento autem verbum μένειν prorsus hoc modo usurpatur; vid.

Ioh. I, 33. XIV, 16, 17. et verbum καθίζειν Act. II, 3. Quare vehementer erraat *Iustinus Martyr* in *Dial. cum Tryph. Iud.* c. 87. p. 185. *ed. Bened.*, qui verbum ἀναπάεσθαι, quo hoc loco usi sunt Alexandrini, interpretatur πέρας παύεσθαι, et existimat, eum, quem canat Iesaias, inter omnes Iudaeos ultimum fore, qui utatur divino afflatu, et in ipso finem habituras esse has dotes in omni populo Iudaico. Hanc expositionem loci nostri etiam *Tertullianus* repetiit *adverſ. Marcion.* l. V. c. 8. p. 470. *ed. Prior.*, sed quam aliena sit ab omni consuetudine sermonis, nemo non intelligit. Placuit enim similis verborum usus etiam universae antiquitati. Nam omnes, quorum animi, ardore aliquo inflammati et excitati, vel futura videbantur praesentire, vel omnino sapientia singulari, commotionum vehementia, orationis flumine, affectu, torrentis instar, abreptae ac profusae, aliis antecellere, hi, inquam, omnes *divino spiritu afflari* putabantur, *et agitari*. Multa hac de re *Plato* disputat in *Phaedro*, et in *Ione*, inprimis p. 56—66. ed. Muller. *Plutarchus* autem in libello, quem scripsit *de oraculorum defectu*, philosophatur super illo *spiritu divino*, quem nominibus variis, μαντικὸν ἐνθουσιαστικὸν πνεῦμα, τὴν τοῦ πνεύματος δύναμιν appellat, eiusque naturam

effeciſſe putat *anhelitus quosdam terrarum*, quibus inflatae mentes oracula funderent, quae etiam *Quinti* eſt apud *Ciceronem* opinio *de Divin.* l. I. c. 50. add. *Ammianus Marcellinus* l. XXI, c. 1. *Lucanus Phars.* l. V, 85. 84. de ſpiritu Delphico:

Ut vidit Paean vaſtos telluris hiatus
Divinam ſpirare fidem, ventosque loquaces
Exhalare ſolum.

Huc etiam pertinet eius ſcriptoris locus integer l. V, 70—224. et *Ariſtoteles de mundo* c. 4. p. 373. add. *Valerius Maximus* l. I. c. 8. 9. 10., ubi de Pythica vaticinatione locutus ſimilibus formulis utitur. *Virgilii* de Sibylla locus Aen. l. VI, 47—51. notus eſt. Ita etiam alii ſcriptores ſaepe loquuntur. Veiens ille ſenex apud *Livium* l. V. c. 15. negat, *ſe revocare poſſe, quae* divino *ſpiritu inſtinctus ecciniſſet. Seneca* autem *ep.* XXVII. *Sibyllam concitatam* appellat, *et inſtigatam, multumque habentem in ſe* ſpiritus, *non ſui. Longinus* denique, ut iam praetermittamus alios, in libello περὶ ὕψους, ſect. XIII. πολλοὺς, ait, ἀλλοτρίῳ ἐνθουσιᾶσθαι πνεύματι, et exempli loco affert *Pythium*; ſect. XXXIII. autem ipſam poetarum excitationem ἐμβολὴν τῆ δεινότητι πνεύματος dicit, ſecutus in ea re commune antiqui-

tatis indicium. Sed quorsum haec omnia? Nempe ut intelligatur, non tenere verborum conuectudinem, et ab antiquitatis sensu prorsus discedere, qui existiment, Iesaiam hic omnino canere *virum magnum, maximisque virtutibus praeditum*; quae est multorum huius loci interpretatio. Omnia enim indicant et demonstrant, *propheiam* describi, *vatem aliquem oratoremque divinum, spiritus sanctissimi afflatu ad mouendos, instituendos, corrigendos hominis commotum et excitatum.* Quod nisi probe teneatur, erratur facillime in definienda persona, ad quam pertineat vatis oratio; quod etiam saepe factum est, ut infra videbimus.

Quae hactenus diximus, ea confirmantur etiam *nominibus*, quibus Iesaias in his, quae sequuntur, *virtutes* praedicat, ab hoc afflatu divino profectas. Scio equidem, interpretes in explicanda ac distinguenda notione verborum עצה תכמת, גבורה cet. non admodum curiosos esse, sed praecipere abundantiam copiamque prophetici sermonis ad hoc unum redire, virum, quem praenuntiet, *fore virtutibus omnibus excellentem et ornatissimum.* Sed quamquam animus vehementer abhorret a temeritate eorum, qui hic vel *numerum* venantur *septenarium*, qui ipsis videtur valde *μυστικὸς*; vel, ut offendant, differre horum verborum signifi-

cationem, definitiones afferunt, e philosophorum libellis petitas; quod argutum et inane interpretandi genus recte vituperat *Clericus*, in *commentario* ad h. l. tamen loquendi usus apud Hebraeos ipse tribuit his verbis vim diversam, quae hic minime negligenda est. Ac primo quidem חכמה ובינה de iis dici, qui sint *sapientes et intelligentes*, in primis autem de his, *qui sint uberiori rerum divinarum cognitione instructi*, qualis erat prophetarum scientia, nemini incognitum est; in hoc igitur non haerebimus. Falluntur autem, qui existimant, verbis, quae sequuntur, עצה וגבורה, fere idem indicari. Etsi enim simpliciter notare possunt rem fere eandem: coniuncte tamen aliam saepe vim accipiunt, maxime hoc loco, qui *vatis* cuiusdam divini attributa enumerat. Etenim verbum יעץ non semper habet potestatem *consulendi;* sed interdum est *monere*, *vaticinari ac praedicere aliquid.* In verbo Arabico بحر hunc usum dominari, notum est; sed est illa vis etiam scriptoribus sacris, inprimis Iesaiae, non incognita. Locus quidem Num. XXIV, 14. hanc potestatem manifeste postulat; Bileamus enim, qui ibi loquitur, *non consilia dat*, sed *vaticinatur* et oraculum fundit de futuris populi Israelitici opibus. Atque haec verbi expositio etiam bene illustrat locum Iesaiae Cap.

XLI, 8?., ubi non de *confiliariis*, fed, ut tota oratio demonftrat, de *vate*, *futura canente*, fermo eft, qui dicitur יועץ. Ipfum denique nomen יעצה Cap. XLVI, 10. 11. multo rectius, ut *Michaelis* iam monuit in *Collegio Critico fuper tribus Pfalmis Meffianis* p. 181. 149. de *praedictione rerum futurarum* accipitur, quam de confilio; atque hoc modo iam Cap. V, 19. hoc nomen pofuerat Ifaias. Nec mirum videri debet, verbo יעץ hanc poteftatem faepe fubiici. Conftat enim, prophetas olim hac potiffimum ratione contulaiffe reipublicae, ut praedicerent confiliorum eventus, et in rebus dubiis indicarent futura. Haec igitur fi funt confuetudini fermonis accommodata, uti profecto funt: quis non intelliget, quam apte hic tribuatur oratori, quem Ifaias deferibit, divino, *futura praenuntiandi facultas*, quae non poterat abeffe ab eo, qui prophetae auctoritatem apud Ifraelitas volebat tueri. Sed in tali viro nec defiderari debebat רוח גבורה, hoc eft, *portenta et miracula edendi poteftas*. Nihil tritius eft in libris facris hac fignificatione nominis גבירה. Nam faepiffime celebrantur יהוה גבורות, *ingentia facta, miracula*, quae Deus ediderat. Locus perpetuus eft apud *Mofen* Dent. III, 24.: Ifaias ipfe ita loquitur Cap. LXIII, 15.; in pfalmis autem frequentatur hoc nomen, veluti Pfalm. CVI, 2.

CXLV, 4. 12. cet. Ab oratione Hebraica etiam ad novum teſtamentum dimanavit iſta loquendi conſuetudo; nam miracula ſaepiſſime dicuntur δυνάμεις, vid. Matth. VII, 22. XIII, 58. Marc. VI, 5. et alibi; Chriſtus autem ipſe hac de cauſa appellatur ἀνὴρ προφήτης, δυνατὸς ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ, *vates et docendi et portenta edendi facultate inſtructus*, Luc. XXIV, 19. quem Deus inſtruxerit πνεύματι ἁγίῳ καὶ δυνάμει Act. X, 38. ſimilique formula *Stephanus* etiam *Moſis*, ſummi ac celeberrimi vatis, dignitatem deſcripſit Act. VII, 22. Quae tandem in fine verſiculi adiiciuntur, רוח דעת ויראת יהוה, nemini poterunt obſcura eſſe; etenim cum Hebraei *religionem* appellare ſolcant דעת יהוה, vel יראת יהוה, eſt enim utriusque formulae vis plane eadem; conf. Prov. IX, 10. Pſalm. XIX, 10. facile intelligitur, praedici hic *afflatu divino commotum religionis magiſtrum*, quales erant, qui prophetarum munus inter Iſraelitas adminiſtrabant.

Sequitur, ut de verſiculo *tertio* nonnulla diſputemus, ubi noſter continuat laudes magni illius oratoris divini, cuius veluti imaginem coeperat delineare. Accedimus autem ad illuſtrationem huius verſiculi paullo timidiores, quod ſtatim ab initio verbum habet longe difficillimum, in quo explicando ſuccenſus vel

eruditiſſimos deſtituit interpretes. Quis enim eſt, quin ſentiat obſcuritatem formulae יהוה והריהו ביראת, quam etiam ſatis teſtantur interpretum expoſitiones longe diverſiſſimae. Plurimi enim verbo הריח vim *odorandi* ſubiiciunt, et locum vel de *victima* intelligunt, quam ſit oblaturus hic vates Deo, quoniam in tali cauſa hoc verbum paſſim adhibetur; quae tamen expoſitio ab adiunctis penitus abhorret; vel *ſagacitatem in iudicando et* ἀκρίβειαν improprie putant eo verbo laudari; quae ſententia non male cohaeret cum his, quae ſtatim adiiciuntur; quare plurimi explanatores eam ſunt amplexi, levibusque mutationibus additis varie exornarunt. Vetuſtiores ex hoc genere *Vitringa* recenſet in commentario; quibus addendi ſunt e recentiſſimis *Lowthius*, *Dathius* et alii. Equidem lubenter hanc rationem ſequerer, ſi confectum eſſet, Hebraeos verbum הריח eodem modo transtuliſſe, quo verbum *odorari* Latini ſolent improprie *de prudentia*, *ſagacitate*, *interdum etiam de calliditate et malitia* ponere. *Cicero* quidem *ad Attic.* l. IV. ep. 8. eleganter, *tu*, inquit, *velim e Fabio*, *ſi quem habes aditum*, odorere, *et iſtum tuum convivam deguſtes*: epiſtola autem XVI. eiusdem libri *odorem dictaturae* dicit *de levi ſuspicione*, de *auditiuncula* quadam, ut *Gellius* in tali cauſa

loquitur; eodemque modo differit et alibi saepius. Sed Hebraeos hoc tropo usos esse, in quo etiam si deformis quaedam similitudinis cogitatio, quae mentem trahit ad sagaces nares canum, *ad odorum canum vim*, ut *Virgilius* ait *Aen.* l. IV, 13 ., nemo demonstraverit; loci certe Iob. XXXIX, 25. et Iud. XVI, 9., qui a nonnullis afferuntur, sunt e genere plane alio. Ipsi Latini hoc tropo non utuntur in oratione gravi, quae dignitatem habeat, et sit paullo elatior; sed cum vel *contemtum* significant, vel negligentius scribunt, et familiariter. — Interpretes antiqui tantum non omnes tenuere vim verbi eam, qua significat *inflare*, *afflare*; quamquam videantur finitum tempus וְהֵרִיחוֹ legisse, et ad antegressum רוּחַ retulisse. *Alexandrini* enim vertunt ἐμπλήσει αὐτὸν πνεῦμα φόβου θεοῦ, quod ad verbum expressit *Hieronymus*. *Chaldaei* paullo liberior interpretatio: *ad timorem Dei eum adducet*, ab eodem verbi רוּחַ intellectu manavit, mutato tropo in orationem propriam. Ho- *Michaelis* sequitur locumque vertit: *et inspirabit eum*, nempe spiritus Iehovae *timore Iehovae*. Sed hoc propterea vix admittendum videtur, quod vates rem prorsus eandem bis diceret; ne verbulo quidem alio interiecto, nam in fine versiculi secundi idem iam tribuerat πνεύματι divino

Quod vero expositioni interpretis Syriaci favet *Vir. Generos.* in *Bibl. Or.* Part. XIV. p. 145., qui legisse videtur וזרחו, *ortus eius erit in timore Domini*, hoc est, *religionis ac pietatis sensu ductus adolescet:* in eo ipsi non assentior; partim quod vereor, ut illa vis, quam tribuit verbo זרח, consuetudini sermonis satis conveniat; partim quod haec sententia aliena est a reliquis versiculi partibus, quae non *adolescentem* describunt hunc vatem, sed iam maturum, iam admotum imperio, ac reipublicae praefectum. Si qua igitur deligenda est expositio in hac opinionum varietate ac discrepantia: equidem eam praetulerim, quam *Clericus* iam proposuit, quae etiam, ut *Michaelis* observavit eodem loco, firmatur usu verbi Arabici أَرَاحَ, spiritum ducere, putaverimque, vim esse, *nihil spiraturum esse hunc vatem, nisi pia.* Liceat tamen et aliam interpretationem tentare, ad quam reliqua oratio animum videtur deducere. Manifestum est e formulis, quibus et hoc versiculo, et in his, quae deinceps sequuntur, usus est Iesaias, vati, cuius laudes canit, etiam *regis* dignitatem tribui, cuius sit summa cum in renumerandis civibus bonis, tum in coercendis et reprimendis malis aequitas et iustitia. Alienum igitur ab hoc argumento non esset, si haec obscura formula convertere-

tur: *ipſa eius indignatio non erit a religione abhorrens, etiam cum iraſcitur, cum in adminiſtranda republica cogitur poenas infligere, religioni obtemperat, eiusque ſenſu regitur.* Equidem lubenter largior, verbum הריח ipſum in libris ſacris hoc modo non adhiberi; ſed eſt hic locus omnino ita comparatus, ut, quamcunque fere expoſitionem elegeris, huic verbo ſit tribuenda poteſtas rarior, quae non poſſit aliis exemplis demonſtrari. Eam vero, quam nos propoſuimus, confirmat uſus *nominis* רוח, quod ſaepe *de ira et indignatione* ponitur. Noſter ipſe Cap. XXX, 28. iram divinam, poenas immittentem, רוח appellat et hoc verbum commutat cum nominibus אף et זעם; atque ſic Sap. XI, 20. οἱ λικμηθέντες ὑπὸ πνεύματος δυνάμεως ſunt vi irae divinae fracti. Eandem poteſtatem nomini רוח ſubiectam eſſe Ier. LI, 11. Iud. VIII, 3. Prov. XXIX, 11. Cohel. X, 4. nemo non dabit, qui hos locos volet inſpicere, רוח כביר denique Iob. VIII, 2. dicitur manifeſte de ſermone hominis indignabundi. Iam cum infinitivi verborum ſaepe ponantur loco nominum in oratione Hebraica: a loquendi uſu non aberrabimus, ſi notionem nominis רוח huic verbo tribuerimus. Conſtat autem, etiam Graecos et Latinos verba πνέειν, ἐμπνέειν, *ſpirare*, *anhelare*, et id genus alia, transferre ad

indignationem et iram, et varie uſurpare, quod facile poſſemus, ſi opus eſſet, locis multis docere. Exempla quaedam *Wetſtenius* dedit ad Act. IX, 1. et multa ex hoc genere reperire me memini apud *Ammianum Marcellinum*, cuius oratio, ut notum eſt, ſaepe paullo audacius aſſurgit, et poetas imitatur; conf. l. XVI. c. 1. p. 63. et l. XXII. c. 3. p. 242. Hoc igitur ſi ſumimus, bene cohaerent, quae adiicit propheta, *hunc virum non decipi externa ſpecie, non ſequi in vituperando incertos rumuſculos, vel delatorum calumnias*, quae ſaepe incendunt iram, et in innocentes vim eius convertunt.

Pergit iam v. 4. docere vates, qualis *in imperio* futurus ſit hic ab ipſo Deo excitatus princeps. *Miſeros*, inquit, *benigne reget*; ita enim accipiendum videtur nomen דַּלִּים, quod ſaepe *favorem benevolentiamque* ſignificat: nam de iuſtitia, quae ſuum cuique tribuit, diſputatur v. 5. *Leuem* igitur et clementem vel erga miſeros, quos ſaepe negligit et aſpernatur principum faſtus, hunc regem fingit propheta; eique *aequitatem ſummam in cognitionibus et diſciplina conformandis hominibus eorum infimis et obſcuris tribuit*; vid. Pſ. XLV, 7. LXVII, 5. Scilicet omnia quae noſtrum hic princeps, omnia quae ſequitur et agitat, ad

religionem pertinere demonstrat propheta; quare afflatu divino instigatum eum statim ab initio induxerat. Nihil igitur magis convenit cum universa loci natura, quam si etiam haec *castigatio* intelligatur de *institutione ac disciplina salutari*, qua ad fingendos et corrigendos hominum omnium animos, etiam infimorum, sese demittat divinus princeps. Ita etiam *Clemens Alexandrinus* hunc locum interpretatur in *Paedag.* l. I. c. 7. p. 134. *ed. Pott.* Ὁρᾷ, inquit, καὶ τὴν ἐπιμέλειαν, καὶ τὴν σοφίαν, καὶ τὴν δύναμιν τῶν παιδαγωγῶν — τὸ γὰρ ὑπὸ Κυρίου παιδαγωγηθῆναι, θανάτου ἐστὶν ἀπαλλαγή.

Sed idem rex etiam *severior est in coercendis malis*, qui salutaris disciplinae beneficium non admittunt; inde fit ut *terram dicatur percutere* בשבט פיו. Displicuit haec formula *Hubigantio*, et post hunc *Lowthio*, qui, membrorum aequalitati consulentes, maluerunt fictum nomen, inclinatum a verbo נשב, quod est *flare*, receptae lectioni praeferre, ut verti posset: *oris flatu vel halitu affliget terram.* Sed nihil opus est ista mutatione, partim quod destituitur auctoritatibus veterum; partim quod verbum הכה, quod de *baculo* saepissime dicitur, ponere propheta non potuisset si voluisset adiungere nomen, quod *halitum* significaret. Nec offendere quemquam debet audax trans-

latio, qua *baculus oris* exprimit *sententiarum severitatem*, quae contumaces ac rebelles reprimit et vi coercet. Dandum hoc est ingenio Iesaiae calidiori, qui etiam infra, Cap. XLIX, 2. *os suum*, hoc est *sermones graves* comparatos ad commovendos hominum animos, cum *ense acuto* confert. Haec enim non magis vituperanda sunt, quam quod res eadem a *Iohanne* in *Apocalypsi* Cap. I, 16. indicatur imagine *gladii acuti, ex ore prominentis;* add. Cap. XIX, 15. et Hebr. IV, 12. inprimis autem Sap. XVIII, 15. 16. vel quod Graeci et Latini sermonibus iis, qui animum vehementer conturbant, et aliquid in eo relinquunt, quod urat, et molestam sollicitudinem creet, *aculeos*, non minus audaci translatione, tribuunt; qua de formula poti *Ernestium* in *Clave Ciceroniana;* et poti *Wesselingium* ad *Diodorum Sic.* l. XII. c. 10. nemo doctus praecipit *Wyttenbachio* ad *Plutarchi libellum de sera numinis vindicta* p. 7 sqq. Manifestum igitur est, *severitatem in compescendis iis, qui leniora a salutaris disciplinae impatientes sint*, hoc loco praedici; eandemque rem aliis verbis eloquitur Iesaias extremo hoc commate, cum hunc principem inducit *fontes interficientem* שפתיו ברוח. Nam etiam haec formula significat *edicta, iussa sententiam* ab hoc rege pronuntiatam, cum

ſumma vi coniunctam. Prorſus hoc modo infra Cap. XXXIV, 16. nomen רוח de *oraculo iuſſuque Dei* dicitur, quod adiectum nomen פי facile demonſtrat, et Pſ. XXXIII, 6. hoc verbo indicatur illud Dei iuſſum, cuius vi in lucem et adſpectum prodiit haec rerum univerſitas. *Paulli* locus 2 Theſſal. II, 8, ubi memoratur πνεῦμα τοῦ στόματος τοῦ Κυρίου, quod ſit τὸν ἄνομον deleturum, vim habet plane eamdem; alibi magis perſpicue dicitur τὸ ῥῆμα τῆς δυνάμεως, veluti Hebr. I, 3.

Sed quoniam ſine *iuſtitia et incorrupta fide* nulla eſt ſalutaris reipublicae adminiſtratio, etiam has virtutes divino illi principi tribuit Ieſaias v. 5. Utitur autem hac in re translatione ſatis cognita, qua *tunicae, cingula, atque omnino veſtimenta*, quae corpori proxime adhaerent, de *moribus animique* dicuntur *virtutibus*, ac *de rebus iis, quibus operam dat aliquis, vel quas comparare ſibi* labore, ſtudio et exercitatione *debet*. Locus noſtro ſimilis eſt Cap. LIX, 17. et notabilis illa *Iobi* vox huc pertinet Cap. XXIX, 14. add. etiam Pſal. CXXXI, 9. *Siracides* Cap. XXVII, 8. eodem modo, *ſectare*, inquit, *iuſtitiam*, καὶ ἐνδύτῃ αὐτὸ, ſcilicet τὸ δίκαιον, ὡς στολὴν δόξης. Vehementer delectatur hac locutione *Paullus*, qui benivolentiae et amoris ſenſum, qui novum ho-

minem, hoc est, emendatos mores et sanctos, qui Christum adeo ipsum induere iubet Christianos, seu imitatione exprimere, et aemulari perfectissimum virtutis exemplar, quod in Christo est; vid. Col. III, 10. 12. 14. Eph. IV, 24. Rom. XIII, 12. 14. Gal. III, 27. Atque sic accipiendum quoque illud *Petri:* τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε, *estote modestiae studiosi*, 1 Petr. V, 5; nam hoc verbum proprie de *vestimentis induendis* usurpari, multis locis demonstravit *Wetstenius*, qui etiam videndus est ad Rom. XIII, 14, ubi scriptorum humanorum locos attulit, qui et ipsi verba *exuere* et *induere*, ut notum est, plane sic adhibent saepissime. Praedicit igitur Iesaias hoc versiculo, *principem illum fore iustissimum sanctissimumque, hisque virtutibus ita exornatum, ut nullo modo possint ab ipso divelli.* —

Si quis igitur hunc totum locum, quem hactenus tractavimus, voluerit, detractis imaginum ornamentis, eloqui verbis propriis, hanc fere reperiet eius esse sententiam: *ex Isaia stirpe, ad incitas redacta, orietur vates quidam plane divinus, qui rerum divinarum scientia, futurorum praesensione portenta edendi facultate, religionis denique docendae studio longe celeberrimus erit. Is ad rempublicam admotus etiam cum indignabitur, religionis vi*

regetur, et in iudicandis hominibus, nulla deceptus externa specie, summam demonstrabit prudentiam et aequitatem. Igitur in administrando imperio eam tenebit rationem, ut in tuendis ac salutari disciplina formandis hominibus etiam infimis sit longe benignissimus, sed severitatem quoque in coercendis civibus malis, cum id postulaverit publica salus, manifeste demonstret. Erit enim et iustitia eius summa, et fides plane incorrupta.

Veniamus nunc ad id, ad quod iam dudum festinat oratio, et, supra fuit propositum, doceamus, *portendi hoc oraculo Christum*, eiusque in genus humanum beneficia. Ac primo quidem ex eo quod *a gente prorsus accisa*, et ad incitas redacta, genus ducere debet divinus ille princeps, quem canit Iesaias, consequitur id, quod iam observavimus supra, de *suis* temporibus non intelligi posse prophetam. Nam parum commode eam gentem, quae eo tempore tenebat imperium, idque stabile, quod ipse saepe suis oraculis confirmaverat, *pauperculam* diceret, et ad obscuritatem hominum privatorum deiectam. Nisi igitur volumus vim inferre orationi propheticae, concedendum est, hoc oraculum pertinere *ad tempora remotiora*, quae viderunt Davidicam gentem, amissa dignitate regia, miseram et inopem. Inde autem

porro fit, ut parum diligenter in explanando hoc loco verſentur ii, qui ad *Hiskiam* omnia transferunt; quod fecerunt omni tempore multi. Iam veteres nonnulli, ut *Ephraemus*, *Syrus*, et alii, exiſtimarunt, indicari hoc loco Hiskiam, aequalem Iesaiae, eiusque laudari cum pietatem, tum in administranda republica iuſtitiam, coniunctam illam cum magna Iudaeorum felicitate, quae maxime conſpicua fuerit poſt ſtragem illam Aſſyriorum, quae accidit, poſtquam per annos XIII. regno iam praefuerat Hiskias. Hanc expoſitionem poſtea imprimis ornavit *Grotius*, quem ſecuti ſunt, ut ſit, interpretes alii multi. Nec displicuit Iudaeis haec ratio, quorum nonnulli Iesaiae locum ſic explanarunt, nominatim *Aben Esra*. Sed Chriſtiani interpretes, qui huius oraculi eventum proprium in Hiskia quaerebant, ſolebant etiam illud addere, proſpici ſimul et ſubindicari *Chriſtum*, in quo haec omnia multo plenius contigerint. Haec autem Chriſti veluti veſtigia penitus delenda cenſuit nuperrime ſcriptor is, qui profeſſus eſt, velle ſe ſuper libris ſacris epiſtolas ſcribere, quae habeant *genus dicendi populare* et accommodatum ad omnium ingenia; quibus autem nihil vidimus ab intelligentia multitudinis alienius. Is igitur p. 141 ſq. ita de Hiskia exponit hunc locum, ut neget,

Christum ullo modo spectari; omninoque in interpretandis prophetarum locis eam rationem tenet, ut ad vanas Iudaeorum opiniones referat, quicquid unquam de oraculis ad Christum pertinentibus disputatum est. Sed huic expositioni, quae ad *Hiskiam* applicat hunc locum, repugnant tantum non omnia. Gentem Isaei, cum nasceretur Hiskias, non fuisse trunco simillem, penitus succiso, iam monuimus. Videtur etiam Iesaias *futurum* adhuc, et eo tempore, quo oraculum suum proponeret, nondum in lucem editum principem canere, ut facile dabunt omnes, qui animo, a destinata sententia vacuo, hunc locum voluerint perlegere. Sed hoc unum penitus tollit opinionem eorum, qui hic putant Hiskiam nuntiari. Nam omnia suadent, Iesaiam edidisse hoc vaticinium regnante Achaso. Atqui illo tempore Hiskias iam ad aliquam aetatem adoleverat. Etenim Achasus hunc filium iam ante procreaverat, quam ipse ad rempublicam accederet. Regnavit enim, ut constat, annos XII, Hiskias autem, cum imperium capesseret, iam expleverat annos XXV; unde sequitur, ut Hiskias iam fuerit annos natus XII, cum Achasus regno praeficeretur. Quis autem non intelligit, quae Iesaias hic decinerit, parum commode dici potuisse de principe iuventutis, qui eo tempore iam superave-

rat aetatem puerilem? — Nihil autem magis abhorret a perſona illius regis, quam *oraculi argumentum ipſum.* Vidimus enim, *vatem* praenuntiari, dotibus omnibus inſtructum, quibus oratores divini commendari ſolebant, et auctoritatem conſequi. Iam etſi lubenter largimur, Hiskiam religionem plurimum profuiſſe, et in reformanda eius dignitate puritateque multum ſtudii poſuiſſe multumque induſtriae; cuius rei cauſa eum vehementer laudant ſcriptores ſacri, eiusque memoriam poſteritati commendant: illud tamen, quod caput rei eſt, et ad quod omnia redeunt in hac cauſa, futurum principem fore *prophetam*, quis quaeſo Hiskiae tribuerit? Iis enim dotibus, quae prophetam ornabant, caruiſſe hunc regem, ceteroquin pium et eximium, id ipſum ſatis docet, quod *Iesaiae* conſiliis uſus eſt, ſeque totum in rebus graviſſimis ad eius auctoritatem contulit; conf. Cap. XXXVII, 2. Concedamus etiam hoc, ne quid videamur diſſimulare, Hiskiam interdum ſenſiſſe vim illam, quam veteres Hebraei ſpiritum Iehovae appellare ſolebant; eum enim carmina confeciſſe, quae vulgo putabantur non ſine quodam afflatu divino cani, manifeſtum eſt, cum tale carmen perſcripſerit ipſe Iesaias C. XXXVIII, pſalmus autem CII, etiam ab Hiskia vocatur compoſitus: tamen contente interpretabitur, nec

tenebit vim verborum, quisquis hoc modo putaverit Iesaiae vaticinio satisfactum esse. Neque enim *vulgarem* prophetam praenuntiat hoc loco Iesaias, ut iam vidimus; sed excellentem plane, et omnibus numeris absolutum; qui futura praesentiat, qui miracula edat, qui religionem publice doceat: quae quomodo possint ad Hiskiam pertinere, equidem non intelligo. Illud porro, quod nostrum locum *sequitur*, et apte cum eo cohaeret, ab Hiskiae persona penitus abhorret. Quis enim dixerit, Hiskiam restituisse *seculum aureum*, quod magna imaginum evidentia describit Iesaias v. 6-9. Etsi enim in talibus locis non omnia sunt ad vivum resecanda, sed dandum aliquid excitationi prophetae, qui omnia verbis auget et exaggerat: tamen sive adulatione vanissima de Hiskiae temporibus non potuisset Iesaias ista omnia praedicare. Hoc inprimis confirmat v. 10, ubi is ipse *surculus*, enatus e trunco, fingitur excrevisse *in arborem sacram*, ad quam congregandi sint *Iudaei*, *quam consulere tanquam oraculum ac venerari debeant gentes barbarae*; quod, troporum umbra dispulsa, nihil aliud indicare potest, quam vatem illum divinum et Iudaeorum, et exterarum gentium fore magistrum; in quo est signum Messiae, quod cadit in alium neminem. Hoc etiam *Paulli* demonstrat aucto-

ritas, hunc ipsum locum ad Christum transferentis, Rom. XV, 12., eumque olim vulgo fuisse de Messia intellectum, docet etiam petita illa Christi ex hoc loco appellatio ῥίζα Δαβίδ, quae aliquoties occurrit in *Apocalypsi*, vid. Cap. V, 5. XXII, 16. Haec omnia tam perspicua sunt, ut pervertere leges interpretationis legitimae, et torquere vatis orationem videantur, qui eam proprie de *uno Hiskia* agere contendunt. Multo minus assecuti sunt huius loci vim ac potestatem, qui eum ad *Sorobabelem* traxerunt; quod tamen, quoniam nimis contortum est et improbabile, nonnisi pauci fecerunt. Nam etsi illud verum est, Sorobabelem fuisse surculum Davidicae stirpis iam paene excisae: tamen nec *propheta* fuit, nec religionis magister, quem etiam *barbarae gentes* audirent; nec omnino ea egit, quae gravitati huius loci satisfacerent. Iam cum omnis rerum memoria praeter hos duumviros habeat neminem, ad quem hic locus commode possit pertinere, praeter *Christum*: legitima videtur, ac verissima eorum expositio, qui Eum *proprie et unum* a propheta praedictum esse existimant; in quo, rei evidentia compulsi, consensere omni tempore plurimi interpretes, quorum nomina iam nihil attinet copiosius recensere.

Eſt autem, *Cariſſimi Cives*, manifeſtum, et *eventu ipſo* comprobatum, Chriſtum fuiſſe talem, qualem praenuntiat prophetae oratio, et peregiſſe, quae hic dicuntur, omnia, eaque cum maxime perficere. Duxit enim genus ab Iſaei ſtirpe per Mariam, matrem, ut inter omnes conſtat. Fuit orator Dei ad genus humanum ſummus, dotibus inſtructus plane divinis prophetarum omnium princeps, ex ipſo patris ſupremi gremio ad hanc terram demiſſus; Ioh. I, 18. III, 34. Ebr. I, 1. 2. Docuit religionem praeſtantiſſimam, eamque non tantum popularibus expoſuit, ſed orbi terrarum deſtinavit. Eſt denique ad dignitatem in caelis ſummam evectus, eaque vi, quam a patre accepit immenſam, effecit hoc, ut impedimentis multis gravibusque ſublatis, ad magnam generis humani partem dimanaret religionis praeſtantiſſimae cognitio, qua colluſtrata ſunt tot hominum millia, et cum ad ſapientiam virtutemque in omni vita, tum ad veram felicitatem adducta. Haec tanta beneficia hoc die contemplamini, *Cives*, et accedentes nobiscum ad aram, pia mente precamini Deum, ut opus ingens, quod ad ſalutem generis humani per Chriſtum coepit perficere divina benignitas, etiam inpoſterum iubeat ſuccedere feliciter, et incrementa capere indies maiora. Ita facite, ac valete.

15.

De Chriſto ſuam dum viveret reſurrectionem praedicente.

Cum alia multa, dum in his terris viveret, et inter Iudaeos publice doceret, vaticinatus eſt Chriſtus et accurate praedixit: tum ſaepe et ad ſuos, quibus familiariter uſus eſt, et ad alios, verba fecit de exitu ſuo, et fere ſemper adiecit hoc, ſe die poſt ſupplicium tertio in vitam eſſe redituruum. Placet igitur nunc, *Domini de mirabili iſta reſtitutione ſermones*, quos diverſis locis ac temporibus habuit, et qui ſunt a ſcriptoribus ſacris ſparſim commemorati, *ſtudioſius congregare, et in locos quosdam cogere*, ut facilius poſſit intelligi, quid de reditu ſuo in vitam praedixerit Dominus ipſe; tum vero *nonnulla differere libebit de his vaticiniis, et ex iis quaedam efficere*, quae non poſſunt perſpici, niſi cum, in unum locum congeſta, ſimul ſpectantur. Capimus autem hoc conſilium duabus de cauſis. Primo enim hoc tempore, quo memoriam reditus in vitam Chriſti recolit Chriſtianus orbis, decet homo ea tam gravis, per quam humanae ſalutis reparatio

obsignata est, cogitatione animum excitare tum ad pietatem in Christum ipsum, tum ad spem immortalitatis nobis ipsis per eum partae. Sed ad efficiendos alendosque hos animi sensus haud exiguam vim habebit diligens consideratio eorum, quae Christus ipse de sua spe, recuperandi post mortem vitam beatam ac perennem, professus est saepe, et alios docuit. Deinde in his vaticiniis, si diligentius comparantur inter se, multa reperiuntur, quae animum Domini ipsius pium, constantem, elatum, de felici rerum suarum successu certissimum aperiunt et recludunt, ut inspicere quasi sanctissimum pectus eiusque sensus ac motus, quales fuerint omni tempore, et quam digni filio Dei, intelligere possimus planissime. Huius autem rei non contemnenda videtur utilitas. Nam ut semper fuerunt, qui, odio quodam Christianae religionis ducti, hoc totum, quod de reditu Christi in vitam credimus, commenticium esse dicerent, qui error nuperrime, ut constat, acriter defensus est: ita etiam multi, praesertim hoc nostro tempore, de moribus et animo Domini coeperunt opiniones spargere, parum dignas filio Dei, eumque perperam modo timidum fingere, et ad suscipiendum supplicium segniorem; modo incertum de his, quae ipsi eventura essent, et ambigentem, utrum recusandum sit mortis periculum, et capessenda fuga, an toleranda mors, et

exſpectandum, qua ratione Deus ipſe ſit omnia in re tam gravi diſpoſiturus. Hae opiniones etſi ſunt vaniſſimae, ac refelli poſſunt Evangeliſtarum teſtimoniis luculentiſſimis: tamen tanto facilius adhaerescunt in animis hominum, quanto maiorem habent ſpeciem ſapientiae, et novitatis gratiam, cuius nunc tanta vis eſt, ut ſaepe ad commenta falſiſſima, maxime in his, quae de religione ſcribuntur, homines abripiat. Ut igitur recte ſentiamus de dignitate Chriſti, et ſubtiliter perſpiciamus, quid ipſe et crediderit, et ſperaverit de reditu ſuo in vitam, iam locos ipſos, in quibus aperit ſententiam ſuam, diligenter colligamus.

Principio igitur certum eſt, *Ieſum et mortem, et vitae ſuae reſtitutionem mature praediciſſe, cum vix ſuscepiſſet publice docendi provinciam.* Sed in primis illis ea de re vaticiniis *uſus eſt ſere formulis obſcurioribus, nec tam aperte ac diſtincte praenuntiavit omnia, ut poſtea fecit ſaepius.* Nam cum poſt ſusceptum munus docendi publicum iter primum Hieroſolyma fecisſet, ſollemnium paſchae cauſa, et e templo expuliſſet foeneratorum turbam, aliosque multos, qui lucri cupiditate violaſſent aedis ſacrae religionem; magiſtratus autem Iudaicus ex ipſo quaeri iuſſiſſet: τί σημεῖον δεικνύεις ἡμῖν, ὅτι ταῦτα ποιεῖς; *quo miraculo demonſtras, te talia audendi*

us ac potestatem habere: Iesus respondet Ioh. II, 9: λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγε-ῶ αὐτὸν. Quam vocem etsi non assecuti sunt eo empore Iudaei, verba τὸν ναὸν τοῦτον de *templi edificio* interpretati, nec postea intellexerunt, ti criminatio docet, ab accusatoribus Christi in udicio prolata, Matth. XXVI, 61. Marc. XIV, 58 amen omnia docent, Christum, ut Iohannes ipse xplicat v. 21 dixisse περὶ ναοῦ τοῦ σώματος αὐτοῦ, uam translationem pulcre illustrat *Origenes ontra Celsum* l. VIII. pag. 389-391. ed. *Spenc.* Nam corpus humanum appellari tropice ναὸν, aque imagine simul exprimi *dignitatem* inhabi-antis animi, cuius veluti Numini dedicatum sit oc templum, praeclare docet *Philonis* locus in ibro *de opificio mundi* p. 93-94, ed. Pfeiff., ubi le corpore hominis primi: οἶκος γάρ τις, inquit, ὁ νεὼς ἱερὸς ἐτεκταίνετο ψυχῆς λογικῆς. In quo secu-tus est *Philo Platonem* suum, qui hominium prae-claris dotibus virtutibusque insignium corpori-bus inclusa esse dicebat ἀγάλματα θεῶν, cf. *Sym-pos.* c. 32. ed. Wolf., quam formulam postea cer-tatim imitati sunt *patres* ecclesiae *Graecae*, vid. *Clemens Alex. Strom.* l. VII c. 5. p. 846. ed. Pott. et *Eusebius adv. Hieroclem* c. 6. Manavit ab hoc fonte etiam *Ciceronis* illud *de Legib.* v. 2 , *qui se ipse novit, aliquid sentiet se habere* divinum, *ingeniumque in se suum* sicut simulacrum aliquod

dedicatum putabit. Quid multa? *Paullus* ipse hac translatione utitur 1 Cor. VI, 19 de *Christianis, efficacia divini spiritus emendatis*, quorum corpus ναὸν τοῦ ἁγίου πνεύματος appellat; add. cap. III, 16. Neminis autem corpus rectius veriusque *templum* potuisse dici, quam *Christi*, in quo praesens habitabat ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, Ioh. I, 14, et per quod quasi conspicua facta fuerat divina maiestas Ioh. XIV, 9, quis non intelligit? Profitetur itaque Christus hoc, se parum curare Iudaici magistratus minas et invidiam, quae quamquam tam atrox futura sit, ut aliquando hoc animi sui veluti templum ac domicilium destruat, tamen posse se die tertio iterum excitare has tamquam parietinas ac restituere; hanc vero rem gravissimam omnibus documento fore, se esse oratorem divinum, cui obtemperare debeant Iudaei. Alio modo, sed etiam obscurius, haud ita diu post, ut videtur, cum redux in Galilaeam coepisset miraculis plurimis, quibus aegrotis sanitatem restituerat, inclarescere, rem eamdem praedixit Pharisaeis nonnullis; vid. Matth. XII, 38-40. coll. Luc. XI, 29. 30. Hi enim cum postulassent miraculum ex alio genere, nempe σημεῖον ἐξ οὐρανοῦ, ut alibi Matth. XVI, 1. et Marc. VIII, 11. appellant, hoc est, miraculum, cum insigni naturae mutatione coniunctum, quod magnitudine sua omnium ora in se convertat, et multis prosit,

quale illud erat, quo panem de caelo Israelitis dederat Moſes, Ioh. VI, 31. Dominus illam flagitantium impudentiam primo quidem vehementer vituperat; tum autem in eo loco, quem attulimus e Luca, praedicit, *ſe ipſum fore Iudaeis eo modo portentum, quo Ionas fuerit Ninevitis;* quod quid ſit, paullo clarius eloquitur Matthaeus; nempe ut Ionas fuerit per triduum in ceti ventre quaſi ſepultus, ita Meſſiam fore per totidem dies ac noctes in terra conditum. Idem repetiit alio tempore Matth. XVI, 4. In quo ineſt, ut omnes vident, tum mortis, tum reditus in vitam praedictio quaedam; ſed obſcurior, ut iam monuimus; ita enim de morte ſua, et eventu, qui eam excepturus erat, laetiſſimo, loqui ſolebat poſt auſpicia muneris publici, idque fecit, ut infra videbimus, ſapientiſſimo conſilio, et cauſis inductus graviſſimis.

Poſtea autem, cum non modo ſectatores nactus eſſet perpetuos, ſed vidiſſet etiam, ſe inſtitutione et auctoritate iam aliquid apud ipſos profeciſſe: cum his coepit *apertius ſaepiusque colloqui de morte ſua, et praenuntiare, ſe tertio die ſuscitatum e ſepulcro proditurum eſſe.* Notabilis ex hoc genere locus eſt apud Matthaeum Cap. XVI, 21, quocum comparari debent, quae Marcus Cap. VIII, 31. et Lucas Cap. IX, 21. 22 prodiderunt. Interrogaverat enim apoſtolos Dominus,

quae ſint hominum de ſe iudicia, et quam potiſſimum ſententiam ipſi ſequendam conſcant? Tum Petrus, ut notum eſt, reſpondit egregie, Ieſum eſſe Meſſiam, immortalis Dei filium. Erat autem haec Petri vox, quam et reliqui probabant apoſtoli, tam perſpicua, ut facile intelligeret Chriſtus, tantam eſſe apoſtolorum de dignitate ſua perſuaſionem, tamque firmam, ut iam aequo animo laturi videantur perſpicuam expoſitionem eorum, quae adhuc ſubobſcure tectiusque de morte ſua dixiſſet. Igitur clare ipſis hanc necem, et vitam die tertio reſtituendam nuntiat. Id autem eo tempore *primum* eſſe factum *ſine verborum ambagibus et involucris*, obſervant ipſi ſcriptores ſacri. Matthaeus enim, poſtquam illam Petri profeſſionem narraverat, addit v. 21: ἀπὸ τότε ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς δεικνύειν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ὅτι δεῖ αὐτὸν ἀπελθεῖν εἰς Ἱεροσόλυμα κ. λ. Haec igitur tam plane, tamque perſpicue antea nondum expoſuerat. Marcus autem, cum dixiſſet, Ieſum de morte et reſurrectione ſua cum apoſtolis eſſe locutum, adiicit v. 32: καὶ παῤῥησίᾳ τὸν λόγον ἐλάλει, rem *aperte*, *nihilque diſſimulans* proferebat eſt, ut παῤῥησίᾳ λαλεῖν legitur Ioh. X, 24. XI, 14. XVI, 29, ex quo intelligitur, id eo modo antea nunquam eſſe factum; quare Petrus ſermone Domini, quam minime exſpectaverat, perturbatus, diſſuadere coepit illud moriendi conſilium. Sed

poſtea apud apoſtolos ſaepe diſſerit hac de re Chriſtus, eamque diligenter ipſis inculcavit. Cum Petrus, Iacobus et Iohannes ipſum vidiſſent in monte, ſplendore circumfuſum caelesti, iuſſit eos, quae vidiſſent, ſilere, ἕως ὅ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ Matth. XVII, 9. et Marc. IX, 10, apoſtolis autem omnibus cum imminens ſupplicium, tum reditum in vitam clare praedixit Matth. XVII, 23. Idem fecit haud ita diu poſt, cum homines miraculorum, quae ediderat, magnitudine perculſi, ad vanam, ut videtur, de imminente glorioſo Meſſiae regno, ſpem et exſpectationem erigerentur. Quo errore ne deciperentur apoſtoli, his perſpicue praenuntiat tum obitum ſuum, tum reditum e ſepulcro eamque rem ipſis vehementer commendat; vid. Luc. IX, 43-45. coll. Matth. XXII, 25. et Marc. IX, 30-33. Clariſſime autem apoſtolis haec omnia expoſuit, cum, ultimo itinere ad urbem ſuscepto, viae ſe daret; vid. Matth. XX, 17-19. Marc. X, 32-34. et Luc. XVIII, 31-34. et in eo itinere videtur ſaepius, cum opportune fieri poſſet, apoſtolos de re tam gravi, et proxime exſpectanda, monuiſſe. Ultimi certe ſermones, quos habuit cum diſcipulis ſuis, a Iohanne copioſe perſcripti, eius rei multa veſtigia continent. In his enim ſaepe de reditu ſuo diſſerit, veluti Cap. XIV, 18-20 et v. 28 affirmat, ſe poſt ingentem luctum, quo propediem

opprimendi sint apostoli, iterum cum ipsis esse versaturum, eamque rem ipsis fore longe laetissimam; Cap. XVI, 16 et 20-22. Etiam in ultima coena, quam ante supplicium cum suis sumsit, de hac vitae suae restitutione verba fecit. Nam quae post institutam coenam sacram addidit Matth. XXVI, 29, se non amplius degustaturum esse vinum, donec in regno patris cum apostolis denuo bibere contigerit: ea, scio quidem, vulgo exponi *de futura vita eiusque felicitate*, et improprie dicta haberi, quam sententiam inprimis ornavit *Grotius* in *annotationibus* ad hunc locum. Sed illam expositionem vix patitur contextus; et est paullo durior repentinus ille a verbis propriis ad impropria transitus. Ἡ βασιλεία τοῦ πατρὸς multo rectius *de nova illa constitutione* accipitur, quam antea appellaverat Iesus διαθήκην καινὴν, iam ipsius sanguine inauguranda ac stabilienda; ut loci vis sit: *credite mihi, nunc non amplius vino fruar ob imminens supplicium; sed cum respublica divina fuerit mea morte stabilita, tempus erit, quo redux in vitam, familiariter iterum vobiscum cibum capiam.* Hanc interpretationem admittunt etiam loci similes Marc. XIV, 25 et Luc. XXII, 18., eventus autem ipse eam magnopere comprobat; nam Christum, in vitam revocatum, cum suis denuo convivatum esse, historia loquitur sacra. Ceterum hanc esse loci sententiam,

vidit iam *Euthymius Zigabenus* in *Commentario*, qui verba: ἕως τῆς ἡμέρας ἐκείνης indicare dicit τὸν μετὰ τὴν ἀνάστασιν καιρὸν, ὅτε ἔφαγε καὶ ἔπιε μετὰ τῶν μαθητῶν, ὃ καὶ αὐτοὶ ποιούμενοι τῆς ἀναστάσεως αὐτῷ ἀπόδειξιν, ἔλεγον εἴτινες συνεφάγομεν καὶ συνεπίομεν αὐτῷ Act. X, 41. Poſt illam denique coenam, cum ad montem qui ab olivetis appellari ſolebat, cum ſuis iret, non modo hoc affirmavit denuo, ſe vitam eſſe recuperaturum; ſed adiecit etiam illud, ſe tum petiturum eſſe Galilaeam, monuitque apoſtolos, ut eo ſe ſequerentur, Matth. XXVI, 32. Luc. XXII, 38. Ex his planum eſt, Chriſtum de ἀναβάσει ſua cum apoſtolis ſaepe collocutum, et ea de re ita vaticinatum eſſe, ut eam exiſtimaret inſtare certiſſime, idque Apoſtolis diligenter inculcaret.

Nec tamen *clanculum* hanc rem iis tantum praenuntiavit Ieſus, quibus familiariter utebatur, *ſed publice quoque eam profeſſus eſt, audientibus aliis, ipſisque Phariſaeis, quorum invidia ipſi non erat incognita.* Hoc vel ii loci docent, quos iam ſupra attulimus, in quibus miraculum de caelo poscentes ſenatus Iudaici legatos et Phariſaeos exſpectare iubet interfecti corporis ſui reſtitutionem, et e ſepulcro reditum in vitam. Sed manifeſtius idem dixit Ioh. X, 18. Ibi enim diſerte declarat, ſe pro ſuis profundere velle vitam, eamque reſumturum eſſe; nam ἐξουσίαν ἔχω, in-

quit, θεᾶσαι αὐτὴν, καὶ ἐξεστίαν ἔχω πάλιν λαλεῖν αὐτῃ. Haec autem non cum ſuis loquitur, ſed cum *Phariſaeis*, qui cum ipſo dicuntur eo tempore fuiſſe; vid. Cap. IX, 40, ex quo patet, eum audacter et publice, etiam inimicis ſuis peſſimis, praedixiſſe rem, illo tempore plane incredibilem. Id autem ſaepius eſſe factum etiam alibi, manifeſte docet locus apud Matthaeum Cap. XXVII, 62-64. Nam ibi narrat ſcriptor ſacer curam ſupremi ſenatus Iudaici, qui cuſtodia muniendum cenſuerit ſepulcrum, in quo ſitus erat Ieſus, quoniam, dum viveret, dixerit impoſtor ille, ita enim loquuntur homines peſſimi, *ſe die tertio, revocatum in vitam, e ſepulcro proditurum eſſe.* Petunt igitur a Pilato, ut diligenter cuſtodiri iubeat monimentum, ne forte diſcipuli, ſurrepto corpore exſangui, Ieſum revixiſſe mentiantur. Vana profecto fuiſſet illa cura, vel omnino non habuiſſet locum, niſi Chriſtus *publice* dixiſſet, ſe non modo vitam eſſe recuperaturum, ſed id etiam fieri debere *die poſt ſupplicium tertio.* Haec praedictio in vulgus emanaverit neceſſe eſt, quod metuit magiſtratus Iudaicus, ne multitudo, eventus exſpectatione ſuſpenſa, decipiatur aliqua fraude. Iam ſi genuina eſt haec Matthaei narratio, de quo nemo facile dubitaverit; nam quae imperitiſſime adverſus eam prolata ſunt, facile confutari poſſunt, conf. *Michaelis Erklarung der Begrab-*

niſs- und Auferſtehungsgeſchichte Chriſti pag. 84 ſqq. perſpicue patet, Chriſtum ἀναβίωσιν ſuam publice vaticinatum eſſe, nec reticuiſſe quidquam, quod ad iudicandam fidem vaticinii tam gravis, cuius eventus proxime imminebat, videbatur pertinere.

Reſtat unum, quod de his vaticiniis monendum videtur. Solet enim fere Dominus, cum de morte ſua, et in vitam reditu verba facit, *adiicere nonnulla de prosperrimo ſucceſſu, et de magnis incrementis, quibus ſit*, poſt reſtitutam ſibi vitam, *augendum opus illud ingens, a ſe ſuſceptum ad humani generis utilitatem.* Saepe monet, falli hos, qui exiſtiment, inſtituta ſua impediri poſſe, ſi ipſe eſſet e medio ſublatus; ſe enim non modo nova vita auctum iri, affirmat, ſed tum demum conſilia ſua feliciſſimos habitura eſſe eventus. Hoc copioſe differit in ſermonibus iis, quibus conſolatus eſt apoſtolos, cum proxime inſtaret ſupplicium, apud Iohannem C. XIII—XVIII. Triſtes enim ac perturbatos magiſtri diſceſſu hac potiſſimum ſpe confirmat, ſe non modo, in vitam revocatum, iterum eſſe cum ipſis verſaturum, ſed effecturum etiam hoc, ut per ipſos longe lateque diffundatur melior doctrina, Iudaeorum autem impietas manifeſta fiat, ac publice redarguatur. Quare Cap. XVI, 8 praedicit, poſt redditam ſibi vitam fore, ut Spiritus, novus

ille apoſtolorum magiſter, cuius inſtitutionem ſuis in his ſermonibus ſaepe pollicetur, τὸν κόσμον, hoc eſt, *Iudaeos* arguat περὶ ἁμαρτίας, καὶ περὶ δικαιοσύνης, καὶ περὶ κρίσεως. Quae verba ipſe v. 10. 11 ita interpretatur, ut intelligi poſſit, eum praedicere *res magnas, poſt ipſius reſurrectionem ab apoſtolis inter Iudaeos gerendas.* Per hos enim caeleſtis ille doctor demonſtrabat, peccaſſe Iudaeos, et vehementer lapſos eſſe, qui noluerint auctoritatem Chriſti divinam agnoscere, eique fidem habere; de hac enim *pertinacia et ἀπιστίᾳ* verbum ἁμαρτίας etiam alibi dicitur; vid. Cap. XV, 22. Hebr. III, 13, ubi commutatur cum nomine ἀπιστίας v. 12. Per hos etiam planam fecit τὴν δικαιοσύνην *innocentiam Chriſti*, quam obſcurare, multisque criminationibus inquinare voluerat Iudaeorum invidia. Teſtabantur enim apoſtoli, Chriſtum, nova vita auctum, ſublimem in caelos abiiſſe, nec poterant Iudaei eius teſtimonii fidem ullo modo minuere, vel rem manifeſtam negare; conf. Ioh. VIII, 28. Per hos denique demonſtravit, *damnatos eſſe a Deo diaboli conatus*, et inpoſterum iri repreſſum, nec per eum impediri poſſe ſalutaris doctrinae propagationem; conf. *Noeſſelti Opuscul. fascic. II.* p. 30 sqq. Hic igitur clare vaticinatur et ἀναβάσεως ſuam, et quae ſint eam conſecutura. Idem fecit tum, cum Helleniſtae nonnulli ipſum videre vellent, et

convenire, Ioh. XII, 20 sqq. Recusat quidem illud colloquium, temporis, ut videtur, brevitate exclusus; suis autem dicit, usus, more suo, simili quodam apto, tritici granum, nisi telluri mandatum, nec progerminare posse, nec fructus ferre; hoc est, *se iam in eo esse, ut supplicium patiatur; sed sibi restitutum iri vitam, ac tum demum magnam fore discipulorum suorum multitudinem;* ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ γῆς, ait alio modo v. 32, πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτὸν; vid. praeclaram huius loci illustrationem in iisdem *opusculis Noesselti fascic. II.* pag. 5 sqq. Cum Matth. XVI, 21 et mortem suam, et vitae renovationem praenuntiasset, addit v. 28 ex his, qui tum adstabant, erant autem apostoli, nonnullos tam diu fore superstites, donec viderint τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ, hoc est, *donec civitatem novam, a se condendam, cuius tum erat initium tenue, spectaverint auctam innumerabili civium multitudine:* ita enim intelligi debere hunc locum, docent Marcus Cap. IX, 1. et Lucas Cap. IX, 27, qui paullo clarius hanc rem elocuti sunt. Ex his autem, quae hactenus congessimus, manifestum est, a Domino saepe praedicta esse, cum privatim, tum publice, haec duo; primum se cohiberi coercerique sepulcri mortisque vinculis non posse, sed, interfectum a Iudaeis, *die tertio* in vitam esse rediturum; deinde vitam illam novam

minime fore inanem, vel ſeiunctam a rebus humanis, et ab inſtitutis conſiliisque discipulorum ſuorum ſeparatam; ſed efficaciſſimam. Nam ſe id acturum eſſe, ut religionis ſuae per orbem terrarum propagatio, adhuc maximis veluti retinaculis fulſlaminata, expedite celeriterque ſuccedat.

Veniamus nunc ad *ea, quae ex his praedictionibus intelligi poſſunt et conſequuntur.* Atque illud quidem in promtu eſt, *haec vaticinia non obſcura veſtigia ſapientiae continere, qua in erudiendis hominum animis, et in pateſaciendo conſilio ſuo uſus eſt omni tempore Dominus.* Nihil enim a vanitate Iudaica, quae eo tempore Meſſiam exſpectabat populi ſui vindicem, humanaque magnitudine conſpicuum, cogitari poterat alienius, quam id ipſum, quod Domino erat propoſitum, et quod ſine ſupplicio contumelioſo non poterat perfici. Is igitur error, qui Meſſiam ſomniabat externo ſplendore inſignem, quo magis inſederat animis populi univerſi, eo diligentius evellendus erat a Domino ac tollendus; praeſertim cum nihil eſſet illa opinione perniciosius, hominesque magis a cognoscendis et amplectendis meliori doctrina averteret. Sed ſi voluiſſet Chriſtus cum errorem latius poſt ſuſceptum munus publice docendi, acerbe vituperare, mortem vero ſuam, et reditum in vitam perſpicue omnibus

praedicere: quid quaeso effeciſſet apud multitudinem rudem, quae nihil mirari ſolebat, magnifacere nihil, niſi quod ad augendas populi Iudaici opes, ad excutiendum iugum, a Romanis impoſitum, et ad voluptates, quae ſuaviter ad ſenſus affluunt, videbatur pertinere? Hoc enim modo plebis animum ita a ſe abalienaſſet, ut nemo ipſum audiviſſet, nemo ſectatus eſſet. Sed docendi multos, monendi, et ad religionis verae amorem cohortandi opportunitate ne ſe privaret ipſe, non niſi *obſcurius* coepit, ut ſupra vidimus, reliquis ſermonibus *admiscere* nonnulla de exitu ſuo, ac de nova vita; non in hominum conſpectu, ſed in caelo agenda. Qua in re hunc tenuit modum, ut, qui ſaperent, facile intelligerent conſilii divini naturam, a vanitate ſtuporeque Iudaico plane alienam; imbecilliores autem, et erroris vi nimis occaecati, minime offenderentur, et ſenſim meliora discerent; quam Domini prudentiam bene illuſtrat *Chryſoſtomus* in *Iohannem* homil. XXII. p. 145. Sed cum et dicendi vi plane mirifica, et doctrinae praeſtantia, quae Phariſaeorum nugas et inſcitiam longe ſuperaret, conciliaſſet ſibi audientium animos, auctoritatem autem ſummam nactus eſſet edendis miraculis multis et magnis, quibus nihil efficacius eſſe ſolet ad commovendos et pertractandos hominum animos: *manifeſtius* coepit praedicere mortem,

ſibi imminentem, reditumque in vitam, et hoc modo *praeparare* omnes, tum ad *amplectendum teſtimonium*, quod apoſtoli erant hac de re publice dicturi. Maturius autem apertiusque haec omnia patefecit *apoſtolis*, partim quod diligenter confirmandi erant eorum animi, ne poſtea a magiſtro, cruci affixo, penitus desciscerent; partim quod tantum apud ipſos auctoritate valebat, ut perturbatos eorum animos facili negotio ſedare poſſet, et ad tranquillitatem fiduciamque reducere. Sed quoniam error ille de Meſſiae ſplendore externo etiam apoſtolorum mentes infecerat, ſolebat fere tum de morte ſua et reditu in vitam, eamque caeleſtem, apud ipſos disputare Chriſtus, *cum eſſent vel miraculorum, ab ipſo editorum, magnitudine perculſi, vel alia quadam re commoti.* Promus enim eſt hominum animus ad ſperandas res maximas, cum aliquo modo excitatus eſt, et admiratione defixus. Ne igitur vanam illam ſpem Iudaicam conciperent ſui, ſolebat fere tum, cum ad exſpectationem feliciſſimi ſucceſſus erectos videret, ad contemplandam mortem ſuam convertere eorum mentes, ac de reditu ſuo in vitam disputare, non in his terris, ſed apud patrem transigendam. Sic, ut ſupra monuimus, hac de re diſſerit poſt μεταμόρφωσιν illam in monte, quae magnopere commoverat apoſtolos; et Lucas obſervat Cap. XVIII, 45-45.

Christum apud apostolos de morte sua disseruisse, cum reliqua turba ipsius miracula non sine maxima admiratione spectaret. Cavere nempe volebat, ne illa hominum reliquorum vanitas, quae, inani miraculorum spectaculo perculsa, ad audenda quaevi et exspectanda ferebatur, suorum animos contingeret et inflaret. Sic igitur in praedicenda ἀναβάσει sua *prudentiam summam* demonstravit Christus, ac semper habuit hominum, locorum, temporum rationem. Nam in proponenda re gravissima ita versatus est, ut nec offenderet quemquam, et imprudenter a se abalienaret, nec oratione flexiloqua hos, qui vellent omnia diligenter indagare et explorare, in errorem induceret.

Sed haec ipsa res, quae non potest intelligi, nisi cum hi sermones Domini, per Evangelia sparsi, in unum locum coguntur, et simul spectantur, demonstrat etiam *historicam fidem scriptorum sacrorum, et integritatem eorum in perscribendis rebus Christi.* Nam hoc, quod vaticinia, quae Christus de resurrectione sua proposuisse fertur, *consilium* produnt sapientissimum, et prudentiam, tempora, locos, personas caute observantem, quamquam sint per libros apostolorum quasi *temere* dispersa, minimeque cohaerere videantur, hoc ipsum, inquam, documento est, Evangelistas aut summos fuisse callidissimosque in fingen-

dis fabulis artifices, aut in tradendis his rebus maxima esse fide dignos. Atque illud quidem quis crediderit, cum haec ipsa res, de qua quaerimus, manifesta indicia contineat, ab auctoribus vitae rerumque Domini abfuisse, fingendi et voluntatem, et astutiam. Neque enim e narratione *unius* Evangelistae cognosci possunt, quae de sapientia Domini in praedicenda resurrectione disseruimus. Audiendi sunt omnes, comparandi inter se et conferendi; nullos eorum de consilio cogitasse videtur, quod Christus in ea re secutus est; alias paucis certe illam Domini prudentiam attigissent, eius considerationem lectoribus commendassent, et in proponendis his vaticiniis viam quamdam tenuissent ac rationem, quae, ut vidimus, in ipsorum narrationibus ea de re plane est nulla. Iam cum diversis et locis et temporibus scripserint et hanc rem quisque attulerit quasi aliud agendo, nullamque secutus rationem certam; et tamen omnium narrationes, collatae inter se et comparatae, pulcerrime conveniant, sintque sapientiae Domini documentum minime contemnendum: quis non videt, fraudis suspicionem omnem evanescere, et Evangelistae nec voluisse fingere quidquam, alias enim artificiosius scripsissent; nec potuisse, quod ille conientiis non proficiscitur a deliberatione quadam, communique eorum consilio, quale nunquam ceperunt

Nec praetermittendum illud est, quod ingenue fatentur, se illos Domini sermones, cum ab ipso haberentur, *ne intellexisse quidem;* vid. Marc. IX, 32. Luc. IX, 45 — XVIII, 34. Ioh. XX, 9, quod non est astute singentis, sed veritatem sine pigmentis et colore exponentis. Quare etiam postea, cum in vitam rediisset Christus, vix potuerunt adduci apostoli, ut eam rem, quamvis saepe et perspicue praedictam, crederent. Scilicet *aliam* conceperant de Domino spem, quae ad *hanc* vitam pertineret; unde nec ea assequi poterant, quae de sua morte et reditu in vitam saepe dixerat, nec hunc reditum ipsum, cum iam factus esset, credere volebant, quod sublato Christo etiam omnis eorum exspectatio, quamvis maxima fuisset, videbatur concidisse, Luc. XXIV, 21. In his omnibus quis non animadvertit manifesta veritatis indicia? Nam si ipsi finxissent illa vaticinia, et callide excogitassent, quis crediderit, eos simul manifestum stuporem sibi afficturos fuisse, qui nec intelligere potuerit praedictiones minime ambiguas, et verbis propriis perspicuisque conceptas, nec exspectare voluerit eventum, eiusque veritatem, multis rationibus confirmatam, admittere? Si autem sumimus, omnia sic contigisse, universa narratio et opinionibus istorum temporum, et moribus apostolorum accommodata est. Vulgaris enim Iudaeorum de Messia

perſuaſio impediebat apoſtolos, quominus vaticinia de nece Chriſti eiusque reſtitutione in vitam intelligere poſſent, quamquam eſſent ſatis perſpicua; adimebat etiam his ſermonibus Domini omnem vim, et a credenda reſurrectione avertebat apoſtolorum mentes, quoniam ab inſtitutis Meſſiae, eiusque in populum Iudaicum beneficiis nihil videbatur magis abhorrere, quam ſuſceptum ſupplicium et vita nova, non inter homines, ſed in caelo transigenda. Si qua igitur ſunt interna ſigna fidei et integritatis, ipſis auctorum libris impreſſa, quod nemo negaverit, ea quidem nec in hac, nec in reliquis Evangeliorum partibus quisquam deſideraverit. Quare *Lactantius Inſtit. Div.* l. V. cap. 3. §. 2, recte de apoſtolis praecipit: *illorum traditio, quia vera eſt, quadrat undique, ac ſibi tota conſentit, et ideo perſuadet, quia conſtanti ratione ſuffulta eſt.*

Inde igitur porro ſit, *ut hic reditus ipſe*, ſaepe praedictus a Chriſto, *vere ſit factus, illaque vaticinia fuerint impleta.* Etenim ſi Chriſtus vitam non recuperaſſet, cum tamen id ſaepe pollicitus eſſet ſuis, non video, quid apoſtolos potuerit impellere, ut continuarent opus a magistro ſuſceptum, idque omni modo, ſummisque laboribus, ipſius vitae iacturam minime recusantes, conarentur perficere. Ea enim ſpes, quum ſuperſtitione Iudaica decepti, de Chriſto concepe-

rant, ipsos penitus fefellerat, nec videbatur Dominus exspectationem sui, quam concitaverat, sustinuisse. Nec erant apostoli homines audaces, vel gloriae novarumque rerum cupidi, qui bella conflare, vel imperium quaerere vellent, quod ipsorum vita et metus, quo, in crucem acto magistro, latebras quaerunt, satis demonstrant. Quid igitur hos viros, qui, si facta Christi exigere voluissent ad vulgares de Messia opiniones, *deceptos se a magistro suo putare poterant*, quid, inquam, hos impulit, ut, abiectis his opinionibus, quibus antea deditissimi fuerant, sentire inciperent plane alio modo, animum abducerent subito a rebus omnibus, quarum cupiditate trahi solent homines, inprimis de plebe, docerent autem non sine vitae periculo, magistri sui, ex omnium conspectu sublati, doctrinam, quam, dum viveret, non potuerant assequi? Quid hos viros excitavit, ut omnem terrarum orbem doctrina magistri sui tum demum implere secum constituerent, cum ipsis ereptus esset ac subtractus, cum carere fructu incundissimae consuetudinis, quae timidos saepe confirmaverat, coacti essent? Nisi ipsis redditus fuit, ut saepe promiserat, nisi hoc ipso reditu edocti melius rectiusque sentire coeperunt de consilio illo divino, quod per ipsum ad humani generis salutem debebat perfici: equidem non video, quid eos impulerit, ut pergerent eine

nomen profiteri, eius disciplinam ſequi, et in propaganda magiſtri doctrina, priſtinae ipſorum exſpectationi minime reſpondente, omnia ſtudia, omnem operam, curam, cogitationem, mentem denique omnem figere et locare; cum vulgo, auctore ſublato, diſſolvantur ſocietates ex hoc genere, et ſinguli, ſpe ſua deiecti, discedant. Cf. *Chryſoſtomi* in Matth. Homil. XC. pag. 919. 20. Sed vidimus etiam, Chriſtum de reditu ſuo in vitam non tantum apud ſuos diſputaſſe, ſed id etiam feciſſe *publice*, et, cum aliquam auctoritatem adeptus eſſet, manifeſte praedixiſſe, ſe die poſt mortem tertio nova vita auctum iri. Iam ſi ea praedictio, in vulgus nota, omnibusque ſatis cognita, vana fuit et irrita: quo demum modo, quave ratione accidit, ut tanta hominum multitudo haud ita diu poſt contumelioſum Chriſti ſupplicium eius doctrinam amplecteretur, et in ea ipſa urbe, quae eum viderat cruci affixum, tot hominum millia, nullis invitata commodis, nullo ſplendore externo allecta, nomen ipſi darent, ſeque exponerent atrociſſimo popularium odio? Videntur igitur haec vaticinia ita comparata, et a Domino ita propoſita eſſe, ut, niſi eventum habuiſſent, hi, qui ipſum ſectati fuerant, cauſſam eius non potuiſſent non deſerere penitus, reliqui vero inauditam audaciam vanitatemque videre et contemnere. Iam cum neutrum factum

ſit, ſed apoſtolorum conſtantia in tuenda eius doctrina fuerit plane invicta, e reliquis vero innumerabilis paene multitudo ipſi nomen dederit: ſequitur, *ut impleta ſint*, quae de recuperanda vita nova ſaepe pollicitus fuerat Chriſtus, et haec ipſa res hominum animos ipſi conciliaverit.

Illuſtrant denique haec vaticinia etiam *mores et animum Domini, et quid in omni vita egerit ac ſenſerit, bene declarant.* Ac de *ſapientia* quidem, quae in inſtituendis aliis nihil temere ſuscepit, nihil propoſuit, niſi quod videbatur audientibus prodeſſe, iam diximus. Nihil autem clarius elucet ex his praedictionibus, quam *ſingularis illa vis animi et conſtantia*, quam in peragendo magno illo opere, quod pater ipſi demandaverat, omni tempore demonſtraverit. Cum vix coepiſſet publice docere, iam penitus cognitum perſpectumque habebat exitum ſuum. Obſervavimus enim, eum in ipſis muneris ſacri initiis de morte ſua locutum eſſe, quamquam id pro tempore fieri debebat tectius. Nec tamen fregit atrocißimi ſupplicii cogitatio animum Chriſti, vel ſegniorem fecit in erudiendis ac vituperandis hominibus, atque omnino in munere adminiſtrando. Iam vero nihil eſt ad reprimendam magnorum ingeniorum alacritatem efficacius, quam ſi animadvertunt, vitae pericula ſibi quotidie imminere,

nec poſſe ſe ad finem perducere, quae decreverint. Hoc vel in iis fit, quibus de vitae fine non ſatis conſtat, et qui mortis genus exſpectant tranquillum et mite, cum nulla tormentorum acerbitate coniunctum. Chriſtus autem et genus ſupplicii, quod ipſius capiti iam imminebat, et tempus accurate noverat; quod vel e formulis intelligitur, quibus ſaepe hac in re uſus eſt. Sed haec rei atrociſſimae certiſſima praeſenſio tantum abeſt, ut minuerit vim illam et ardorem, quem in munere gerendo demonſtravit plane incredibilem, ut eum *augeret* adeo et inflammaret. Nec *incerta* fuerunt Domini conſilia, ut ipſe ſaepe nesciret, quid ſequi debeat, utrum ſubeunda ſit mors, an vitanda; ut nunc nonnulli ſatis inique de ipſo ſentiunt. Nam e vaticiniis, quae ſupra attulimus, liquido conſtat, Chriſtum *omni tempore* de extremo ſupplicio et cogitaſſe, et locutum eſſe; de vitando autem eo periculo, cum tempus iuſtum adeſſet, *ne deliberaſſe quidem*, quod bene ſciebat, vitam ſibi redditum iri, eamque beatiſſimam. Idcirco poterat tranquillo animo, in ipſo quaſi mortis articulo, patrem precari: πάτερ, ἐλήλυθεν ἡ ὥρα, δόξασόν σα τὸν υἱόν, Ioh. XVII, 2. Proſpiciebat enim laetiſſimum exitum, quem ſit illa res habitura. Nec tum nutavit, et incertus haeſit, cum ea nocte, qua inimicis dedendus erat, ſum-

mis angoribus correptus, totus contremisceret, ac sudore diffluueret; in precibus autem, ad Deum factis, illa voce uteretur: *παρένεγκε τὸ ποτήριον ἀπ' ἐμοῦ τοῦτο* Marc. XIV, 36. coll. Matth. XXVI, 39. et Luc. XXII, 42. Nam illa vox non eo modo accipienda est, quasi *avertere* a se supplicium voluerit Christus, et amoliri, ut vulgo putant; sed *τὸ ποτήριον τοῦτο illam ipsam anxietatem* appellat, quae ipsum invaserat, et quae tanta erat, ut fere mortem afferret; fatetur enim apud Matthaeum Cap. XXVI, 38, se *περίλυπον εἶναι ἕως θανάτου*. Hoc perspicue docet *Marcus*, qui Cap. XIV, 35. Christum precatum esse tradit *ἵνα παρέλθῃ ἀπ' αὐτοῦ ἡ ὥρα*, *ut transeat haec tristissima summis angoribus fere mortem afferens hora.* Hunc igitur maerorem *minui vult* ac sedari, ut praesenti animo et fortiter imminentem necem tolerare possit. — Summam porro fuisse *fiduciam*, quam in Deo posuerat, rerum et institutorum suorum auctore, e vaticiniis, supra congestis, quis non intelligit? Neque enim *semel* tantum praedixit rem plane incredibilem, vitam a Deo sibi restitutum iri; sed id fecit *saepissime.* Non *suis* tantum eum reditum, et quasi timide, praenuntiavit; sed *confidenter et publice* de eo locutus est, ut *omnes* possent examinare eventus, non admodum remoti, veritatem. Nec usus est in illis va-

ticiniis *verborum ambiguitate*, ut vel ipſe, vel amici haberent, quo ſe purgarent, ſi ſucceſſu deſtituerentur; ſed *verbis propriis ac perſpicuis* ſaepe dixit, *die tertio* ſe vitam eſſe recuperaturum, et hoc modo omnes latebras ſibi ipſe praecluſit. Iam quantam fuiſſe exiſtimabimus eam fiduciam, quae ad talem ſpem, tamque certam, quam etiam nunquam amiſit Chriſtus, animum Domini ſanctiſſimum erigeret, eumque, vel in ipſa ſupplicii cogitatione, laetitia repleret? Sed ſuperſtructa erat illa fiducia, quae novam vitam certiſſime exſpectabat, firmae perſuaſioni, quae in Chriſto erat, ſe non ſua, non humana conſilia ſequi, ſed opus, a ſe ſuſceptum, *ipſius Dei eſſe*, a patre ſibi demandatum, Ioh. XVII, 4, quod non poſſit humana vi, vel fraudibus ac furore inimicorum impediri et opprimi. Etiam hanc ſententiam, quam ne cum ipſa quidem vita dimiſit, ſed firmiter tenuit, et complexus eſt toto animo, in vaticiniis expreſſit, quae de reſurrectione ſua propoſuit. Oſtendimus enim ſupra, Chriſtum, cum de illa re diceret, fere ſemper admiscuiſſe nonnulla, *de late propaganda per orbem terrarum doctrina ſua*, et profeſſum eſſe, ſe tum demum perficere velle inſtituta ſua, cum per Iudaeos videatur e medio ſublatus et oppreſſus. Haec autem quomodo praedicere potuiſſet, niſi ipſi ſuiſſet

certiſſime perſuaſum, ſe cauſam agere ipſius Dei? Certe ſpes illa eum non fefellit. Nam religio, quae teſtimonio apoſtolorum de reditu Chriſti in vitam ſuperſtructa eſt, non modo celeriter occupavit magnam partem orbis terrarum, ſed duravit etiam ad noſtra tempora, nec aliquid adverſus eam valuerunt inimicorum ſive artes, ſive furores.

16.

De vi, qua res parvae afficiunt animum, in doctrina de moribus diligentius explicanda.

Praefatio.

Cum essent non pauci, qui libellos quatuor, *quos ante aliquot annos publico nomine scripseram* de diligentius explicanda vi rerum parvarum, hominum animos afficientium varie, *repetendos esse putarent; nonnulli etiam suaderent, ut has disputatiunculas, quarum utilitas ipsis videbatur pertinere ad eos quoque, qui harum litterarum rudes sunt,* in linguam transferrem nobis vernaculam: *equidem* illis, *qui novam editionem postulabant, nolui deesse;* horum *vero voluntati quominus satisfacerem, impedivere multa, inprimis autem magna aliorum laborum onera, quibus hoc tempore premor. Feci tamen, quod potui, et plus etiam oneris, quam imponebatur ab his, qui horum opusculorum nova fieri exempla volebant, sponte suscepi. Recognovi enim omnia lectione diligente, et castigatiora reddere tentavi; auxi etiam additamentis variis, quae res videbantur abesse posse ab editione nova et emendata. Ceterum tantum abest, ut hoc labore, qui totus est in genere tenui, aliquid laudis appetam, ut, contentus bonae voluntatis conscientia, si hic libellus tironibus nonnihil profuerit, operae factum a me pretium esse putem. Scripsi Vitebergae [illegible] Decembris, anno* CIƆIƆCCLXXXIX.

Prooemium.

I.

Quidnam esse causae putemus, cur, cum ea religione utamur, quae est magistra virtutis, omnisque honestatis optima commendatrix, et, simul atque editi sumus in lucem, tum publice, tum privatim, praeceptis imbuamur saluberrimis, raro inveniantur, qui virtutem consequantur perfectam, in multis autem vix appareat aliqua virtutis significatio, plurimi denique datos a natura honestatis igniculos malis moribus celeriter restinguant? Atque in ceteris quidem rebus, quae vel ad necessitates vitae, vel ad cultum ingenii pertinent, saepe fit progressio admirabilis, incredibilisque cursus ad omnem excellentiam, ut propo nulla sit ars, nullumque studiorum genus, in quo non multi sint exercitatissimi, et ad summa, atque undique suis numeris expleta, pervenerint. Ad virtutis autem aditum etsi multi, variis incitamentis compulsi, aliquantum procedunt: tamen pauci eam plane consequuntur, nec vivitur, ut est

apud *Ciceronem* [1]), cum perfectis hominibus planeque ſapientibus, ſed cum iis, in quibus praeclare agitur, ſi ſunt ſimulacra virtutis. Quamquam vero multa ſunt virtutis impedimenta cum in vitioſitate humanae naturae eiusque imbecillitate, tum in rebus externis, quibus ſit, ut plurimi ſtatim a pueris in omni pravitate, et in ſumma opinionum perverſitate verſentur: peccare tamen etiam ii videntur, qui volunt eſſe virtutis magiſtri, aliosque praeceptis ad pietatem honeſtatemque inſtituunt. Etenim quod reliquarum artium magiſtri diligenter faciunt, ut tironibus non tantum dicant, quae facienda ſint, artisque ſuae utilitatem iis commendent; ſed etiam rationem et modum demonſtrent, quomodo ſingula inſtituenda ſint et peragenda: id hi, qui doctrinam moralem vel ſcriptis illuſtrarunt, vel alio modo tradiderunt, omni tempore vehementer neglexere. Nam quot fuerunt, qui ſe profiterentur virtutis magiſtros, et, ut praeclare obſervat *Epictetus* apud *Arrianum* [2]), aperirent quidem tabernam medicam, multis inſtructam remediis; ſed ubi, et quomodo ea ſint applicanda, nec ipſi ſcirent, nec magnopere curarent. Quis autem non videt, in rebus iis, quae ad actionem pertinent,

1) *De Offic.* l. I. c. 15.

2) *Epict.* l. III. c. 21. p. 411. *ed. Upt.*

non sufficere, si quis sciat, quid et quare sit faciendum, eiusque vtilitatem intelligat: sed hoc maxime requiri cum in ceteris artibus, tum in praeceptis de virtute, ut ostendatur, *qua ratione, et quibus adminiculis fieri possint, quae postulantur*, ne tirones, cum ad rem ipsam ventum est, haereant, vel frustra laborent. Coeperunt etiam nostri, ex quo tempore viri harum rerum intelligentissimi, e quibus inprimis commemorandus est *Ernestius* [3]), hoc saepe et graviter admonuerunt, paullo diligentius versari in hac re, ac sermonibus de virtute adiungere praecepta de modo, quo vel depellenda sint vitia, vel virtutes comparandae.

II.

Sed haec praecipiendi ratio longe difficilior est, quam homines vulgo existimant. Falluntur enim, qui rem totam confectam esse putant, si disputationi de indole ac praestantia cuiusque virtutis adiunxerint *regulas* quasdam, commendaverintque nonnulla *adiumenta*, quibus uti debeant, qui eam velint exercere. Nam primo quidem ea, quae *adminicula* consequendae virtutis appellant, saepenumero *ne sunt quidem vera praesidia*, sed tantum incitamenta quaedam.

3) Ob amicolum libellum *de disciplina Christiana; Opusc. theol.* pag. 527 sqq.

Multi enim, qui praecipere de moribus audent, ignorant ipsi, quomodo *momenta*, quorum vis est in inclinanda voluntate, differant ab *institutis comparandae virtutis*, et haec duo longe diversissima satis inepte confundunt. Equidem saepe audivi, qui, exposita virtutis alicuius indole, pollicerentur, velle se nunc demonstrare, quae praesidia adhibenda sint, si quis ad eam velit pervenire; sed in ea re tantopere errarent, ut praeter adhortationem nihil afferrent. Atqui aliud est, accendere et incitare aliquem ad faciendum, quod suadetur; aliud, agendi viam et modum ostendere, omnemque describere *γυμνασίαν*, per quam consuescat facere officium, et quidem promte ac libenter. Deinde adminicula ipsa, quae commendantur a multis, *plerumque sunt ex ipso virtutum genere*, et ita comparata, ut iis uti non possit, nisi qui in virtute iam profecerit. Quid igitur tironibus proderunt, vel iis, qui, quod adhuc vitiis laborant, his ipsis praesidiis penitus destituti sunt? Sic, ut hoc utar, eos, qui saepe peccant, quod phantasiae violentia abrepti, tota mente contrectant perniciosas voluptates, temere iusseris animum ab ista cogitatione avocare, erigere ad Deum, componere ad preces, vel ad contemplandas res alias convertere. Nam illa ipsa mentis avocatio longe difficillima est, nec habet illud imperium in semet ipsum, nisi qui diuturna exer-

citatione iam longe ad virtutem proceſſerit. Denique vulgo *nimis late patent iſta praecepta de modo ac ratione exercendae virtutis*, ac ſunt fere generalia tantum, hoc eſt, neque officiis ſingulis, neque ingeniis hominum longe diverſiſſimis, neque temporibus ſatis accommodata. Nec mirum eſt, talia ſaepe legi, et audiri maxime ex iis, qui hanc doctrinae moralis partem in docendo populo adhibent, cum plurimis nihil fere videatur facilius, quam locum aliquem de virtutibus aut vitiis tractare, pauciſſimi autem ad eam rem ingenium afferant *litteris*, inprimisque *hiſtoriae* ſtudio excultum, et *rerum uſu ac diuturna humanae naturae contemplatione* ſubactum. Quare adiumenta virtutis, quae hominibus commendantur, ſaepe tantopere abhorrent a temporibus, ac ſingulorum officiorum natura, ut periculum facientes interdum ne videant quidem, quomodo adhiberi poſſint praecipientis conſilia, vel certe ſucceſſu deſtituantur, et nitantur fruſtra.

III.

Vana igitur eſt, ut res ipſa loquitur, ac plane inutilis omnis ad virtutem cohortatio, quae modum comparandae virtutis vel non attingit, vel id ita facit, ut in praeceptis generalibus haereat, ad vitam ipſam, ad temporum, locorum, hominum, aetatis, conditionis aliarumque rerum

plurimarum diverſitatem ſe non demittat. Sed qui rectius, et ad vitam accommodatius de virtute voluerit praecipere, ei diuturna obſervatione animi humani notanda eſt infinita paene multitudo rerum, quae, quod hominibus *parvae* videntur ac *leves*, plerumque negliguntur, quarumque vis eo maior eſt, quo magis latet, hominumque animadverſioni ſe ſubducit. Nam ut in iis artibus, quae manuum miniſterio exercentur, etiam res eae, quae imperitis levilſimae videntur, ſaepe ſunt gravilſimae, ut interdum vel e digitorum admotione intelligi poſſit, utrum aliquis ſatis exercitatus ſit, an inaſſueta manu et incerta rem tractet: ita etiam in colenda virtute dici non poteſt, quantum res minimae valeant in utramque partem. Multa negliguntur, multa ignorantur, maxime ab his, qui nunquam didicerunt, ſe aliosque noſſe, multa denique ob levitatem quamdam animi in actione ipſa parum curari ſolent, quae, ſi animadverſa fuiſſent diligentius, ad incrementa virtutis plurimum profuiſſent; vel quod ab incautis praetermittuntur, ſenſim et occulte mores corrumpunt, animumque, nihil tale opinantem, vitiorum labe contaminant. Hae parvae res et leves, quarum eſt in omni actione et vita incredibilis quaedam vis, vulgo non ſatis diligenter explicantur in doctrina de moribus. Excitandi enim ſunt ii, qui vel vitia ſua emendare, vel in

virtute proficere voluerint, ut haec parva momenta, quibus in agendo saepe inclinatur voluntas et impellitur; ut has clandestinas malorum illecebras et irritamenta; ut hos parvos motus, qui sunt affectuum ac perturbationum praeparatio, et quaedam quasi comminatio; ut hos vitiorum accessus lenes et incrementa fallentia, aliaque multa, quae nemo impune neglexerit, sentire discant, observare apud se, et vel vitare, vel prudenter ad utilitatem suam convertere. Si igitur, qui praeceptis regere hominum vitam, et alios cum fructu monere voluerint, hac potissimum ratione consiliis suis vim quamdam et utilitatem conciliare debent. Nam generalia illa praecepta, quae in schola traduntur, nihil fere habent, quod adhaerescat in animis audientium, eosque ita afficiat, ut sentiant, se tangi, sibi omnia dici, sua vitia, suos motus, suam in agendo consuetudinem vel reprehendi, vel eo, quo dictum est, modo mutari et corrigi posse. Quo magis autem omnes docentis sententiae ad has minutas animi mutationes descendunt, seque penitus in vitam ipsam insinuant: tanto plures accipiunt veluti ansas, per quas arripi ab audientibus possint ac teneri. Putamus igitur, haud inutile fore, si per hanc opportunitatem de hoc argumento paullo conquisitius agamus, et hunc locum, qui nondum satis perpurgatus est, diligentius tractemus. Nec

veremur, ne qui ſint, qui hanc diligentiam, res parvas confectantem, vituperent, cum in iis rebus, quae ad animum vel corrumpendum, vel emendandum valent, nihil nimis parvum haberi debeat; nullius autem artis perfectio ſine multis parvis rebus conſtet. Inſunt profecto in minimis animi mutationibus aut virtutis initia, quae, ſi negliguntur, facile pereunt; aut vitiorum ſemina, quae celeriter altas radices agunt, ac praeter opinionem ita adolescunt, ut in iis exſtirpandis ſaepe fruſtra laboret acerrima diligentia. Erit igitur omnis noſtra hac de re disputatio tripartita. Primo quidem perſpicue docebimus, *quas res in hac cauſa dicamus parvas*, ut ex ipſa mentis humanae indole intelligatur, eas nec a magiſtris virtutis, nec ab his, qui eam ſectentur, negligendas eſſe. Deinde demonſtrabimus, *quid libri ſacri hac de re contineant, et qui ſcriptores humani, cum vetuſti, tum recentiores, hoc genus paſſim illuſtraverint.* Diſſeremus denique *de his minutis rebus accommodate ad capita quaedam doctrinae moralis*, et quae univerſe dicta fuerant, transferemus ad vitam ipſam, ut accuratius intelligatur, quid et quantum ſit, haec omnia rite cognita habere, ac diligenter notare. In quo tamen non hoc nobis propoſitum eſt, ut argumentum, quod latiſſime patet, et rerum infinitam paene copiam continet, plane perſcriba-

mus, cum id nec imbecillitatis noſtrae, nec huius loci ac temporis ſit. Contenti erimus, primas veluti lineas duxiſſe, quae obſervatione, lectione, uſu facile poſſint perfici.

Pars prima.

De rebus parvis ipſis, in doctrina de moribus diligentius explicandis, ac de earum generibus.

IIII.

Videamus igitur, ut propoſitum eſt, primo quidem *notionem ipſam*, de qua hic agitur, ut intelligatur, quas potiſſimum res in hac cauſa parvas ſeu leves appellandas eſſe putemus. Atque hic licebit ſumere id, quod accuratius demonſtrant, qui de providentia Dei ſubtiliter diſputant, omnes mundi partes ab opifice ſummo ita ab initio conſtitutas eſſe, omnique tempore adminiſtrari, *ut omnia ſint apta inter ſe et connexa, et legibus quibusdam certis, tanquam vinculis contineantur.* In hac partium, quibus mundus conſtat, conſenſione, ac perpetua cauſarum ſerie et συμπλοκῇ, etiam *minimarum rerum* a Deo habitam eſſe rationem, nemini mirum videbitur. Neque enim perfecta eſſet omnibusque numeris abſoluta in Deo rerum cognitio, niſi ea quoque complecteretur, quae nobis parva videntur; curare autem omnia, et gubernare hanc rerum univerſitatem non poſſet Deus, niſi ſeriem eorum,

quae fiunt, ita copularet et componeret, ut, quae sit in perpetua causarum progressione etiam minimarum rerum efficientia, intelligeret, earumque vim sapienter moderaretur [4]). Hanc Dei curam, in rebus levissimis conspicuam, Dominus ipse praedicat Matth. X, 29. 30, et quam sit solatii plena demonstrat. Negat enim minimam aviculam a Deo negligi, horumque animalium vitam tam caram esse, ait, rectori mundi, ut sine eius numine nullum pereat. Quod autem hominum capillos quoque numeratos esse dicit; (nam quae ibi proxime de apostolis disserit, ea latius patent, possuntque ad homines omnes transferri) id indicat, in homine nihil tam parvum esse, nihil tam leve videri, quod providentiae divinae se possit subducere; solent enim, Hebraico more, capilli, cadentes de capite, dici de rebus adversis, iisque levissimis, ut satis constat; vid. 1 Sam. XIV, 45. 2 Sam. XIV, 11. Act. XXVII, 34. Falluntur itaque, qui, ut olim *Stoici*, aliique philosophi veteres, parva, censent, negligi a Deo [5]); hisque verbis Domini recte utitur *Dallaeus* [6]) adversus

---

4) Subtiliter et accurate hoc demonstrat *Plato de legibus* l. X, inde a cap. 14. p. 216 sqq. ed. Cantabrig.

5) Conf. *Cicero de Nat. Deor.* l. II. c. 66. et l. III. c. 35. *Plutarchus de audiendis poetis*, p. 24 et *de ira cohib.* p. 464.

6) *De usu patrum* l. II. pag. 275. Add. *Gregorius Nazianz. Orat.* XVI. Opp. tom. I. p. 260. 61.

Hieronymum, qui et ipſe negaverat, *ad hoc deducendam eſſe maieſtatem Dei, ut ſciat per momenta ſingula, quot nascantur culices, quotve moriantur* [7]). Eſt enim rerum omnium cauſarumque in mundo perpetuus ordo, continuusque nexus divino conſilio tam apte devinctus et implicatus, ut minima cohaereant cum maximis, nihil autem ſit, quod non cauſae cuiusdam praegreſſione ſiat. Quare uſus ipſe docet, e rebus minimis ſuspenſos eſſe eventus maximos, et omnia fere, quae unquam grandia viſa ſint, a tenui profecta initio, et aucta ſenſim parvis incrementis, ad magnitudinem ſuam perveniſſe. Exſtat etiam ſingularis hac de re libellus, Francogallico ſermone ſcriptus [8]), in quo tamen graviſſimum argumentum tractatur parum accurate. Congeſſit enim auctor, de fide ſcriptorum, quibus utitur, parum ſollicitus, nullo adhibito delectu, exempla quaedam magnorum eventuum, qui ſint e cauſis parvis orti. Sed eventus, quos ille magnos dicit, ſaepe ſunt illa appellatione non ſatis digni; ea vero, quae inprimis commemoranda fuiſſent,

---

7) Conf. *Commentar. in Abac.* Opp. Tom. V. p. 925

8) Index eſt: *Eſſai ſur les grands evénements par les petites cauſes*, Amſt. 1760, auctoremque habet *Richerum* quendam. Legendus hic eſt pulcerrimus *Bonneti* locus in *Contemplatione naturae* P. I. c. 7, qui, quamquam eſt brevior, tamen longe praeferendus eſt univerſae diſputationi ſcriptoris Francogallici.

ac depromenda e rerum geſtarum memoria, neglexit fere penitus. Quare optandum eſt, ut hic locus perſcribatur denuo, et a viro harum rerum perito illuſtretur diligentius. Nobis hic copioſius iſta perſequi nec libet, nec vacat. Hoc autem praetermitti in hac cauſa non debet, aptam illam, et ad certas leges exactam rerum omnium conſenſionem non tantum in ea mundi parte cerni, quae *corporum* infinita varietate conſtat; ſed ad *mentes* etiam pertinere, quae ſunt cum corporibus ita coniunctae, ut earum ſint in efficiendis mutationibus, quarum ſeries in hoc mundo explicatur, partes praecipuae. Nihil igitur in animis hominum ſit caſu et temere; nulla re *externa*, quamvis videatur leviſſima, affici poſſunt, quin aliquid ex ea trahant; in ipſa denique agitatione *interna* nihil eſt tam parvum, quin aliquid efficiat, ſitque cauſa mutationum aliarum. Qua de re quoniam copioſius praecipiunt, qui mentis humanae indolem aperiunt, et leges exponunt, quas in agendo ſequitur: nos iam illam diſputationem praetermittimus [9]).

V.

Sed haec ipſa cauſarum continuatio ſeriesque perpetua *ſaepe perobſcura eſt*, et ab ipſa natura

9) Conf. *Eberhardi* libellus: *Theorie des Denkens und Empfindens*; et Eiusdem *Apologia Socratis* Tom. I. p. 152 ſqq. et Tom. II. p. 387 ſqq.

tantopere involuta, vt vel penitus lateat, vel nonnisi partes quaedam a nobis possint conspici. Quis enim est, qui nexus tanti tamque varii veluti volumina explicare, et anfractus ubique persequi possit? Tanta est rerum, quibus circumfusi sumus, multitudo, quarum quaeque suam habet, sibique propriam mutationum seriem, ut, quamquam ipsi simus in hoc mundi nexu constituti, eiusque vim undiquaque sentiamus, tamen nemo sit, quem non saepe conturbent coagmentationis tantae multiplices εἱλιγμοὶ καὶ καμπαὶ πολυπλέκει. Nec mirum est, nobis in hac re longe gravissima, quae tam late patet, multa videri obscura, plurima vero a nobis penitus ignorari, cum animi acies vel in iis hebescat, quae nobis proxima sunt. Est enim mentis nostrae in arripiendis notionibus iis, quas per sensuum instrumenta de rebus externis accipit, et in formandis et contuendis reliquis, quas ipsa gignit ex se, vel ex opibus iamiam paratis promit et renovat, tanta celeritas, ut fere nullibi consistat, sed continuo impetu ad novas ideas feratur. Haec agitatio saepe vehementer augetur ipsis rebus externis, cum aliquid accidit praeter opinionem, quod motum aliquem in animo excitet, eumque vel voluptate perfundat, vel taedio afficiat. Praeceps autem est ista cogitandi celeritas maxime in hominibus iis, quibus ipsa natura tribuit alacritatem quamdam, ut facilius, quam

alii, et concipiant motum, et diutius continuent. In hac igitur concitatione non omnia, quae videt animus, sentit et cogitat, ita ab eo percipiuntur, ut singulorum sibi sit distincte conscius. Plurima praetervolant, mentemque non nisi leviter tangunt. Impetum enim, quo ad nova ruit animus, nonnisi tunc cohibere solet, cum vel invitus cogitur in aliqua notione haerere; quam necessitatem ac tanquam vim ei aegritudo, tristitia, dolor, alia, afferunt: vel cum aliquid percepit, quod contemplatione dignum videtur, et quod pulcritudine, novitate, mirabili quadam indole, vel alia quacumque demum ratione eum allicit ac tenet. Iam vero *ea, quae in isto cursu praecipiti impetum animi aliquo modo cohibent, et efficiunt, ut consistat, seque ad contemplandum et deliberandum det, gravia* dicuntur et *magna;* habentque, ut iam diximus, hanc vim, convertendi in se animum ac tenendi, vel eae res, quae nova multa, inaudita et observatu digna continere videntur; vel eae, quae sunt cum salute nostra aliquo modo coniunctae. Quare istius magnitudinis seu gravitatis, quam rebus tribuimus, gradus sunt paene infiniti, quibus attentio animi ita respondet, ut, quo magis ista gravitas sentiatur, sive vera sit, sive opinata, eo diutius in re ipsa haereamus. Reliqua vero omnia putantur *parva et levia;* non quidem propterea, quod vere sunt contemnenda; vidimus

enim, in hac rerum compage nihil esse, quod ob nexum cum reliquis non accipiat aliquam vim; sed quod nobis imperitis, aut festinantibus, ita videntur. *Parvas* igitur *res* hic dicimus *eas, quae animum vulgo non possunt attentum facere, hoc est, quae sunt ita comparatae, ut afficiant quidem animum, et aliquam in eo mutationem producant, sed levem, quae eius attentionem non satis possit in se convertere.* Talia etiam *Cicero* in libris *de officiis* appellat *parva. Ut in fidibus,* inquit, *musicorum aures vel* minima *sentiunt: sic nos, si acres ac diligentes esse volumus animadversores vitiorum,* magna *saepe intelligemus ex* parvis [10]). Ad *parvorum* genus autem refert oculorum obtutum, superciliorum aut remissionem aut contractionem, moestitiam, hilaritatem, risum, alia, quae imperiti solent in aliis parum animadvertere, quod spectantium animos leviter tantum afficiunt. Sic et *Quinctilianus* ea, quae multis in instituendo oratore videntur exilia, quamquam sint satis gravia, appellare solet *minora, quae si negligas, non sit maioribus locus* [11]). *Plinius* autem, cum docet, parva multa, quae vulgo spernantur, non esse posthabenda his, quae plerumque putentur magna, plane loquitur

10) *Libro* I. c. 4.

11) Conf *Institut. Orat.* Prooem. §. 15 et l. I. c. 1. §. 21.

eodem modo. *Sed turrigeros*, inquit [12]), *elephantorum miramur humeros, tauroruinque colla, et truces in ſublime iactus, tigrium rapinas, leonum iubas; cum rerum natura nusquam magis, quam* in minimis *tota ſit.* Pari modo *Tacitus* [13]) in Annalibus, *pleraque*, inquit, *eorum, quae retuli quaeque referam*, parva forſitan et levia, *memoratu videri, non nescius ſum.* — *Non tamen*, addit paucis interiectis, *ſine uſu fuerit, introſpicere illa primo adſpectu levia, ex quibus magnarum ſaepe rerum motus oriuntur.* Similes dicendi formulas *Boetius* adhibet de conditione eorum, qui vulgo dicuntur beati. *Adde*, ait [14]), *quod feliciſſimi cuiusque delicatiſſimus ſenſus eſt, et, niſi ad nutum cuncta ſuppetant, omnis adverſitatis inſolens*, minimis *quibusque proſternitur; adeo* perexigua *ſunt, quae fortunatiſſimis beatitudinis ſummam detrahunt.* Nam quae hic *minima* vocantur et *perexigua*, ſunt res leves, quibus alii, quorum eſt obtuſior ſenſus, non afficiuntur. Ita Graeci quoque loquuntur. *Plutarchus* quidem in libello *de profectu virtutis ſentiendo*, aliquoties μικρὰ appellat res eas, quae vulgo, et maxime ab imperitis, in ſectanda vir-

---

12) *Hiſt. Nat.* l. XI. c. 1.

13) Lib. IV. c. 32.

14) *Conſolat. Philoſ.* l. II. p. 72. 73.

tute ſolent negligi, quamquam vim habeant longe maximam. Nam tritum illud:

Εἰ γάρ τιν καὶ σμικρὸν ἐπὶ σμικρῷ καταθεῖο
Καὶ θαμὰ τᾶθ' ἐρδοις,

non tantum de augenda pecunia bene dici, ait, ſed poſſe etiam ad incrementa virtutis transferri [15]). Eum vero in virtute multum profeciſſe putat, qui nihil ſibi indulgeat, quod reprehendi poſſit, ἀλλὰ προτέχων ἑκάστῳ, καὶν εἰς τὸ μικρότατον ἡ κακία ποτὲ τῶν ἁμαρτημάτων ἐνδῦσα, συγγνώμην περίζηται, id aegre ferat et indignetur [16]). In illo denique *Euripidis* [17]):

— — — τῶν ἄγαν γὰρ ἅπτεται
Θεὸς, τὰ μικρὰ δ' εἰς τύχην ἀνεὶς ἐᾷ

manifeſte dicuntur μικρὰ de rebus, quae divina procuratione propterea non ſatis videntur dignae, quod ne hominum quidem attentionem in ſe convertunt. Ipſum igitur perverſum, minuta conſectandi ſtudium μικρολογία dicitur a ſcriptoribus Graecis, nominatim a *Plutarcho* [18]). Sed haec de *notione* ſufficiant.

---

15) Pag. 76. *ed. Franeof.*

16) Pag. 85.

17) Conf. *Fragm. Euripidis ex incert. tragoed.* CXXIX. pag. 488. ed. Lipſ. et *Plutarchus de ira cohib.* circa fin.

18) Cf. eius *Quaeſtiones Platonicas* p. 171. ed. *Reiske.*

VI.

Veniamus ad *genera rerum minutarum*, quas ob parvitatem cum magiſtri virtutis in praecipiendo, tum hi, qui in corrigendo animo vel deberent laborare, vel vere laborant, in agendo, plerumque ſolent negligere. Eſt autem earum, ut facile intelligitur, infinita paene multitudo. Ut enim quisque eſt in obſervandis et indagandis animi ſui viribus, agitatione, motu, omninoque mutationibus internis omnibus indiligentior et levior: ita etiam maior ſolet eſſe copia rerum, quae ipſi videntur exiguae. Atque ne is quidem, qui mentis aciem diligenter acuit ad videndos motus internos, eorumque viciſſitudines curioſe ſpectandas, praeſenti ſemper animo utitur, cum tanta cura, ac tam perpetua et conſtans, vix cadat in imbecillitatem humanam. Quis non interdum dormitat, vel arctiori quodam ſomno opprimitur? Quem non ſaepe is ipſe ſenſus internus decipit, ut ſe ipſe non ſatis habeat perſpectum, et in ſuis aedibus veluti peregrinetur? Quem denique imagines rerum extrariarum, irrumpentes undiquaque per ſenſus, interdum non ita conturbant, ut nascentes in animo opiniones, libidines, perturbationes non ſtatim poſſit cernere et intelligere? Sed hoc ipſum, quod res, quae leniter afficiunt animum, et hanc ob cauſam parvae dici poſſunt, vel *extra nos* poſitae ſunt, vel *in nobis*

ipſis ſitae, nos impellit, ut earum *duo conſtituamus genera*, quorum alterum complectatur *omnia, quae ſub ſenſus cadunt;* alterum vero *e rebus iis conſiet, quae in ipſa animi agitatione inſunt.* De utroque genere iam deinceps paullo conquiſitius agamus.

VII.

Ac primo quidem generi earum rerum, quae ſunt *extra nos poſitae*, ac ſenſus leniter tangunt, ut factam mutationem parum curet animus ac fere negligat, *tres ſubiectae ſunt formae.* Interdum enim a rebus *ſingulis* hoc modo afficitur animus; interdum *a pluribus ſimul;* interdum denique *a multis, quae ſibi ſuccedunt.* Multa enim quotidie percipimus, multa videmus et audimus, quae, quod leniter affluunt ad animum, nec cum rebus aliis ita copulata ſunt, ut ictu vehementiori nos commoveant et quatiant, parum curare ſolemus. Nam in illa feſtinatione, qua continuo ferimur ad nova rerum ſimulacra, res ſingulas, quarum non eſt vis tanta, ut animum poſſint attentum facere, perfunctorie tantum, et quaſi aliud agentes, percipimus, eaeque obſcuriores imagines vehementer negliguntur ab his, qui non didicerunt, animi ſui ſtatum ſpectare, eiusque viciſſitudines curioſius anquirere. Sed dici non poteſt, quantam vim haec levia, quamvis vehementiorem motum non excitent, in animo ſaepe

exferant. Falluntur enim, qui exiſtimant, ea nihil in nobis efficere propterea, quod animum non teneant, et ad ſe rapiant, vel quod eorum vis non ſemper ſtatim manifeſta ſit. Quis enim nescit, excitari nonnunquam in nobis *appetitus*, quos quid provocaverit, ipſi ignoramus; ſentiri interdum *infractionem* quandam ac *demiſſionem animi*, quae unde ſit orta, non ſatis intelligimus; adeſſe ſaepe *praeparationem quandam affectus*, veluti irae, triſtitiae, gaudii, nec intelligi poſſe, quid nos ita affecerit; inſtaurari repente a phantaſia *magnam viſorum multitudinem*, nec perſpici, unde mens ea renovandi occaſionem arripuerit. Haec, et alia multa, plerumque proficiscuntur a leni illa rerum extrariarum efficacia, cuius, cum tangit animum, et per ſenſus ſollicitat, non ſemper rationem habemus. Manifeſtum id eſt maxime in iis, qui ſunt alicui vitio dediti, in iracundis, libidinoſis, avaris, aliisque. Hi enim rebus minimis facillime irritantur, nec eſt in rebus externis quidquam tam parvum, modo habeat aliquam cum ipſorum vitio coniunctionem, quod perdant, et quod affectos ipſorum animos non offendat. Interdum vis iſta rerum externarum, quae ſingulae leviter tantum nos alliciunt, tum demum manifeſta ſit, cum ſenſim apud animum collectae ſunt. Ita cum multa vel vidimus,

vel audivimus, quae singula non sufficiſſent ad exhilarandum animum: tamen ipſa illa rerum minimarum copia, quae paullatim, ac per intervalla, animum tetigerant, tandem iucundos motus producit, et hilaritate nos perfundit.

VIII.

Sed earum quoque rerum, quae *simul in nos agunt*, non ſemper tanta vis eſt, ut magnam animi attentionem excitent, et ſtudioſe a nobis obſerventur. Illabuntur ſaepe multarum rerum ſimulacra animum ſimul, ſed tam leviter et quaſi clanculum, ut, niſi diligens et curioſus fuerit rerum ſuarum animadverſor, ipſe vix ſciat, quid potiſſimum ſenſerit. Hanc ſimulacrorum, animum ſimul pulſantium, vim lenem, interdum mollem etiam et ſuavem, qui neglexerit, is ſemet ipſe magnis ad virtutem incitamentis privare, vel imprudens opprimi poteſt peccandi periculis, quae minime praeviderat. Quem non adſpectus locorum quorundam, quem non cubiculi et receſſus tranquilla ſolitudo, quem non *tacitae*, ut eſt apud poetam, *amica ſilentia lunae*, quem non ſaepe alia rerum nobis circumiectarum multitudo et varietas, ita afficit, ut animus, antea nihil tale agens, ſenſim erigatur ad Deum, ſenſus motusque pios concipiat, multaque praeclare cogitet, atque

decernat [19]). Eadem vero rerum multarum, simul perceptarum, vis etiam plurimum valere potest in contrariam partem. Incautos enim facile potest ad levitatem, petulantiam, libidinem et peccandi impetum allicere ac praeparare, et pedetentim eo perducere, quo nec putaverant, nec volebant. Id fere tum fit, cum improvisa opportunitas temporis et locorum peccandi propositum in iis efficit, qui in eam cogitationem nunquam delapsi essent, nisi inopinatus rerum extrariarum nexus animum leniter illexisset, et imprudentes decepisset. Dici non potest, quot hoc modo flagitia orta sint, et ab iis quoque commissa, qui nunquam putassent, se talia audere posse. Sic interdum boni viri, adversus rerum externarum illecebras lenes non satis muniti, praeter opinionem ea facere possunt, a quibus videbantur et sibi, et aliis longe alieniſſimi. Quis nescit, quantopere vertantur

19) Si tibi occurrit vetustis arboribus, et solitam altitudinem egressis, frequens lucus, et conspectum caeli, densitate ramorum, aliorum alios protegentium, submovens, illa proceritas silvae, et secretum loci, et admiratio umbrae, in aperto tam densae atque continuae, *fidem tibi numinis facit*. Et si quis specus saxis penitus exesis montem suspenderit, non manu factus, sed naturalibus causis in tantam laxitatem excavatus, *animum tuum quadam religionis suspicione percutiet*. Magnorum fluminum capita veneramur; subita ex ablato vasti amnis eruptio *aras habet*. Colunt aquarum calentium fontes; et stagna quaedam vel opacitas vel immensa altitudo *fecerit*. Sen. ep. Ep. XLI. Cont. memorabilis hac de re *Rousseau* locus in *Confessionibus*, Oper. tom XXXI. p. 340. ed. Bipont.

habitus animorum aeris caelique mutatione. Ita enim fere animo affecti ſumus, ita vel hilaritatem quamdam ſentire, vel opprimi ſolemus triſtitia, uti tempeſtatis ratio tulerit. Iam *Homerus* cecinit:

Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων

Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγῃσι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε [20]).

Neque hic praetermittenda eſt illa vis, quam opera artificum, quibus quotidie utimur, quae ſemper videmus et tractamus, et quibus ſenſim adſuescimus, in animo exſerunt. Manifeſtum enim eſt, et uſu ipſo comprobatum, operibus artificum imperfectis, maleque compoſitis, hebetari pulcritudinis ſenſum, eosque, qui quotidie hauriunt vitioſas pravasque talium rerum imagines, et, ut *Platonis* formula utar, *gramine noxio nutriuntur*, multa paullatim ab his rebus externis decerpere, quae animo ſint perniciosa, et ignaros ſaepe magnum malum contrahere. Praeclara eſt hac de re *Platonis* disputatio *in tertio libro de republica* [21]), ubi copioſius docetur quantum ſit, haec parva diligenter animadvertere. Exiſtimant quidem vulgo hi, qui de mentis humanae natura ſub-

---

20) conf. *Odyſſ.* Σ. v. 135. 136 *Homeri* autem ſententiam expreſſerunt alio modo ſcriptores multi; vid. *Virgilius* Georg. l. I. v. 415-423. *Diogenes Laertius* l. IX. ſegm 71. et *Sextus Empiricus Pyrrhon Hypotypoſ.* l. III. c. 25. §. 241. ad quem locum plura notavit *Fabricius*.

21) Inde a pag. 616.

tiliter cogitare non didicerunt, nihil referre, quibus rebus circumdati ſint homines, quibus utantur aedificiis et veſtibus, qua ſupellectile, quae ipſorum oculis obiectae ſint ſpecies in tabulis, ſignis, aliisque artificum operibus, quod audiant genus muſices, quas cantiones, quos verſiculos ediscant. Sed quis non videt, haec omnia vel propterea, quod ante oculos obverſantur quotidie, et varie uſurpantur, non poſſe in animum non influere, eumque leniter flectere. His parvis rebus ſenſim corrumpitur animus, ſi pravae fuerint, ut negligentiam, agreſtem quamdam ἀναισθησίαν, petulantiam, ſpurcitiemque in omni vita demonſtret; ſin boni decorique naturam expreſſerint illae res externae, ſenſum pulcritudinis, conſtantiae, ordinis in omnibus dictis et factis, alent et confirmabunt, ut homines, quaſi aliud agentes et ignari, cernere discant, quid ſit in quavis re pulcrum et aptum, idque in omni vita diligere incipiant et ſectari. Quare *Plato* eo, quem diximus, loco recte monet, in educandis adoleſcentibus habendam eſſe rationem rerum externarum omnium, quibus ſint circumdati; ut in ſalubri quaſi loco habitantes, undiquaque adiuventur, et a praeſtantibus artificum operibus, vel ad oculos, vel ad aures aliquid perveniat veluti aura, a locis ſalubribus ſanitatem ſecum ferens, quae eos ſtatim a pueris ſenſim ſenſimque ad amicitiam et

conſenſum cum iis, quae ratio ſuadet, leniter provehat [22]).

IX.

Habet denique, ut ſupra obſervavimus, etiam *ſucceſſio rerum externarum*, et mutationum quarumdam continuata ſeries hoc, ut animum tangat interdum leniter, ſed incautum, et prima illa irritamina ſpernentem, varie decipiat. Hoc modo ſaepe oriuntur *perturbationes animi*, et praeter opinionem tantopere augentur, ut animus incitatus nec cohibere ſe poſſit, nec, quo loco vult, inſiſtere. Ubi enim mutatione quadam externa leniter affectus, primum ictum neglexeris, motumque ſuſceperis quantumvis levem, accedentibus identidem novis irritamentis, continuo crescit agitatio, ac perturbatio exſilit tanta, ut incitatus animus proclive labatur, ſuſtinerique non amplius poſſit. Conſpicuum eſt hoc fallens, et a parvis rebus profectum, perturbationis incrementum in irascentibus. Saepe nutus aliorum, ſaepe vultus, non nihil contemtionis prodens, levem aliquem morſum in animo relinquit; ſi eorum riſus acceſſerit, crescet tacita indignatio; adde iocos, vehementer ales incenſi hominis ardorem; adde dicterium, videbis, quantopere ſe

22) Pag. 619.

ipſa impellat ira, nec amplius conſiſtendi locum reperiat. Atque his parvis rebus inprimis ii commoveri ſolent, qui ſunt procliviores ad ſuperbiam, vel dediti vitae generi paullo molliori. Hi cauſas irascendi facile ubique inveniunt; ac veriſſime hac de re *Plutarchus* in libello *de ira cohibenda* καὶ μὴν τάς γε συνεχεῖς, inquit, καὶ πυκνὰς, καὶ κατὰ μικρὸν ἐν τῇ ψυχῇ συλλεγομένας ὀργὰς, μάλιστα φιλαυτία καὶ δυσκολία μετὰ τρυφῆς καὶ μαλακίας, οἷα σμῆνος ἢ σφηκίαν, ἡμῖν ἐντίκτουσι [23]). De amore idem dixeris. Parva fere ſunt, quibus excitatur, parvis rebus alitur, atque omnino, ut notum eſt, μικρολόγος eſſe ſolet ac φιλαίτιος. Inprimis notabilis eſt leviuscularum mutationum vis in commovendis ſuſpicionibus, quae ubi ſemel ortae ſunt, e rebus minimis ingens incrementum capiunt. Exemplo poſſunt eſſe ii, qui Zelotypiae ſtimulis incitantur. Quid enim agere, quid dicere, quid ſuſcipere, quid omittere, quomodo denique vultum componere poteſt amaſius, quin Zelotypus inſtitutis eius omnibus utatur ad ſuſpicionis ſuae vim confirmandam, animique dolorem augendum. Omnia in contumeliam et aliorſum accipit, atque facta ſunt, omnia interpretatur inique, ſe ſemper credit negligi. — Praeter-

23) Pag. 461.

mittimus alia multa, quae hac de re disputari possent, quoniam putamus, vel his paucis planum esse factum, res externas, modo sigillatim, modo coniuncte, animum saepe ita afficere, ut earum efficacia imperitis videatur quidem levis et parva, ab eo autem, qui alios ad virtutem utiliter instituere voluerit, diligenter notanda sit et explicanda.

X.

Sed plura latent *in animo ipso*, *et in ipsa eius agitatione* occurrunt, quae vulgo putantur parva, et quorum vim ii, qui de doctrina morali praecipiunt, saepe nimis negligunt; sequitur itaque, ut etiam hoc genus paucis illustremus. Ac primo quidem in nobis est *ingens multitudo idearum obscurarum*, quarum mens, cum non possit multa simul complecti ac distincte cogitare, parum sibi conscia est. Harum autem duplex est genus. Primum earum, *quae nec percipi, nec instaurari ita possunt, ut perspicuitatem accipiant, et mens intelligat, quomodo sint a reliquis distinguendae.* Non paucae quidem iam tum sunt imperfectae, cum eas arripimus. Talium ingens multitudo proficiscitur a *corpore*, cuius mutationibus varie movetur mens et afficitur, sed non raro tam leniter et obscure, ut, quid senserit, ignoret ipsa. Neque enim graviores tantum nobis ἀχολίας καὶ ταραχὰς παρέχει τὸ σῶμα, de quibus

veteres conqueri ſolebant [24]): ſed etiam implet nos vitioſa turbulentaque eius natura infinita propemodum multitudine parvorum motuum, qui, quamquam tangunt animum, tamen plerumque ſunt ἀκατάληπτοι, et evidentia deſtituti. De his recentiores philoſophi inſtituerunt praecipere accuratius, et inprimis id fecit *Leibnitius* [25]). Interdum idearum obſcuritas inde oritur, quod *memoria* quasdam earum partes ſenſim paſſa eſt euanescere, nec eas iam plenas reddit et abſolutas. Hae inſtaurari quidem raro poſſunt, et recuperare priſtinam ἀρχήν; ſed vis earum minime periit, ſaepeque vehementius impellunt animum, quam eae, quibus ad maximam perſpicuitatem nihil deeſt. Alterum genus eas complectitur ideas obſcuras, quae poſſunt quidem revocari, quod memoria retinentur integrae, ſed, *cum mens eſt aliis rebus intenta, receſſerunt quaſi in umbram.* Hoc genus patet latiſſime, et continet omnia, quae praeter eas res, quibus adhibetur attentio, in animo condita ſunt. Iam cum ſit perpetua mentis agitatio, et incredibilis in cogitando celeritas; in illa ipſa feſtinatione autem nec

---

24) cf. *Plato* in *Phaedone* c. 11.

25) In opere praeſtantiſſimo, quod inſcriptum eſt: *Nouveaux Eſſais ſur l'Entendement humain*, et inſertum collectioni operum *Leibnitii*, a *Raspio* editorum.

temere erremus, nec poſſimus quodam quaſi ſaltu ad quascumque notiones pervenire, ſed viam potius teneamus certam, quae ducat per ideas, aliquo vinculo et quadam veluti affinitate coniunctas: ſaepe accidit, *ut tranſitus ille ad cogitationes novas per ideas obſcuras fiat*, quae vel plane nulla, vel admodum parva luce inſignitae ſint et colluſtratae. Quare ſaepe nescimus ipſi, qua ratione, quave via ſimus ad cogitationes delati, quae cum antegreſſis non videntur cohaerere. Atque omnino tota hominis vita conſumitur iſta notionum viciſſitudine, quarum aliae diſtincte cogitantur, aliae obſcuritate ſua latent, quamquam omnes communi quodam vinculo aptae ſint inter ſe et connexae. Sed quis non intelligit, quantum interſit, animum ad videndas et contemplandas iſtas viciſſitudines acuere? Principio enim eius rei ignoratio *ſuperſtitioni* favet, et multos induxit, ut, quoniam non intelligebant, quomodo potuerint ſubito in ipſis exſiſtere notiones, ab antegreſſis longe diverſiſſimae, cogitationes, ab hoc fonte manantes, vel divini ſpiritus afflatui tribuerent, ſi piae viderentur; vel diaboli fraudibus, ſi eſſent impiae ac deteſtabiles. Et hoc modo, quis nescit, quot homines fanatici omni tempore exſtiterint, quot phantaſiae ludibria perturbaverint genus humanum, quot denique homines miſeri, qui ſe tentatos a diabolo putarent, animo

vehementer discruciati sint? Deinde, quod motus animorum duplices sunt, alteri cogitationis, alteri appetitionis: ideae obscurae, praesertim si fuerint motus parvi, a corpore profecti, interdum *appetitus quoque sollicitant*, et ad agendum impellunt. Atque sic gliscere incipiunt desideriorum igniculi, quorum origines saepe ipsi ignoramus; sic interdum angoribus afficitur animus, quorum causae nos latent. Haec omnia, parva quidem illa, et quae imperitorum animadversioni se facile subducunt, qui neglexerit, is imprudens ad peccata abripitur, nec potest esse sui potens; nam nec animi tranquillitatem conservabit, nec virtutem, quam sibi comparavit, satis tueri poterit, cum artes animi clandestinas, eiusque latebras interiores non habeat perspectas. Monendi igitur sunt homines et hortandi, ut saepe ad se redeant, animique motus minimos observare discant, ne, cum talia acciderint, haereant et conturbentur.

XI.

Quod autem de notionibus singulis diximus, id etiam *ad opiniones et iudicia* transferri potest, quae ipsa interdum latent in nobis, ut quamquam in agendo nos regant, mens tamen eorum sibi parum sit conscia. Est enim haec plurimorum hominum conditio, ut statim atque nati sunt, in omni continuo pravitate versentur, ac paene cum

lacte matris plurimos errores fuxiſſe videantur. Multas opiniones etiam ipſi fingimus, cum per aetatem nondum poſſumus recte iudicare, et, quid ſit in quavis re verum, ſubtiliter videre. Hae autem opiniones, mature collectae, inhaerescunt in mente penitus, et quae puerilis animus arripuit, ea ſunt, ut vere ait *Plato* [26]), δυσέκπατα τε καὶ ἀμετάστατα, vix elui, vix abſtergi poſſunt ac ſubmoveri. Sed haec ipſa conſuetudo diuturna, quae has opiniones quaſi partem aliquam noſtri fecit, *omnem mentis attentionem ab iis avertit*, nec ſinit nos eas in eorum numero habere, quae cura noſtra indigeant. Hinc ſit, ut multa peragamus quotidie, non certa ratione ducti, ſed impulſi obſcuris iſtis animi iudiciis, quae ſenſim convaluere. Nec tales opiniones, mente ſemel comprehenſas, ac temporis diuturnitate confirmatas, facile evellat ratio. Miramur ſaepe, qui ſiat, ut graviſſimis argumentis vel apud nos, vel apud alios nihil efficiatur. Indignamur interdum, nos ne iis quidem aſſentiri poſſe, qui veriſſima et utiliſſima ſuadere videntur, ſed impediri ſenſu quodam obſcuro, qui nullo argumentorum pondere opprimatur. Atqui in hoc ſe exſerit vis illa opinionum obſcurarum, quas mature concepimus. Hae enim efficiunt, ut, quamquam meliora pla-

---

26) *De Republ.* l. II. p. 605.

ceant, et assensu nostro digna videantur, ea tamen non possimus penitus admittere, et toto animo complecti, quod nimis apud nos invaluit ratio contraria, ac fere coaluit cum ipsa mentis nostrae natura. His opinionibus tribuendum etiam illud est, quod animus interdum propensus esse solet, *ad motus quosdam turbidos* et inimicos rationi, ad *libidines* et *declinationes*, quarum vis tanta est, ut, quamquam earum vanitatem perspiciamus et rideamus ipsi, opprimi tamen a nobis et exstirpari non possint. Hoc sciunt, ut exemplo utar, omnes, quos anilis superstitio mature imbuit opinione vana, esse phantasmata, per silentium noctis excitantia strepitum, in varias se mutantia species, hominibusque infesta. Ficta esse, vel a fraudibus hominum profecta, quae vulgus de talibus idolis narrare soleat, id quidem hi, qui pueri credere solebant ista ac perhorrescere, cum adepti sunt aliquam iudicii maturitatem, facile intelligunt. Sed recta ratio, quam incipiunt sequi, non statim, vel potius nunquam, penitus tollet timorem. Tanta enim in iis est opinionis olim susceptae vis, ut, cum adeunda sunt loca tenebricosa, secreta, infamia vulgi rumoribus, vel inviti cohorrescant, et memoria imaginum, quas olim sibi finxerant, inerret oculis. Fatebuntur hoc omnes, qui olim dediti fuerant isti errori, et nos

ipſi hoc ſcribimus experti [27]). Haud raro etiam *honeſtatis ac pulcritudinis ſenſus* corrumpitur obſcuris iſtis et inveteratis opinionibus. Nam quod tam variae ſunt tamque discrepantes hominum ſententiae de rebus honeſtis ac turpibus, atque omnino de his, quae decora, apta, venuſta dicenda ſint, id prope totum repetendum eſt ab opinionibus mature collectis ac temere, quae, quamquam ſenſim obruuntur quaſi cogitationibus aliis, ut fere penitus videantur evanuiſſe, tamen pectoris teneri mollisque ſenſum dudum ita conformarunt, ut poſtea vix corrigi poſſit, ac reſingi. Non male dicitur, nullum unquam hominem *ſine mixtura dementiae* fuiſſe. Conſtat enim, cuiusque fere ſenſum, mores et inſtituta in nonnullis rebus a vulgari conſuetudine penitus abhorrere, nec facile quemquam eſſe, qui non ſuo modo deliret. Sed et haec propria cuivis in quibusdam rebus dementia plerumque manat ab iſto fonte opinionum obſcurarum, quas temere arripuit animus puerilis, et dudum ante ſequi coepit, quam recte iudicare disceret [28]). Neque exiſtimari

---

27) Non inſpexiſſe pigebit locum memorabilem *Goezii* in libro: *Nützliches Allerley aus der Natur und dem gemeinen Leben*, tom. I. p. 312-315. ed. nov.

28) Praeclare hac de re differit *Lockius* in opere aureo: *Eſſai philoſophique, concernant l'Entendement humain* l. II. c. 33. Addi poſſunt, quae *Malebranchius* collegit: *de la Recherche de la Verité* l. II. part. III. p. 253-310.

debet, tales opiniones, quae obſcuritate ſua nocent, tantum a teneris animis ſuscipi. *Etiam adulti* fere quotidie e conſuetudine cum aliis, et ex iis, quae videmus et audimus, aliquid trahimus inſcii, quod in animo firmiter ſedeat, eumque pravis opinionibus inficiat. Dici non poteſt, quanta ſit hac in re *vis exemplorum*, cum omnium, tum inprimis eorum, quae proponuntur ab hominibus, quos amamus, colimus, veneramur. Horum moribus, horum agendi ratione facile fit, ut multae latenter irrepant opiniones, et nescientes, vel certe parum curioſos rerum ſuarum ſpectatores varie corrumpant. *Nemo non*, praeclare hac de re ait *Seneca* [29]), *aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit — Convictor delicatus paullatim enervat et emollit. Vicinus dives cupiditatem irritat; malignus comes, quamvis candido et ſimplici, rubiginem ſuam affricuit.* Haec omnia vulgo putantur parva. Nam quotusquisque eſt, qui in ſe ipſum descendens, diligenter examinet, quibus ſit opinionibus deditus? Quotusquisque eſt, qui eas protrahat in lucem, et obſervet, quid et quantum in ſe quotidie efficiant? Sed deberent hi, qui doctrinam moralem coram populo tractant, hac de re ſaepius admonere homines, et quoniam

29) *Epiſt.* VII. quae tota huc pertinet.

ſunt ex opinionibus illis nonnullae pluribus hominibus communes, has potiſſimum ſtudioſe notare, et oſtendere perſpicue, quomodo uſu et exercitatione poſſit animus tum ad videnda haec clandeſtina vitia, tum ad evellenda et corrigenda acui et aptus fieri.

XII.

Pertinent autem ad res parvas, quae in animo ipſo latent, inprimis etiam illi, quos paullo ante diximus, *deſideriorum igniculi*, ſive ab obſcuris ideis, ſive a claris proficiscantur, omnino-que *omnes voluntatis inclinationes repentinae, momentaque ſaepe perlevia.* Eſt enim haec animi humani natura, ut voluntas interdum leviſſimis momentis impellatur, quae mentis acies, omni adhibita contentione, non ſemper poteſt perſpicere et invenire. Id non modo tum fit, cum aliquid celeriter decernendum eſt, vel cum de rebus agitur quotidianis et levibus, quas parum curamus, et quaſi ſorte decidimus; ſed in graviſſimis etiam, de quibus eſt difficilis deliberatio, quod multa de iis in mentem veniunt in utramque partem. In tali cauſa cum incertus haeret animus et anceps, atque optat, ut aliquid momenti accedat in alterutram partem, arripit plerumque rem quamque leviſſimam, quae vel per ſenſus ad nos delata eſt, vel induſtria phantaſiae ſubminiſtrata, vel ab appetitu quodam vehementiori pro-

fecta. Sed haec momenta levia, quae saepe plurimum valent in rebus gravissimis, quam parum ab hominibus observentur, vel ex eo potest intelligi, quod eorum ignoratio peperit opinionem *de libertate*, quam dicunt, *indifferentiae*, quae omni tempore multis philosophis vehementer placuit. Si quis igitur voluerit in omni deliberatione ita versari, ut minime pendeat a casus arbitrio: omni studio laborare debebit in eo, ut acute videre discat in rebus iis, quae voluntatem quovis tempore inclinant et impellunt. Etsi enim non semper omnia momenta inveniet, quae adsunt: hoc tamen usu et contentione efficiet, ut multa rectius animadvertat, quam alii, nec casu quodam in ea veluti incidat, quae prudenter decernenda fuerant et caute. — Sed *appetitiones* quoque et *aversationes* a parvis plerumque proficiscuntur initiis. Non statim desiderio ardet animus, non statim laetitia gestit et exsultat; sed sunt quaedam principia, his magnis commotionibus praeludentia, eaque parva, in motu quodam leni, plerumque ne voluntario quidem, posita. Hoc etiam in iis commotionibus locum habet, quae sunt ex opinione mali, in metu, aegritudine, tristitia. In omnibus, quae appetit animus ac detestatur, incipit a leviori quodam conatu, qui sequi solet ictum primum, quem senseramus. Hunc conatum, hanc vehementioris perturbatio-

nis comminationem, qui negligunt, vel subtiliter observare ne didicerunt quidem: ii vi appetitum, quae, cum semel excitata est, celerrime crescit, ita trahuntur, et inviti quoque solent abripi, ut non amplius possint resistere. Atque hoc ipsum, quod non omnes voluntatis motus cum animi conscientia fiunt, sed minutis rebus saepe impellimur, quarum nulla est distincta repraesentatio, hoc ipsum igitur etiam illud efficit, *ut multa, per membra corporis quoque, peragamus, quorum nobis non satis sumus conscii.* Id autem fit duplici modo. Primo quidem tum, cum quaedam agendi ratio *abiit in consuetudinem.* Nam quae ex habitu peragimus, ea non amplius requirunt mentis animadversionem et diligentiam, saltem admodum parvam, et ita fere fiunt, ut actio ipsa non impediat animum, quominus rebus aliis intentus sit. Sed praeter eas res, in quibus consuetudine ducimur, instituimus etiam quotidie multa, *quae ob parvitatem nos latent,* ut interdum nec sciamus, nec aliis credamus, ea a nobis vel fieri, vel facta esse. Quanta est varietas eorum, quae in motu corporis, in vultu, in oculorum obtutu, in locutione, in statu, incessu, sessione, et in multis aliis proficiscuntur ab animo parum sibi conscio, et quae ab aliis animadvertuntur in nobis facile, a nobis ipsis saepe penitus ignorantur. Solemus etiam, ut docet expe-

rientia, has minutas actiones facile repetere, et hoc modo inde habitum contrahere, qui saepe tantus est, ac tam pertinax, ut vix possit acerrima diligentia debilitari ac depelli. Quid autem in hac animi mobilitate, quae nunquam quiescit, sed perpetuis mutationibus cietur et agitatur, magis necessarium est, quam ut homo semper excubare discat, ne ex his parvis rebus, quas imperiti negligunt, pereat aliquid, quod ad confirmandam muniendamque virtutem pertinere possit; vel aliquid tacite crescat, et sedem in animo figat, quo corrumpatur, et status eius fiat deterior.

XIII.

Sed restat hic ipse *status animi*, de quo, quod et iple interdum parvi ducitur, nonnulla dicenda supersunt. Efficitur autem animi status mentis ac voluntatis motibus, qui quovis tempore adsunt, ac veluti dominantur in nobis. Iam cum alia *fere semper occupent* animum, alia vero *celeriter mutentur*, sintque continuae vicissitudini obnoxia: recte de statu animi iudicari non potest, nisi haec duo accurate distinguantur. Id igitur, in quo *constantia quaedam* locum habet, cernitur in universa conformatione animi, et in propria quadam consuetudine cogitandi ac sentiendi, quam sibi quisque comparavit usu diuturno. Talis autem consuetudo, quaecunque demum fuerit, ubi semel in nobis invaluit, dici non potest, quan-

topere vel minimis rebus affici poſſimus et commoveri. Hoc enim ineſt in ipſa habitus et conſuetudinis natura, ut vehementer acuat ſenſum earum rerum, ad quas pertinet. Iam ſi quis tam imperitus fuerit eorum, quae intus geruntur, ut neſciat ipſe, quid animus potiſſimum ſequatur, qui impetus in ſe nimiam conſecuti ſint vim, quas facultates ſenſim contraxerit, et quam proclivis factus ſit ad peiora: nonne is leviſſimis momentis impulſus peccabit, nonne minimis rebus offendi poterit ac perturbari? Quid quaeſo eſt, quod hos, qui nimia ducuntur cupiditate gloriae, pecuniae, voluptatis, impellit ad facinora? Nonne leviſſima quaeque ſollicitant impotentem libidinem, ut incitata celeriter prorumpat? Qui ſit, ut multi dolore maximo opprimantur, ſi vel minima moleſtia ferenda ſit? Nonne plerique propterea tam impatientes malorum ſunt, quod ad mollitiem labi paſſi ſunt animum, et ſenſu utuntur nimis acri? Hoc recte vidit *Boetius* eo loco, quem iam ſupra attulimus. *Feliciſſimi cuiusque delicatiſſimus*, inquit [30]), *ſenſus eſt, et, niſi ad nutum cuncta ſuppetant, omnis adverſitatis inſolens*, minimis *quibusque proſternitur, adeo* perexigua *ſunt, quae fortunatiſſimis beatitudinis ſenſum detrahunt.* Sed in contemplando animi

30) conf. pag. 17.

ſtatu haec proclivitas ad peccandum, haec facilitas in ſuscipiendo dolore, negligitur fere, ac pauci ſatis intelligunt, quantum ſit, in perpetua cogitandi et ſentiendi ratione hanc levem rem, quae attentionem parum in ſe convertit, cognitam habere atque perſpectam. — Sunt autem in eodem ſtatu etiam alia, quae *nunquam conſiſtunt*; eſt in nobis continua quaedam cogitationum et appetitionum viciſſitudo, quae magnam partem proficiſcitur a rebus externis, et mutabilem animi affectionem producit. At quis non videt aliam affectionem exercendae virtuti, aliam perpetrandis ſceleribus aptiorem eſſe? Adſunt interdum ac dominantur in animo notiones, ſenſus et motus, qui, ſi diligenter animadvertuntur, hominem ad edenda praeclara facinora promum reddunt et idoneum. Alio tempore eae occupant animum ideae, ea deſideria exarſere, quae ſi opportunitas acceſſerit, et externum quoddam vel leviſſimum irritamentum, eumdem hominem ad atrociſſima ſcelera impellunt. Interdum in corpore latent cauſae, quae animi ſtatum in peius mutent, et peccandi libidinem excitent. *Vetus dictum eſt*, ait *Seneca* [31]), *a laſſo rixam quaeri. Aeque autem et ab eſuriente, et a ſitiente, et ab omni homine, quem aliqua res urit. Nam ut ulcera ad*

---

31) *De ira*, l. III. c. 10.

levem tactum, deinde etiam ad ſuſpicionem tactus condolescunt: ita animus affectus minimis offenditur, adeo, ut quosdam ſalutatio, epiſtola, oratio et interrogatio ad litem evocent. Haec ille verissime. Sed haec animi praeparatio ad virtutem, et haec ſcelerum veluti comminatio, quae in ipſo eius ſtatu ineſt, ſaepiſſime negligitur et ignoratur ab his, qui ad videndas mutationes internas mentis aciem non acuerunt. Hi ſi didiciſſent, quomodo ſtatus animi quovis tempore diligenter obſervandus ſit: non modo in virtute celerius proficerent, ſed multa etiam caverent, quae peccandi periculum afferunt, atque tum, cum ſe ad vitia procliviores ſentirent, multo attentiores eſſent, quam plerosque videmus eſſe. — Sed haec *de rebus ipſis*, quae vulgo putantur parvae, earumque *generibus* univerſe dicta ſunto.

XIIII.

Veniendum enim eſt ad *cauſas*, quibus homines in obſervandis his rebus minutis negligentiores fiunt; quae, ſi quid videmus, ſunt potiſſimum *tres*. Ac *prima* quidem, eaque praecipua, in eo eſt, *quod multi vim harum rerum penitus ignorant, nec unquam de iis cogitarunt*; vel quod nunquam didicerunt, animi ſui motus diligenter ſpectare et contemplari; vel quod neſciunt, quid in ſe ſit imbecillum, et quae potiſſimum animi pars diligenter protegenda ſit. Hoc enim in prom-

tu est, homines multos tanta cupiditate duci, res novas, quae sensus feriant, percipiendi, et his, e motu sensuum haustis et comprehensis rerum simulacris ita distrahi et occupari, ut animus fere nunquam ad se redeat, nunquam se contueatur, sed habitet quasi in rebus externis. Huic autem vitio qui dediti sunt, ii negligunt omnia, quae non sunt tanta, ut animum vehementer concutiant, eumque, ut suarum sibi rerum conscius siat, quasi vi adigant. Atque peccatur in hoc saepe tum ab his, qui in educanda formandaque iuventute versantur, tum ab aliis, qui doctrinam moralem coram populo tradunt, quod non laborant in acuendo sensu illo interno, quo mens suas actiones mutationesque percipit et animadvertit. Excitandi enim sunt homines omni modo, ut observare discant, quomodo sint quovis tempore animo affecti, et internas actiones mutationesque, quantum fieri potest, attente sequantur. Nam qui mentem ad videndas illas vicissitudines non acuerunt, ii sequi coguntur caecos animi impetus, cum lenes illos motus ac vitiorum accessus, quibus celeriter resistendum erat, non animadvertant, atque omnino tum demum sui sibi conscii siant, cum mala iam vehementer creverunt, eorumque vis non amplius potest reprimi. Haec inscitia, quae pravas animi mutationes non sentire didicit, in primis iis noce, qui ab aliqua parte

imbecilli, et ad vitiorum quoddam genus procliviores ſunt. Neque enim iisdem rebus allici ſolent eodem modo homines omnes. Eſt potius in cuiusvis animo tenerum quiddam et molle, quod facile quatitur; hoc qui apud ſe non exploravit, is ignorabit etiam, quantopere rebus minimis commoveri poſſit, et quam facile corrumpi. Quoniam igitur paucis datum eſt, quod *Cicero* ſapienti tribuit [32]), ut ſemper poſſint excubare animo, ne quid ipſis improviſum accidat aut inopinatum: plurimi temere negligunt res multas, quae intus fiunt, parvas quidem illas, et acriori contentione obſervandas, ſed efficaciſſimas profecto ad corrumpendos mores, omnemque vitam perturbandam. Iidem etiam multa praetermittunt, quae prodeſſe poſſent ad virtutem, animique emendationem. Nam ſaepe ſunt multorum in virtute vel nulli, vel tardi profectus, quod in rebus parvis peccant, et elementa prima negligunt, quae imperitis videntur levia, ſed ſine quibus maiora nec exiſtere poſſunt, nec conſervari.

XV.

Atque hic non alienum erit, paucis attingere rem, de qua nobis quidem aliter videtur, quam plurimis, qui doctrinam moralem exponunt, et docent, quomodo eius praecepta ad vitam ipſam

32) *Tusc. Quaeſt.* l. IV. c. 17.

transferenda sint. Notum est, et iam a vetustis scriptoribus vehementer celebratum Pythagoricum illud praeceptum, quod iubet, non ante somnum in oculos admittere, quam omnia, quae eo die dicta sint et facta, diligenter apud animum consideraveris, et singula, curiose repetita, vel vituperaveris tecum, si mala fuerint, vel probaveris, si cum virtute consentiant [83]). Haec vespertina commemoratio eorum, quae quovis die facta sunt, plurimum conferre videtur ad acuendam mentis aciem, et alendum incendendumque verae virtutis studium. Inde factum est, ut etiam ii, qui doctrinam moralem ad normam Christianae religionis exponunt, hoc Pythagoreorum institutum adsciscerent, et in officiis hominis Christiani ponerent *explorationem*, quam dicunt, *quotidianam*, quam vehementer inculcare, et in praecipuis Christianae virtutis adminiculis numerare solent. Equidem lubenter fateor, si accurate fieret, et ab omnibus posset fieri, quod suadet Pythagorae praeceptum, eam rem hominibus vehementer profuturam esse cum ad sui cognitionem, tum ad virtutis ac pietatis incrementum. Sed vix adduci me patiar, ut credam, in omnibus praeceptis, quibus solemus homines ad virtutem insti-

83) conf. *Carm. aur.* v. 40-44. p. 108. ed. Brunck. Add. *Senecae* locus *de ira*, L. III. c. 36, ubi hac de re praecipitur.

tuere, ullum esse, quod saepius negligatur, quam hoc ipsum de exploratione quotidiana. Nec mirum hoc videbitur ei, qui paullo accuratius perspexerit ipsius praecepti naturam. Est enim ita comparatum, ut facile possit observari ab eo hominum genere, quod vitam agit tranquillam, remotam a negotiis publicis, et contemplationi dicatam. Nam his, cum vesper adest, nec otium deerit, quod ad istam explorationem conferant, nec vires et alacritas animi, sine qua ne locum quidem habere potest. Atque talibus hanc legem etiam scripsit Pythagoras, hoc est, philosophis, iisque gravibus, et quietum sectantibus vitae genus, quod ipse vehementer amabat [34]). Sed ut ista exploratio legitime possit institui ab iis quoque, qui, magna negotiorum multitudine obruti, vitae suae cursum vel in labore corporis, vel in contentione animi conficiunt, equidem vehementer vereor. Nam hi, quotidianis laboribus perfuncti, affectum corpus, affectum animum ac defatigatum ad istam explorationem afferent, eamque aut plane non suscipient, quod fit a plurimis; aut, si susceperint, ei rei per imbecillitatem non ita poterunt operam dare, ut inde commoda percipiant. Ac subit mirari, cur illatum sit hoc praeceptum doctrinae Christianae,

34) vid. *Meiners Geschichte der Wissenschaften in Griechenland und Rom*, Tom. I. p. 418-434

cum in libris ſacris nullibi exſtet. Loci enim, quos vulgo afferunt, ut demonſtrent, iſtam explorationem a Chriſtianis poſtulari, ſunt e genere plane alio, nec *quotidianam et vespertinam* explorationem, ſed omnino hoc poſtulant, ut homines diligenter de rebus ſuis et inſtitutis cogitent, et quales ipſi ſint, videre discant. Multo rectius, multo accommodatius ad mentis humanae indolem, et quotidianae vitae rationem Chriſtus et apoſtoli hac de re praeceperunt. Neque enim, ut infra copioſius docebimus, hoc poſtulant, ut quotidie, *profligatis laboribus*, *vesperi* repetamus memoria, quae ſint a nobis per totum diem facta; ſed *in ipſa actione*, et *per omnem vitam* animum adhibere nos iubet attentum, qui ſtudio nunquam intermiſſo excubet, qui res omnes, utcunque ceciderint, diligenter circumſpiciat, ac *dum eveniunt et fiunt*, obſervet et ſentiat, quam vim exſeraut, et quomodo ipſe ſit iis affectus. Haec perpetua mentis alacritas, quae nunquam ſe, ſuosque ſenſus, motus, conatus, impetus denique omnes obliviscitur et negligit, ſed inter ipſos labores frequenter ad ſe redit, in omnes cadit homines, ac facile poteſt ſtudio et exercitatione comparari. Nam qui religionem didicit cum omnibus vitae partibus coniungere, Dei autem memoriam nunquam patitur excidere ex animo, vel penitus apud ſe obliterari; discere autem hoc omnes et debent,

et poſſunt: is etiam inter ipſa negotia, labores, moleſtias, oblectationes quoque et gaudia, perpetuam illam animadverſionem demonſtrabit, quam Chriſtiana religio poſtulat. Quanta autem eſt, et quam admirabilis etiam hac in re Domini ſapientia! Scilicet parva illa, quae ſupra commemoravimus, et quorum ſaepe magna vis eſt in utramque partem, obſervari ſatis et caveri non poſſunt, niſi fuerit animus ſuis rebus *ſemper et indefeſſo ſtudio* intentus. Ea vero exploratio, quae in tempus diei ultimum differtur, ſaepe ne ſufficit quidem ad pernoscendas omnes animi latebras. Quanta enim eſt mentis in cogitando, appetendo, deliberando, decernendo celeritas! Quam ſaepe mutatur per unum diem ſtatus eius univerſus! Quanta multitudo idearum ei quotidie obverſatur, quarum plurimae eam aliquo modo afficiunt, quamquam ipſis non inhaereat? Iam cum ventum eſt ad explorationem illam quotidianam, quis quaeſo poterit haec omnia, uti acciderunt et facta ſunt, revocare? Quis in memoriam eorum omnium redire, quae effecerunt, ut hoc potiſſimum, nec alio modo, ſentiendum, pronuntiandum, agendum ipſi videretur? Haec tum ſtatim perpendenda ſunt, cum animo obverſantur, iſtaque conſideratio per omnem vitam pertinere debet. Quare adhortandi ſunt homines et monendi, ut omni tempore discant adhibere hanc vigilantiam

et curam, qua nihil esse potest ad fructum uberius, et ad explorandam animi indolem utilius. Iam si quis adiunxerit etiam vespertinam illam et quotidianam explorationem, quae omnia, interdiu observata, quasi colligat in summam: eum vero rem praeclaram agere, quis non concedet; illa una vero nec sufficit, nec ab omnibus legitimo modo adhiberi potest. Sed haec hactenus; revertamur in viam.

XVI.

Igitur parva illa, quorum genera commemoravimus supra, etiam propterea saepe negliguntur, *quod animus multarum rerum cogitatione interdum nimis distringitur, ac fere obruitur.* Cum enim negotiorum curarumque multitudine oppressus est, vel magna simulacrorum, per sensus quasi agmine facto irrumpentium, varietate concitatus, nonnisi ea accuratius percipit et comprehendit, quae illuminata sunt, ac tamquam eminent et exstant; quae autem minora sunt, et quasi recesserunt in umbram, ea obscure tantum sentit ac negligit. Sed haec parva, etsi animum non nisi leviter tetigisse videntur, tamen quaedam in eo relinquunt vestigia. Etenim cum simulacris reliquis, quae acriori sensu accepta sunt, coalescunt varie, ac maiora illa, quae animus vehementius arripuit, quodam inficiunt veluti colore, quo vel magis placeant, vel molesta videantur et

odiosa. Hoc omnes ii sentiunt, qui e tali tumultu, quo animus fuerat concussus, ad se redeunt, et quietem secessumque repetunt. Quia enim cum rebus iis, quos distincte perceperant, coniuncta fuere multa alia, parva quidem illa, et obscurius animadversa, sed vel molesta, vel grata: non possunt non ii, qui haec omnia senserunt, aut aegritudine affici ac taedio, aut quandam auferre hilaritatem. Ita fit, ut homines, in reliqua vita comes et humani, interdum morosi sint ac difficiles, praesertim cum ab aliquo negotio recentes sunt; saepe autem nesciant ipsi, quid potissimum tristitiam illam effecerit. Sed et severiores interdum praeter opinionem frontem remittunt, animumque vel inviti sentiunt inaniter et effuse exsultare, et quadam levitate inconsueta ferri, quae unde profecta sit, ipsi ignorant. Huius rei etsi plures possunt esse causae, ipsaque causarum multitudo interdum habet hanc vim, ut, unde sit orta talis affectio animi, non semper reperiamus: ea tamen, de qua hic loquimur, in praecipuis numeranda est. Etenim quo maior est copia eorum, quae gravitate sua omnem mentis attentionem in se convertunt: eo minus possumus leviora diligenter notare, quae cum iis coniuncta sunt, animumque tangunt quidem, sed non feriunt. Cum autem emersimus ex eo tumultu, quid mirum est, si saepe ignoramus, unde pro-

fectae fint contractiunculae animi et morfus, quos viliones illae rerum obfcuriores, non fatis comprehenfae, in nobis reliquerunt? Ipfa, igitur humanae naturae imbecillitas nos faepe impedit, quominus mutationes animi leviores diftincte percipiamus. Ex quo intelligi poteft, quam neceffaria fit illa perpetua animi attentio, quam paullo ante poftulari diximus a religione Chriftiana. Nam multo faepius conturbabimur rerum copia obruemur, fi ad iftam contentionem animi vires nunquam fuerint exercitatae.

XVII.

Sed praeter hanc imbecillitatem etiam alia caufa eft, qua animus humanus impellitur ad negligenda ea, quae fupra diximus haberi parva. Facit enim id interdum *fciens ac volens, cupiditate quadam corruptoque iudicio inductus.* Is quidem, qui moderatione et conftantia quietus animo eft, didicitque fecum habitare, et motus internos omnes obfervare diligenter et regere, etiam primos illos ictus animadvertit, qui poft perceptas res externas nos movent, et principia, perturbationes et incitatam libidinem praeparantia, ftudiofe cavet, quod bene intelligit, quam periculofum fit, his parvis rebus ac levibus indulgere. Sed haec circumfpectio, et in coercendis animi motibus feveritas fere penitus evanescit, cum animus aut futili quadam alacritate geftit, aut fitienter

aliquid expetit, et desiderio ardet. Tum enim levia illa, quae scit esse periculosa, alioque tempore diligenter vitat, aut plane negligit, aut libidine occaecatus eorum vim non metuit. Abstractus enim ab integra certaque ratione, ea censet innoxia, quae alias detestatus esset, et parva illa irritamenta, quae excitatam libidinem alunt et incendunt, ipse conquirit. Nec desunt ratiunculae, quibus hanc dementiam excusat, ac se decipiat ipse. Praesentis enim voluptatis desiderio captus ac delinitus, facile invenit, quibus causam suam defendat, ut motus illos parvos, quorum vim alias cum damno suo expertus est, nunc tamquam licitos sibi indulgeat. Ita sciunt, ut hoc utar, ii, qui sunt ad voluptatem veneream procliviores, quantum valeant, cum aliquo modo exarsit ista libido, res levissimae ad vim eius augendam et nutriendam. Sed plerumque tanta est excitatae libidinis violentia, ut parva illa momenta, quorum vim minime ignorant, nunc colligant ipsi, sibique persuadeant, ea nunc certe fore innoxia. Aberrant igitur oculi, quasi iam nihil aliud spectandum adesset, ad tabulam, si qua in promtu est, pictam, quamquam experti sciant, eam alere posse libidinem; manus veluti sponte evolvunt petulantia carmina poetarum, quae perturbato animo blandiuntur; phantasia renovat imagines, quas alio tempore fugere solent; pedes

quaſi ſponte petunt loca, quae incenſae libidini favent; differuntur, variis de cauſis, quas hoc modo commoti vehementer probabiles eſſe cenſent, negotia et labores, qui ardorem reprimere potuiſſent, in tempus aliud; donec his aliisque rebus, parvis quidem illis, ſed affecto animo perniciofiſſimis, nutrita auctaque libido erumpat in actum, et ad ſcelera ruat. Sed haec hactenus.

XVIII.

Paucis enim attigimus genera rerum, quae vulgo leves putantur ac parvae, quod animum non ſemper attentum faciunt, et vehementius commovent. Has etiam tempore, aetate, indole ingenii corporisque, conſuetudine, vitae genere, aliis, varie mutari et augeri, ut earum infinita paene ſit multitudo, quis non intelligit? Speramus tamen, nihil in illa copia minutarum rerum fore, quod non poſſit ad capita illa, quae ſupra deſignavimus, commode referri. Sed ſic etiam planum eſſe factum putamus, inutilem eſſe omnem de moribus praeceptionem, quae ſe non demittat ad haec parva, eorumque rationem habeat. Etenim ea, quae ad commendandam virtutem, et ad demonſtrandam ſcelerum foeditatem differuntur, haud difficulter perſuaderi ſibi patiuntur homines, nec eſt facile quisquam tam inhumanus, omnisque ſenſus expers, quin honeſtatis pulcritudine commoveatur, eamque vehementer probet.

Sed cum ad actionem ipſam ventum eſt, cum depellendi vitii, et comparandae virtutis periculum facere volunt homines: tum vero haeſitant; tum haec parva impedimenta, quae non ſatis norunt, et obſervare didicerunt, conantibus obſtant; tum nesciunt ſaepe ipſi, cur fruſtra laborent, et uſu experiuntur, conſilia praecipientium non poſſe transferri ad vitam; tum denique ſentiunt, deeſſe ſibi adminicula, ad quae veluti adnitantur. Quare nihil agunt, qui doctrinam moralem tractant, cum hos receſſus humani animi hasque latebras non habent perſpectas. Omnia praecepta, ſi prodeſſe debent, ad hanc interiorem mentis humanae indolem diligenter accommodanda ſunt. In quo vim maximam habebit accurata tum ſui, tum aliorum contemplatio. Arduum enim eſt, ac prope maxima ſapientiae pars, *noſſe homines;* qua ſcientia omnium minime carere poteſt is, qui vult cum fructu alios inſtituere ad virtutem ac pietatem. Nec conficit hanc rem ea ratio, quam in ſcholis ſequimur, cum praecipimus *univerſe* de hominis natura; neque enim poteſt is, qui vires, appetitus, motus, omnemque agitationem animi humani in ſchola explicat, ad haec minuta deſcendere. Univerſa amplectitur, genera tantum rerum, ipſisque ſubiectas formas tangit, quod ipſum poſtulat artis ac disciplinae ſubtilitas. Niſi igitur acceſſerit frequens uſus, niſi futurus virtutis magiſter e ſcho-

larum umbra prodierit in lucem vitae, verſatus ſit cum hominibus multis, diligenter notaverit eorum mores, inſtituta, omninoque varias humani animi artes, minimas quoque, quarumque veſtigia, leviter impreſſa, praeterire ſolent imperiti: inutilem profecto operam conſumet in exponendis pulcerrimis de virtute ſententiis, hominibusque fruſtra inculcabit praeſtantiſſima religionis chriſtianae praecepta.

XIX.

Nec vero eſt, quod quis dicat, hac diſputatione minui et elevari vim, quam verbum divinum, cui adiuncta ſit Spiritus ſancti efficacia, in corrigendis hominum animis exſerat. Nam etſi veriſſimum eſt, omnem vitae ſanctitatem ab auxilio divino repetendam eſſe; et fruſtra niti, qui ſine hoc adiumento aliquid effici poſſe putent: tamen habet ea res ſuum modum, et eſt certis adſtricta legibus. Neque enim vi infinita, cui nihil poſſit reſiſtere, agit Spiritus ſanctus in emendandis hominibus, eosque invitos ad virtutem trahit: ſed utendum eſt viribus novis, quas ſuppeditat; adhibenda eſt cura in uſurpandis adminiculis, quibus parari poteſt vera ſanctitas; cavendum eſt, ne reliquiae vitioſitatis naturalis nascens virtutis ſtudium opprimant et exſtinguant; et, ut rem omnem paucis complectamur, veriſſima eſt vox apoſtoli: μετὰ φόβου καὶ τρόμου τὴν

ἑαυτῶν σωτηρίαν κατεργάζεσθε. Quare etiam libri ſacri vehementer commendant diligentiam eam, quae in colenda virtute nihil negligit, ſed parva quoque conſectatur; homines autem ſapientiſſimi omni tempore in eo conſenſere, ſine ſtudio indefeſſo, quod minima quaeque perſequatur, et undiquaque colligat, quae proſint, ad perfectam virtutem pervenire poſſe neminem. Sed polliciti ſumus ſupra, velle nos hac de re ſigillatim et copioſius dicere; ad hanc igitur disputationis noſtrae partem progrediamur.

Pars altera.

Quid libri ſacri contineant de rebus parvis in doctrina de moribus diligentius explicandis, et qui ſcriptores humani hoc genus paſſim illuſtraverint.

XX.

Ad comparandam igitur et augendam cognitionem earum rerum, quae, etſi parvae putantur a plurimis, et in praeceptis de moribus ſaepe penitus negliguntur, tamen vehementer afficiunt hominum animos, ac varie commovent, plurimum prodeſſe tum ſui, tum aliorum, qui nobiſcum vivunt, diligentem curioſamque contemplationem, iam ſupra obſervavimus. Sed in ea re etiam multum valet cogitata lectio bonorum librorum, in-

primis eorum, qui ſunt argumenti hiſtorici, vel indolem mentis humanae, eiusque motus omnes, impetus, ſtudia, latebras et artes, non quidem, ut in ſchola fit, ſiccitate compendiaria, ſed accommodate ad experientiam exponunt, et ab auctoribus profecti ſunt, qui, homines nolle, uſu ipſo didicerunt. Atque exſtat profecto non parva librorum copia, in quibus ex hoc genere multa ſparſim reperiuntur. Primo quidem *libri ſacri* non pauca continent, quae hoc argumentum illuſtrant egregie, et quae partim in iis locis inſunt, qui *res geſtas* exponunt, partim in aliis, qui *praecepta virtutis* tradunt. Deinde multi ſunt *ſcriptores humani*, cum *vetuſti*, tum *recentiores*, iique varii generis, qui a tironibus in hac cauſa cognoscendi ſunt. Nos iam nonnulla ſuper hac re disputabimus. Sed cum brevitatis ſit habenda ratio, non niſi *capita rerum* exponemus, quibus cognitis ii, qui voluerint occultiorem animi indolem indagare, facile intelligent, unde commode peti poſſit graviſſimae rei ſcientia.

XXI.

Incipiamus igitur *ab ipſa ſcriptura*. Ac primo quidem librorum ſacrorum, cum veteris, tum novi teſtamenti pars ea, *quae rerum geſtarum narrationes complectitur*, multum utilitatis habet in hac cauſa, et intelligentibus cogitandi obſervandique locum ubique fere facit. Nam ut

omnis historia, inprimis ea, quae *pragmatica* dicitur, et rerum eventuumque causas aperit, ad perspiciendam humanae mentis indolem plurimum prodest: ita sacra quoque multa commemorat, quae ostendunt, quantum saepe sit leviſſimarum rerum in utramque partem momentum. Liceat autem nonnulla praemittere de antiquiſſima historia, quae *libris Hebraicis* continetur; de *rebus Domini ipſius*, quarum commentarii huc inprimis pertinent, postea dicetur. Fuerunt igitur hoc tempore multi, quibus displiceret *Mosis*, omninoque scriptorum Veteris Testamenti μυθολογία in tradendis rebus patriarcharum, aliorumque, quorum vita in libris Hebraicis memoriae prodita est. Existimabant enim, vix digna libris divinis esse, quae passim de rebus domesticis maiorum populi Iudaici occurrant, in quibus commemorandis saepe sit tanta Hebraicorum scriptorum diligentia ac paene superstitio, ut ne minima quidem praetermittant, resque leviſſimas studiose consectentur. Hi si cogitassent, non omnibus eadem videri gravia, et in his libris omnia antiquitatis sensu et institutis iudicanda esse, profecto non vituperassent, quod aliter fieri non poterat. Etenim triumviri illi, qui populi Israelitici conditores habentur, et quorum res et vitam plenius perscripsit Moses in *geneſi*, nec reges fuerunt, nec

in civitate aliqua vixerunt, in qua edendis facinoribus praeclaris potuiſſent ſui memoriam poſteritati commendare; ſed, ut tum erant tempora, et pro more iſtarum regionum, patresfamilias erant, vitam agentes paſtoriciam, quae curis domeſticis tota conſumebatur. Nemo igitur, qui ſenſum et animum a noſtrorum temporum conſuetudine avocare, et ad vetuſtam illam ſimplicitatem convertere didicit, vituperabit conſilium Moſis, in tradenda patriarcharum vita commemorantis res domeſticas, quae nobis nunc videntur leviores. Nec ſunt profecto narrationes iſtae tam inutiles, ut nunc nonnulli exiſtimant. Etenim ut taceam, hanc ipſam diligentiam, quae ſe demittit ad minima, quae docet, qualis quisque fuerit in omnibus vitae partibus, aditumque facit ad vitam cuiusque privatam, et in aedium latebras abditam, in ſcriptoribus aliis, veluti in *Suetonio*, *Plutarcho*, *Tacito*, vehementer, et recte quidem, laudari: quis nescit, quantum e Moſaicis iſtis de Abrahami, Iſaaci, Iacobi vita domeſtica narrationibus, quae continere videntur multas res minutas, diſci poſſit, et ad praecepta de moribus transferri, ſi a perito viro tractentur, qui ſciat, quantum ſaepe minimarum rerum obſervatio ad regendam vitam valeat. Hoc viri docti noſtro tempore egregie docuerunt; inprimis autem *Ieru-*

ſalemi [35], *Heſſi* [36], *Niemeyeri* [37]) et *Sturmii* [38]) diligentiam in hoc genere cum laude verſatam eſſe, vix quemquam fore putamus, qui aut ignoret, aut infitietur; quare copioſius hac de re diſſerere, iam nihil attinet. Sed nec reliquis partibus hiſtoriae ſacrae, quae in libris Hebraicis perſcripta eſt, deeſt iſta utilitas, ſi tractentur ab eo, qui non ſit deſtitutus ingenio, poſſitque in iudicandis rebus antiquis animum attendere ad περιστάσεις omnes, rationem habere temporum et opinionum, cuivis aetati propriarum, ſubtiliter notare agentium mores et ingenia, diligenter denique cauſas indagare, quibus impulſi fecerint, quae feciſſe dicuntur. Poſſemus hoc facile multis exemplis illuſtrare, ſi iſtam disputationem caperent huius ſcriptionis anguſtiae; quare uno tantum defungamur, in quo perſpicua eſt rerum, quas hic parvas appellamus, vis et efficacia.

XXII.

Obſervavimus igitur ſupra, res externas plures interdum ita nos afficere ſimul, ut ipſarum varietas animum leniter commoveat, et paullatim

---

35) v. c. in libro: *Briefe über die Moſaiſchen Schriften und Philoſophie.*

36) In opere doctiſſimo: *Geſchichte der Iſraeliten vor den Zeiten Jeſu.*

37) conf. *Charakteriſtik der Bibel.*

38) vid. *Predigten über einige Familiengeſchichten der Bibel.*

vel ſenſus pios excitet, vel ad levitatem petulantiamque nos praeparet, ac peccandi libidinem incendat [39]). Id facillime tum fieri poteſt, cum ipſe praeſens animi ſtatus is eſt, qui iſtam rerum extrariarum efficientiam facile admittat, eique aptus ſit. Nam et hoc ſupra docuimus, animi humani ſtatum interdum ita comparatum eſſe, ut quamquam attentionem haud magnopere excitet, et tranquillus eſſe videatur, tamen vel virtutis aliquam praeparationem habeat, vel ad ſcelera nos faciat procliviores [40]). Hae res duae, quae ſaepiſſime ſolent negligi, et ab imperitis contemni, fecerunt, ut *Davides* adulterium illud cum Bathſcheba committeret, a quo pii regis animus tantopere videbatur abhorrere. Narrat enim ſcriptor ſacer [41]), Davidem aliquando, poſtquam quietem ceperat meridiano tempore, in tecto palatii, more iſtarum regionum, deambulaſſe. Quod enim ſurrexiſſe dicitur Davides הערב מעל משכבו לעת, id ſignificat, eum *meridiatum eſſe*, et, cum aeſtus temporis meridiani factus eſſet paullo remiſſior, *deambulationi vacaſſe*. Hoc modo etiam alibi uſurpatur illa formula, ut 2 Sam. IV, 5, ubi expreſſe commemoratur משכב הצהרים, hoc eſt, *meridiatio*. Venerat igitur rex ad iſtam de-

39) vid. §. VIII.
40) conf. §. XIII.
41) 2 Sam. XI, 2 ſqq.

ambulationem non modo *otiosus*, sed *recreatus* etiam meridiana quiete, quae duo solent fere hanc habere vim, ut animus ad voluptatem et lasciviam fiat proclivior. Sed iam observet mihi aliquis *visiones rerum*, quas rex undiquaque accipiebat, cum in solarium ascendisset, et quae non poterant non incautum hominem ad tale facinus sensum praeparare. Coeperat tum maxime *tempus vernum*, et erat, ut est apud poetam, iam formosissimus annus. Hoc enim indicat formula לעת צאת המלכים, quae v. 1. tempus rei gestae designat, et quam *Iosephus* recte interpretatur, ἀρχομένου ἔαρος [42]). Ex edito regiae tecto amoenissimus erat despectus in subiectas valles, in hortos, in domicilia finitima, et in omnem regionem adiacentem. Occurrebat igitur regi, ad hilaritatem excitato, florentissimus ager, verno tempore tepefactus, et ubique frondescens, collustratus etiam iucundiori solis, ad occasum proni, lumine. Iam cum viro, ad lasciviam multis rebus praeparato, et oblito sui, obiiceretur etiam forma mulieris pulcherrimae, eiusque nudae, lavantis, ut videtur, in hortis: quis quaeso mirabitur, incauti oculos et animum illa specie ita sollicitatos esse, ut a facinore non amplius abstineret. Docuit igitur Davides exemplo suo, quam vera

42) *Antiquit.* l. VII. c. 6 extr.

ſint, quae de talibus periculis, quibus etiam ſtudioſiſſimi virtutis interdum ſunt obnoxii, *Epictetus* diſſerit apud *Arrianum* [43]): ὀλίγων χρεία ἐστὶν, inquit, πρὸς τὴν ἀπώλειαν τῶν πάντων καὶ ἀνατροπὴν μικρᾶς ἀποσροφῆς τοῦ λόγου. Haec μικρὰ ἀποσροφὴ τοῦ λόγου, *haec parva negligentia et incuria*, quae multis parvis rebus effici ſolet, quot ſceleribus aditum patefecit etiam ad eorum animos, qui ſibi videbantur optime muniti! Μικρὸν ἂν ἀπουσάξῃς, addit ibidem, paucis interiectis, Epictetus, ἀπῆλθε πάντα τὰ μεχρὶ νῦν συνειλεγμένα.

XXIII.

Sed continent etiam *reliquae librorum Hebraicorum partes*, inprimis eae, *quae de moribus praecipiunt*, multa, quae hoc argumentum illuſtrant. Primum igitur *leges Moſaicae* ſaepe praecipiunt de rebus levibus ac parvis, quae multis videntur parum dignae cura et animadverſione legumlatoris divini. Fecit id etiam, ut alii riderent talia et contemnerent; alii, ne quid detrimenti caperet auctoritas *Moſis*, interpretatione allegorica ſuccurrendum eſſe cenſerent legibus, quae nimis curioſae viderentur eſſe in rebus minutis ac vilibus; et ex hoc ultimo genere multa reperiuntur, ut notum eſt, iam apud *Ioſephum* et *Philonem*. Parum autem intelligunt et aſſe-

43) *Diſſert.* l. IV. c. 3. p. 581. 82. ed. Upt.

quuntur prudentiam *Moſis*, qui in talibus haerent. Etenim qui probe inſtructus rebus iis, quae ad interpretandas et iudicandas leges antiquas pertinent, acceſſerit ad cognoscendam et examinandam legumlationem Moſaicam; is facile perſpiciet, multa, quae vulgo putantur levia, cum pro ratione iſtorum temporum, et ob *Moſis* in ſcribendis legibus conſilium, cum omnino et ſemper ſatis gravia eſſe, et a legumlatoribus minime negligenda. Sed hoc *Michaelis* in opere docto et copioſo, quo leges Moſaicas illuſtravit [44]), iam ita docuit, ut id pluribus perſequi non ſit neceſſe. E libris autem *prophetarum*, et e *pſalmis* facile congerere poſſemus magnam locorum multitudinem, in quibus vel occultae malorum illecebrae, quas imperiti et negligentes ſaepe nec vident, nec fugiunt, egregie notantur; vel commendantur virtutis adiumenta, ad interiorem animi naturam pertinentia, et incognita his, qui mentem ad videndas res minutas non ſatis acuerunt. Liceat exempli cauſa commemorare pſalmum CXIX, in quo copioſe diſſeritur de modo, quo comparanda ſit *conſtantia quaedam in exercenda virtute, et contrahenda recte agendi conſuetudo*; qua in re omnia fere redeunt ad actiones et motus animi parvos, de quibus carmen illud egregie praecipit.

44) Conf. *Moſaiſches Recht*, tom. VI. §.

Eſt enim haec mentis noſtrae indoles atque natura, ut ideae, quas ſaepe ſimul cogitavimus et coniuncte, ſenſim ita devinciantur in nobis et coalescant, ut altera excitet alteram, ſitque earum veluti *perpetua quaedam ſocietas*, quae impediat, quo minus ſigillatim a nobis poſſint inſtaurari. Iſta autem idearum copulatio dici non poteſt quam facile oriatur ex interna animi agitatione, et e motibus parvis, aliquoties repetitis, ut ſaepe nesciamus ipſi, quomodo factum ſit, ut quarumdam notionum inſtauratio et recurſio ſemper ſiat ſimul, eodemque tempore. Ab hac autem parva re, de qua pauciſſimi recte cogitare ſolent, pendent *omnes habitus*, ſive boni ſint et utiles, ſive vitioſi. Neque enim comparare ſibi poteſt animus facultatem celeriter et ſine difficultate aliquid agendi, niſi notiones eae, quibus actio regitur, ita coaluerint, ut facile excitentur, nec animo in iis inſtaurandis laborandum ſit[a]). Quare nihil eſt, quod ad recte agendum quovis tempore et quovis loco magis neceſſarium ſit, quam ut animus ſenſim et crebra exercitatione discat, *notionem Dei legisque divinae copulare cum inſtitutis omnibus atque conſiliis.* Ita enim quisque erit in deliberando et decernendo cautiſſimus, in appetendo caſtiſſimus, in omni denique actione et vita

a) Cont. c. XII.

iustissimus ac moderatissimus, ut cogitatio Dei, eorumque, quae fieri iussit, perpetua recordatio animo maxime insederit, seque in omnem mentis agitationem penitus insinuaverit. Atque hoc praeclarum virtutis adiumentum, quod totum continetur actionibus parvis, quibus animus, intentus etiam laboribus ac negotiis, idemtidem renovat cogitationem Dei, et incredibili quadam celeritatem cum rebus omnibus eam coniungit, hoc praeclarum, inquam, virtutis adiumentum quam copiose, quam graviter praedicat et commendat *Davides* in eo carmine, quod supra laudavimus. Placet, nonnulla ex hoc genere delibare. *Ne pectem*, ait v. 11. *sensibus imis repono, Deus, quae iubes.* Haec enim est vis formulae אמרתך בלבי צפנתי, conf. Prov. II, 1. VII, 1. Iob. XXIII, 12. et *Virgilii* plane similis locus Ecl. III, 54. Aliis verbis hoc eloquitur vir sanctus v. 15, ubi fatetur, *se omnia Dei mandata diligenter perpendere, et in praescriptam a Deo vivendi rationem perpetuo intueri.* Etenim אורחות sunt ea, *quae legibus divinis praescripta sunt;* vid. Ps. XXV, 4 et 10, et describitur in hoc loco illa ipsa consuetudo, multis actionibus parvis saepiusque repetitis contracta et confirmata, ubique recurrendi ad Deum, eiusque cogitatione omnes animi motus regendi ac moderandi. V. 20. testatur, *se perpetuo legum divinarum desiderio studioque teneri,*

et v. 23. 24. addit, *se in ipsis periculis, hostiumque fraudibus insidiisque petitum, ab his legibus iuvari consilio*, earumque perpetua meditatione discere, quid in rebus ambiguis agendum sit. Alio modo studium, quo sibi perpetuo proponat praecepta divina, suumque in eadem *amorem* (amoris enim notio inest in verbo דבק, conf. Gen. II, 24. Ps. LXIII, 9.) exprimit et significat v. 30. 31. ac de eadem re differere pergit v. 33-35. Se etiam *coram regibus* de praeceptis divinis cogitare et loqui, affirmat v. 46. et, paucis interiectis, v. 51. negat, *se ab iis malorum risu posse dimoveri.* Ita autem curas omnes cogitationesque in Deum eiusque iussa contulit vates, ut *noctu etiam erigatur ad Deum*, v. 55. eiusque instituta doctrinamque *carminibus complectatur*, v. 62. Inprimis notabile etiam illud est, quod v. 61. fatetur, se legum divinarum cogitatione perpetua *eorum adeo insidias, qui ad scelera sollicitent alios*, ac blande invitent, *facile vitare.* Nam חבלי רשעים, quibus se circumdatum esse dicit, (Alexandrini enim obscurum verbum עדני recte interpretati sunt, περιπλόκησάν μοι) *illecebrae malorum* sunt, ac pernicioſae voces eorum, qui scelera variis artibus commendant aliis, et ad peccata incautos alliciunt; conf. Prov. V, 23. Hoc autem periculum aliter vitari non potest, nisi perpetua recordatione eorum, quae Deus a nobis fieri vult. Iſtam autem

recordationem effici crebra repetitione eorum, quae de Deo eiusque voluntate scimus, et in iis hominibus, qui negotiorum multitudine obruti sunt, parvis animi actionibus motibusque constare, quis non intelligit? — Sed longum foret, omnia exponere, quae hac de re in carmine Davidico insunt; quo egregie illustratur sententia illa longe gravissima, *solere plus prodesse, si pauca praecepta sapientiae teneas, sed illa in promtu tibi et in usu sint, quam si multa quidem didiceris, sed illa non habeas ad manum* [46]). Ceterum qui attento animo reliquos etiam psalmos voluerit cognoscere, is facile colligere poterit ex hoc genere multa, et videbit, res parvas, quae in utramque partem saepe vim magnam habent, passim egregie et subtiliter in iis commemorari.

XXV.

Sed hic in primis laudandus est *proverbiorum* liber. Etenim sententiae, quibus refertus est, non modo subtiliores sunt, et hac ipsa de causa interdum ea quoque persequuntur, quae alias ob parvitatem saepe praetermittuntur; sed pertinent etiam ad omnes vitae partes, et sunt, ut fatebuntur omnes, qui his in rebus aliquid vident, ab usu diuturno profectae. Ita enim sum-

46) Vid. *Seneca de Benef.* l. VII. c. 1.

tae ſunt de vita, ita, aut quid ſit, aut quid eſſe debeat in vita, oſtendunt, ut magnam hominum, ingeniorum morumque cognitionem contineant. Commendarunt hunc librum ab hac parte et bene illuſtrarunt interpretes nonnulli recentiores, inprimis *Michaelis* et *Doederlein*, quorum obſervationes ex hoc genere tironum animadverſionem et excitare poterunt et acuere. Nobis in hac brevitate datum non eſt, multis exemplis uti; ſed impetrare a nobis non poſſumus, ut intactum relinquamus locum nobiliſſimum, qui eſt Cap. VII. inde a v. 5. Quod enim *Salomo* ſaepe inculcat in hoc libro, omni ſtudio fugiendum eſſe crimen adulterii, id copioſiſſime facit hoc in loco, et quidem ſic, ut, propoſito apologo, paullo conquiſitius exponat res parvas, quibus amores illiciti excitantur, aluntur, ac ſenſim tantopere crescunt, ut in turpiſſima ſcelera prorumpant. In commemorandis autem his rebus minutis, quibus interdum vel cautiſſimi decipiuntur, tam diligens eſt, ut nihil fere pratermittat. Ac primo quidem v. 7. vidiſſe ſe, fingit, ambulantem in platea iuvenem חסר לב, hoc eſt *incautum*, *expertem prudentiae*, conf. Cap. VI, 32. IX, 4, *qui nondum*, ut eſt apud *Lucretium de Rer. Nat.* l. V. v. 1106. *corde vigebat*; nam Latini quoque *cordis* verbum de *ingenio et ſapientia* adhibent; conf. *Cicero Tusc. Quaeſt.* l. I. c. 8. Hominem igitur deſcribit

Salomo, qui nondum animadvertere didicerat et fugere occultas illas minutasque illecebras, quae quam periculosae sint, ii sciunt, qui homines norunt. Hic nihil metuens et securus accedit ad aedes, in quibus habitat meretrix procax et callida, cuius mores accuratius notantur v. 11 et 12. Neque praetereunti nocere potuisset illa levitas et incuria, nisi res multae, eaeque *parvae*, quarum vim non satis intelligebat, peccandi libidinem excitassent. Primo enim *nox erat*, et quidem tempus illud, quod interiectum est crepusculo vespertino, ac densae caligini noctis concubiae; ita intellexerim v. 9, in quo non propterea *crepusculum*, *vesperam* et *intempestae noctis tenebras* simul commemorasse videtur *Salomo*, quod vellet de *pluribus hominibus* differere, qui diverso tempore peccare soleant, ut *Schultensio* aliisque videtur; hoc enim repugnaret naturae apologi, qui totus est in describenda re una ac definita: sed tempus indicat *Salomo* longe periculosissimum, quod partim obscuritate, sed illa tamen non nimia, partim eo, quod hominum frequentiam dispellit, peccare volentibus inprimis favet; uno verbo *lucem* designare voluit, *qua*, ut poetae verbis utar, *timidus latebras speret habere pudor*. Ad hanc temporis et loci opportunitatem accedit, quod imprudenti iuveni *occurrit* etiam impudica mulier, v. 10, et quamquam haec

omnia ad ſollicitandum eius libidinem iam ſatis fuiſſent idonea, adiunguntur tamen res parvae multae, et alia multa irritamenta, quae a *Salomone* egregie notantur. Eſt enim haec mulier ita *veſtita*, ut ipſo cultu meretricio oculos ſollicitet; eſt *commoda et blanda*, quae ſe fingat apte in formas omnes; videtur enim נצורת ducendum a verbo צור, cuius vis, ut iam *Schultenſius* recte monuit, ſaepe eſt *formare, fingere;* eſt *inquieta, laſciva, et in alliciendis venandisque invenum animis longe artificioſiſſima*, v. 10-12. Haec igitur mulier, tot artibus inſtructa, incautum iuvenem *prehendit*, blande *retinet*, *osculatur*, *nutu et vultu* ſignificat amorem ac benivolentiam. Etſi enim interpretes vetuſti formulam העזה פניה de *impudentia* expoſuere, quae interpretatio minime eſt ab hoc loco aliena, et verbum עז etiam alibi, ut Deut. XXVIII, 50 ita dicitur: tamen rectius comparari videtur verbum Arabicum وعز quod eſt *innuit, indicium nutu fecit;* quae poteſtas huic loco ita accommodata eſt, ut deeſſe aliquid in hac deſcriptione videretur, niſi huius rei iniecta fuiſſet mentio. Iam poſtquam his irritamentis omnibus ita captus eſt miſeri animus, ut, cum fugere deberet omni modo, *conſiſtat:* tandem *loqui* incipit callida mulier, et ea utitur oratione, quae *ſuaviſſimarum rerum cogitatione incauti animum replcat*, et libidinem excitet. Scit

enim, amicos non vi capi, ſed ut hac de re *Socrates* apud *Xenophontem* ait, ἐυτρεπείᾳ καὶ ἡδονῇ τὸ θηρίον τοῦτο ἁλώσιμον καὶ πραγμόνιμον εἶναι. Invitat igitur hominem ad *epulas*, easque *ſollemnes* et iam *inſtructas* v. 14 vehementer laetatur de eo, quod in amiciſſimum virum inopinato inciderit. Commemorat *lectulos*, mollibus ac pretioſis ſtragulis tectos, madidos unguentis et ſpirantes ſuaviſſimos odores, v. 16. 17. Ac ne quid ſollicitum reddat amaſium, etiam *longinquum mariti iter* addit, negotiorum cauſa ſusceptum. His blanditiis, his rebus omnibus, parvis quidem illis, ſi ſigillatim ſpectentur, ſed magna vi praeditis, ſi imparatum affecerint ſimul, abripitur incauti adoleſcentis animus, ut caeco impetu ad ſcelus ruat. Ac fuiſſe, cum iſta ſcriberet, *Salomonis* conſilium hoc, ut ad obſervandas voluptatis illecebras omnes, minimas quoque, acueret iuvenum animos, et doceret, homines facillime labi tum, cum multarum rerum ſimulacra leniter illabantur mentem, eamque ſenſim conturbent [47]): hoc igitur fuiſſe *Salomonis* in proponendo hoc apologo conſilium, cum res ipſa loquitur, cum ea docent, quae monendi cauſa adiiciuntur v. 24 ſqq. — Sunt autem ex eo genere, quod res parvas complectitur, etiam loci breviores alii in proverbiis, et

47) Conf. §. VIII.

quidem multi; ut ex hoc uno libro peti poſſint utiliſſima monita, quibus rerum minutarum vis in utramqua partem illuſtretur. Quare his, qui discere volent, de officiis accommodate ad vitam praecipere, plurimum proderit cogitata lectio huius libri, et diligens meditatio eorum, quae ſaepe breviter et acute una ſententia comprehendit. Eſt autem proverbiorum libro adiungendum *Siracidae* opus, cuius auctor imitatus eſt *Salomonem*, et praeceptis longe ſaluberrimis librum ſuum refersit. In his autem multa ſunt, quae genus parvarum rerum perſequuntur, ac ſe penitus ad vitam ipſam demittunt. Quare veriſſime praecipiunt, qui huius libri lectionem omni modo commendant futuris religionis magiſtris, et ex eo peti iubent, quod inprimis rudiori plebeculae proſit. Nos brevitate ſcriptionis noſtrae impedimur, quominus ex utiliſſimo libro aliquid afferamus; in quo eo lubentius neceſſitati cedimus, quo facilius quisque, qui *Siracidae* praecepta diligenter imbiberit, poterit intelligere, quam plena ſint vtiliſſimis conſiliis, cum late patentibus et communibus, tum pertinentibus ad cauſas certas, et ad res illas parvas, de quibus hic diſputamus.

XXV.

Ve...amus igitur ad id, ad quod iam dudum feſtinat oratio, ac videamus, quomodo a libris

novi teſtamenti adiuvetur is, qui amplificare rerum minutarum ſcientiam, et ad uſum utilitatemque cum ſuam, tum aliorum, transferre voluerit. Sed et haec ſermonis noſtri pars percurrenda tantum eſt, vel potius paene praetereunda; neque enim copioſius perſcribere vacat, quae hac in cauſa e novo teſtamento peti poſſunt. Primum igitur pauca dicenda ſunt de iis libris, *qui res et vitam Domini ipſius continent;* tum videamus, *quid inſit in praeceptis de moribus*, quae ſunt vel a *Chriſto* ipſo, vel ab *apoſtolis* tradita. Late patet, et ad ſcripturam univerſam pertinet, quod *Chryſoſtomus* facere iubet omnes, qui cum fructu legere velint libros ſacros. Τὸν μέλλοντά τι, inquit [48]), παρὰ τῶν ἀναγινωσκομένων κερδᾶναι, καὶ τὸ μνεῖαν τῶν λεγομένων ποιεῖσθαι δεῖ — ἐπειδὴ δοκεῖ τὰ πολλὰ, καὶ τοῦτο αὐτόθεν ὄντα εὔκολα, πολλὴν ἐν τῇ βάθει διάνοιαν ἔχειν ἀποκεκρυμμένην. Sed hoc *Chryſoſtomi* conſilium inprimis ſequi debent ii, qui proficere *ex hiſtoria Domini*, eamque recte et utiliter cognoscere volunt. Equidem ingenue fateor, me nullius libri, ſive veteris, ſive novi, lectione tantopere delectari, erudiri, commoveri et incendi, quam *narrationibus Evangeliſtarum de dictis et factis Domini.* In

48) In *Iohannem Homil* LVI. ſtatim ab initio, quae oratio non pauca ex hoc genere notarum rerum continet, a *Chryſoſtomo* ſubtiliter obſervata.

quo profecto nulla vis est orationis et artificii in scribendo. Neque enim exornatores rerum sunt Evangeliſtae, sed tantummodo narratores; ipsis satis fuit, non esse mendaces. Sed quo diligentius comparo, quae de vita *Christi* prodiderunt; quo curiosior fum in observanda varietate temporum et locorum, ubi, quae narrantur, facta sunt, quo magis animum attendo ad homines eos, quibuscum versatus est *Dominus*, ad eorum opiniones, studia, impetus, artes etiam et fraudes; quo accuratius perpendo, quae quovis tempore dixit et fecit Iesus, et causas examino, cur monuerit, dixerit, docuerit ea potissimum, quae docuisse fertur, cur hoc, nec alio modo se gesserit, hoc, nec aliud consilium secutus sit, hunc, nec alium modum in omnibus vitae partibus tenuerit; uno verbo, quo magis omnia, etiam minima, conquiro et excutio, quae in libris *Evangeliſtarum* traduntur: eo magis perspicio incredibilem *Domini* sapientiam prudentiamque in omni vita; eo rectius intelligere disco, quam perfecta fuerit et omnibus numeris absoluta virtus illa, quam omni tempore demonstravit, et qua divinior inter homines nunquam exstitit; eo vehementius admiror omnes motus et sensus sanctissimi pectoris, et adorabundus veneror eum, qui nihil unquam sensit, locutus est et fecit, nisi quod omni ex parte pium esset ac divinum; qui etiam in minimis rebus

demonſtravit, qualis ſit perfectiſſima et ad ſummum perducta hominis natura. O ſi quis didicerit, cum *Evangeliſtarum* libros legit, diligenter ſequi *Dominum*, in omnibus, quae fecit, et ad minima quaevis acriter intendere animum; ſi quis in his libris viderit hanc faciem, *altiorem fulgentioremque, quam cerni inter humana conſuevit: nonne velut numinis occurſu obſtupefactus reſiſtat, et, ut fas ſit vidiſſe, precetur?* Atque haec *Evangelia* legendi ratio dici non poteſt, quantum proſit ad cognitionem parvarum rerum, quarum ignoratio ſaepe facit, ut manca ſit et imperfecta virtutis exercitatio, ut parum ſuccedat animi correctio, ut contemnantur negligunturque multa, quae peragenda fuiſſent, vel certe in uſus noſtros convertenda. Hoc ſi cogitarent, qui nunc paſſim contemnunt narrationes *Evangeliſtarum* et omnem hiſtoriam *Chriſti*; ſi perpenderent, expreſſum eſſe in his libris, et non obſcure adumbratum perfectiſſimum virtutis exemplar, in quod intueri Chriſtiani omnes debeant: faterentur profecto, in magnis beneficiis providentiae divinae ponendum eſſe hoc, quod ſervaverit nobis haec quatuor *Evangelia*, quorum quovis aegre careremus, quod ſingula res parvas multas continent, quae indagantibus omnem ſentiendi agendique rationem, quam *Chriſtus* tenuit, eſſe poſſint longe utiliſſima. Fuerunt etiam, qui hoc modo

Evangelia tractare inciperent. E veteribus nemo est, qui huius generis plura melioraque viderit, *Chrysostomo*. Etsi enim in *Homiliis*, quas in *Matthaeum* et *Ioannem* reliquit, interdum argutatur; quod maxime tum facit, cum dicta et facta *Christi* adversus *Arianos* defendit: tamen ubique fere adspergit multa, quae satis demonstrant, etiam in rebus minimis aliquid latere, quod sapientiam, pietatem, amorem generis humani, constantiam, omninoque virtutes Domini plane divinas illustret et aperiat. Adiungendus est *Chrysostomo* e recentioribus, praeter *Bengelium*, qui in *gnomone novi testamenti* nonnulla utiliter admonet, inprimis *Hessius*. Is enim in iis libris, quos *de vita ac rebus Domini edidit* [49]), multa praeclare observavit, et paullo diligentius, quam vulgo sit, omnem sentiendi agendique consuetudinem, quam secutus est *Christus*, aperire conatus est. Necessitatem autem et modum historiae *Iesu* tenendae ac tradendae subtiliter, ut solet, et accurate exposuit singulari libello *Doederlein* [50]). Atque utinam hanc rationem tenerent *tractatores nostri*, qui saepe vehementer aestuant et anguntur, cum, more in ecclesia nostra rece-

---

49) In opere notissimo: *Geschichte der drey letzten Lebensjahre Iesu.* Cui accessit appendicis loco libellus eruditissimus: *Ueber die Lehren, Thaten und Schicksale unsers Herrn.*

50) Cons. eius *Opuscula theologica*, p. 1 sqq.

pto, ſuper *pericopis evangelicis* quotannis diſcendum eſt. Saepe enim non vident, quomodo ex iſtis narrationibus, quarum nonnullae videntur admodum ſteriles, vel ſidiculis aliquid extorqueant, de quo dicere poſſint, vel iis aſſuant locos quosdam communes, in quos, neglecta penitus pericopa Evangelica, liberius excurrant. Facile autem reperirent, quae ampliſicare poſſent et exornare, ſi diligentius examinarent narrationis cuiusque partes, notarent hominum, qui inducuntur, mores et inſtituta, in primis autem ubique intueri vellent in rationem eam, quam *Dominus* ipſe in omni actione ſervavit. Sed quoniam nonnullis certe exemplis illuſtranda ſunt, quae de obſervandis in hiſtoria *Domini* rebus minimis poſuimus: age, ex his ipſis pericopis illuſtrationis cauſa nonnulla proferamus.

XXVI.

Eſt locus apud *Matthaeum* Cap. IX, 18-26, qui praeclare illuſtrat *praeſentiam animi*, qua *Dominus* omni tempore uſus eſt, quaeque tanta erat, ut nunquam poſſet de gradu deiici, ſed, quid e re eſſet, tum videret facile, tum ſuscipere auderet, et perſiceret. Cum enim apud Matthaeum, portitorem, quem discipulorum ſuorum gregi adiunxerat, aliquando cibum caperet, et ad iſtas epulas multi confluxiſſent portitores alii,

nonnulli etiam gentiles [51]): intra paucas horas multa acciderunt, quae quemvis alium conturbare potuissent, sed in quibus *Iesus* ita se gessit, ut non modo in nulla re erraret, verum etiam ad minima quaevis se demitteret, summamque demonstraret prudentiam. Primo enim exoriebatur *lis cum Pharisaeis*, qui vehementer offendebantur illa consuetudine *Iesu* cum portitoribus. Accedebat statim *alia disputatio* cum sectatoribus nonnullis Iohannis, de necessitate ieiunii; in qua dum versatur *Iesus*, seque defendit, supervenit Archisynagogus eius oppidi, ac supplex orat, *ut filiae, morti iam proximae, celeriter succurrat.* Ad cuius aedes cum confestim ire instituit, tanta spectatorum, quorum interim factus erat concursus, *circumfunditur turba*, ut undiquaque pressus vix posset procedere, Luc. VIII, 41., coll. Marc. V, 24. In hac confusa multitudine a tergo accedit mulier aegrota, e contactu vestimentorum, quibus indutus erat *Iesus*, salutem sperans. Huic poliquam *sanitatem benigne restituerat*, delatus tandem ad aedes archisynagogi, *novo tumultu ex-*

---

51) Ἁμαρτωλοί, qui v. 10 commemorantur, *gentiles* fuisse, admodum probabile est: partim, quod portitores *publicanorum*, hoc est, gentilium operae erant; partim quod verbum Graecum etiam alibi sic dicitur; conf. Matth. XXVI, 45. Luc. XXIV, 7. coll. Cap. XVIII, 32 et Gall. II, 16.

cipitur. Offendit *mortuam*, cui ſuccurrere volebat, viri filiam; videt *excitatam et ſtrepentem hominis familiam; contemnitur*, quod negabat, puellam eſſe mortuam. Sed his omnibus tantum abeſt, ut commoveatur, ut disiecta et dispulſa tumultuantium multitudine, tandem ſeu vere mortuam, ſeu deliquium paſſam virginem [52]) parentibus reddat. In hac vero rerum agendarum multitudine ac varietate quis quaeſo ſatis praedicaverit conſtantiam *Domini*, animum acrem, praeſentem, intentum rebus omnibus, etiam minimis, in ipſo ſtrepitu multitudinis tranquillum, et eligentem ea, quae locis, rebus, hominibusque ſingulis optime conveniebant. Praeclare disputabat cum adverſariis acerrimis, cum ab Archiſynagogo opprimeretur; ſed vincendi ſtudio non impediebatur, quo minus, cum periculum in mora eſſet, ſtatim abiret cum eo viro, opemque ſuam polliceretur. Circumdatus in via multitudine denſa, non aegre fert comitantium importunitatem; ſed ita omnia obſervat, animumque habet in partes omnes ita intentum, ut clanculum, et a tergo adrepentem mulierculam minime ignoraret, ſed, mirantibus apoſtolis et turba reliqua, ſubterfu-

52) Incertum hoc eſſe, minime diſſimulat *Origenes contra Celſ.* L. II. p. 87. ed. Spenc. περὶ ἧς, ſc. puellae, ἂν οἷόν, inquit, ὅπως εἶπεν, ἂν ἀπέθανεν, ἀλλὰ καθεύδει. λέγων τὶ περὶ αὐτῆς, ὃ ἡ πᾶσι τοῖς ἀπεθανοῦσι πρόσῃν.

gere volentem convinceret Luc. VIII, 45. Non perturbatur nuntio, puellam, cui opem laturus erat, iam exſpiraſſe, ſed propoſiti tenax ad aedes pergit. Nec movetur contemtu eorum, quos ibi tumultuantes reperit, et inſtituentes leſſum canere; ſed cum omnes, quibus ſe circumdatum videt, perturbantur, incerti haerent, ſtrepunt, anguntur, trepidant: ſolus tranquillus eſt, ſolus videt, quid in quavis re faciendum ſit. In ipſo tumultu ruentium per plateam hominum benigne alloquitur trementem mulierculam, quae ipſum tetigerat Matth. IX, 22. confirmat animum patris, quem nuntius de morte filiae fregerat Luc. VIII, 50. coercet ſpectatorum denſam turbam, et auctoritate ſua cohibet, Marc. V, 37. ſedat tumultum eorum, quorum fletibus perſonabant Archiſynagogi aedes Marc. V, 40. ingreſſus cubiculum ſecretius cum parentibus ac paucis ſuorum, vitam reſtituit puellae Marc. V, 40. 41. eo etiam ſe demittit incredibilis eius humanitas, ut infirmum puellae corpuſculum cibo refocillari iubeat Marc. V, 43. Luc. VIII, 55. ac tandem omnibus rite peractis, modeſte diſcedit. Nec praetermittendum in hac narratione illud eſt, quod mulierem, quae veſtes eius in via tetigerat, non finit latere. Fecit id non vanitate quadam ductus, a qua omni tempore fuit alieniſſimus. Sed cavere volebat, ne, ſi rem ſilentio praemitteret, per hanc mulie-

rem invalesceret superstitiosa opinio, vestimentis ipsius vim inesse salutarem; qui error in plebe stupida facile potuisset latius serpere, nisi ostendisset, vestimentorum hac in re vim esse nullam. Addi etiam possunt causae aliae, quas *Chrysostomus* exponit in Matth. *Homil. XXXII.* p. 367. Quis autem non videt, quot rebus parvis hic exseruerit sese incredibilis illa vis animi, quae fuit in *Domino*, quaeque fecit, ut in summa rerum perturbatione negotiorumque varietate nunquam erraret, nunquam laberetur, nihil diceret, instituret nihil, quod inconsultum, temerarium, vanum, vitiosum videri posset; et quis est tam hebes et tardus, quin intelligat, quid ex hac una narratione disci possit, et ad conformandos hominum mores ab idoneo magistro transferri. — Veniamus ad locum alium. Narrat Marcus Cap. VII, 32-37., cum adductus aliquando ad *Iesum* esset surdus quidam idemque mutus, et rogassent homines, ut misero mederetur: eum seduxisse aegrotum illum e circumfusa turba, et cum ad locum perveniissent hominibus vacuum, *Iesum* digitos immisisse surdi auribus, exspuisse, tetigisse eius linguam, suspexisse in caelum, ingemuisse, ac tum demum homini restituisse facultatem audiendi et loquendi. Inest in hac narratione obscuritas quaedam, sed quam facile discusserit, qui recte cogitare didicerit de sapientia *Domini*. Ac primo

quidem in promtu eſt, *Ieſum* voluiſſe, cum ſurdum varie contrectaret, et *aures* potiſſimum atque *linguam* tangeret, miſeri animum facere attentiorem, eique hisce ſignis indicare, quid nunc fieri deberet. Neque enim alio modo ſignificari quidquam poterat homini, qui nec ipſe loqui, nec loquentes audire poterat, niſi iſta corporis motione atque geſtu. Inprimis notabile illud eſt, quod *cum gemitu ſuſpexit in cælum;* nihil enim aptius erat iſta re ad excitandam notionem Dei, et ad animum pietatis ac religionis ſenſu implendum, quo non penitus carere debebat is, cui iam ingens beneficium divinitus tribuendum erat. Quod autem haec omnia tum demum facit *Dominus*, cum ſpectantium oculis ſubtraxit hominem miſerum: id argumento eſſe poteſt, quam *cautus in omni actione fuerit.* Impedire enim hoc modo voluit, quominus ſpectatorum inſcitia, quae paene incredibilis erat, *vim aliquam occultam quaereret in his rebus*, et *ſuperſtitioni* locus daretur, quam omni tempore ita deteſtatus eſt *Dominus*, ut ei quavis ratione omnique ſtudio occurreret. Aderant etiam plerumque in ſpectantium turba homines multi, qui animo eſſent in *Chriſtum inimico*, et curioſe obſervarent omnia, ſi forte reperirent, quod reprehendi poſſet, et ad invidiam trahi. His noluit criminandi locum dare *Ieſus;* nam facile potuiſſent *ad circulatoriam quamdam*

iactationem referre ista omnia, si publice fuissent et in omnium conspectu peracta. Iam si quis hanc historiae istius partem ita consideraverit, vel ex his parvis rebus multa poterit elicere, quae ad prudentiam in omni vita pertinent, ac docere, quomodo, si intueri voluerimus ubique in perfectissimum *Domini* exemplar, *etiam ea, quae recte fiunt, circumspecte facienda sint*, ne ulla ratione offendatur aliorum imbecillitas. — Adhibenda saepe est *severitas quaedam*, sine qua nulla potest esse disciplina. Sed habet ea res cautiones multas, easque saepe parvas. Male audire plerumque solet nimia severitas, ac nisi coniuncta fuerit cum humanitate, cum praeter salutem aliorum nihil sit propositum, saepenumero noxia est. *Salutaris* autem *severitas*, quae inanem lenitatis clementiaeque speciem fugiat, qualis esse debeat, optime disci potest e loco Matthaei Cap. XV, 21-28. coll. Marc. VII, 24-31. si causae indagentur, cur auditore cum femina Cananaea egerit *Dominus*. Scilicet omnis illa severitas, quam summa benignitas secuta est, eo pertinuit, ut omnes intelligerent, non indignam fuisse istam feminam, cui tantum beneficium contingeret; ut rei insolentia excitarentur tardiores discipulorum animi et acuerentur; ut proponeretur praeclarum liberalis audaciae fiduciaeque exemplum, quod etiam reliquis, qui comitabantur Christum, prod-

eſſet; denique flectere ſe voluit *Dominus*, cum illa uteretur acerbitate ſermonis, ad mores Iudaeorum, qui contemnere ſolebant omnes, a religione Iudaica alienos; ſed eam commoditatem propterea demonſtravit, quod exemplis tam generoſae indolis ſenſim aſſueſacere volebat populares ſuos, ut rectius ſapere, et benignius de gentilibus ſentire discerent. — Narrat Lucas Cap. XV, 1-10. *Dominum contemſiſſe Phariſaeorum de ſe iudicium*, cum vituperarent ipſius conſuetudinem cum portitoribus. Ac mirum profecto videri poteſt, *Chriſtum* ab illo conſortio, quod ſummam habebat invidiam, noluiſſe abstinere, quamquam eo nomine ſaepe reprehenderetur. Sed qui *Lucae* locum, quem laudavimus, comparaverit cum alio quodam apud *Matthaeum* Cap. XVIII, 10 ſeqq. qui cogitaverit, quam diligens et religioſus fuerit *Dominus* in propaganda veritate: qui denique didicerit ex hiſtoria ſacra, portitores in admittenda veritate faciliores fuiſſe reliquis Iudaeis, cuius rei veſtigia in ſcriptis *Evangeliſtarum* multa reperiuntur; qui, inquam, haec omnia ſecum reputaverit, is non modo cauſas facile inveniet, cur *Ieſus* portitoribus ſaepe familiariter uſus ſit, ſed poterit etiam has Evangeliorum partes ita illuſtrare, ut ex iis manifeſtum ſiat, *quando nobis quoque liceat, non curare voces et iudicia eorum, qui inſtituta noſtra reprehendunt,*

et onerant invidia. — Memorabilis eſt locus Matth. IV. ſeqq. cum multis aliis de cauſis, tum maxime propterea, quod egregie docet, *quomodo coërcenda ſit vis phantaſiae*, qua pravae cupiditates excitari ſolent. Etenim omnia, quae diabolus ibi locutus eſſe, feciſſe, et oſtendiſſe *Domino* traditur, eo pertinebant, ut obiicerentur phantaſiae ſimulacra, quibus peccandi libido ſollicitaretur. Cui periculo quomodo occurrendum ſit, ſuo docet *Dominus* exemplo. Utitur enim *brevibus librorum ſacrorum ſententiis*, ad quas animum omnemque cogitationem penitus convertit, et quas ita habet in promtu, ut ſponte occurrant, et deſideratae ſtatim praeſto ſint. Huius parvae rei, quae ſaepe negligitur, quanta vis eſt in omni vita! Non reſiſti poteſt, cum vel per ſenſus irrumpunt ſuaviſſimarum rerum imagines, vel a phantaſia nobis obiiciuntur, niſi adſint praecepta quaedam virtutis, et ſententiae breves, quae ita in promtu eſſe debent et in uſu, ut ſtatim arripi poſſint ab animo, et in auxilium ante vocari, quam nimis magna fiat ſimulacrorum viſorumque lux et evidentia. — Sed adhibendus eſt modus in afferendis exemplis, et brevitati conſulendum. Putamus enim, planum eſſe factum, quod volebamus demonſtrare, eos, qui in legendis *Evangeliſtarum* narrationibus omnia curioſe conquirant, facile poſſe reperire multa, quae parva quidem

videantur imperitis, ſed impune negligi contemnique poſſint a nemine.

XXVII.

Commemorantur autem hae parvae res ſaepe et perſpicue etiam in *praeceptis de moribus ipſis*, quae ſunt a Chriſto eiusque apoſtolis propoſita; ut, qui veram vim et indolem univerſam doctrinae moralis, quam libri novi teſtamenti continent, fuerit aſſecutus, is profecto non poſſit non perſpicere, quantum ſit, et quam neceſſarium, haec minuta diligenter noſſe. Sequitur itaque, ut et hac de re nonnulla diſſeramus, et capita certo praecipua tangamus, ad quae reliqua, quae ſparſim in N. T. reperiuntur, poſſint referri. Obſervavimus autem ſupra [53]) *a rebus externis per ſenſus multa venire ad animum*, parva quidem illa, ſed quibus ſaepe praeter opinionem corrumpi poſſit, et ad peccandum allici. Hac de re *Dominus* ipſe graviter praecipit iis in locis, ubi nec oculis, nec manibus, nec pedibus parcendum eſſe, ait, ſed ipſa corporis membra reſecari debere, ſi forte peccandi cauſa ſiant; Matth. V, 27-30. XVIII, 8-9. Marc. IX, 43-47. Docet autem res ipſa, in his locis *de ſenſibus externis* diſſerere *Dominum*, et monere hoc, *ſumma cura, et omni adhibita diligentia cavendum eſſe, ne rerum extrariarum*

53) Conf. §. VII-IX.

impulsu invehantur in animum ideae, quae pravas cupiditates excitent, et peccandi libidinem incendant; melius enim esse, ut a percipiendis talibus rebus abstineatur penitus, et molestia, cum hac severitate coniuncta, aequo animo perferatur, quam ut aliquando futurae vitae poenas experiamur. In hoc praecepto, quod saepe ac vehementer inculcavit *Iesus*, ut inprimis docet locus Marc. IX, 43-47. illud ipsum inest, quod supra monuimus, semper excubandum quasi animo esse, ne extrinsecus aliquid obiiciatur, quod noceat, et ne inopinato hauriamus pernicioſas rerum imagines, quae plerumque suaviter illabuntur animum, et incautos decipiunt. Rem eamdem tractat notissimus locus *Iohannis* in epistola prima Cap. II, 16, ubi monet apostolus, res externas omnes, quibus homines, a vera religione alieni, eo tempore delectari solebant, et foedas alere libidines, a Christianis diligenter esse vitandas. Etenim ἐπιθυμίας verbum, quo apostolus utitur, non, ut alias saepe, *de excitata libidine* dicitur, *quae in homine est:* sed *de rebus externis ipsis, quae libidini blandiuntur, et per sensus eam incendunt.* Hoc intelligi potest ex antegressis; nam quae v. 16. τὴν ἐπιθυμίαν τῆς σαρκὸς καὶ τῶν ὀφθαλμῶν appellat, ea v. 15 nominat τὰ ἐν κόσμῳ. Sequitur autem apostolus in ea re usum Hebraicum in verbis חמדה et מחמד, quae saepe *de rebus, quas amamus, et*

quibus irritatur cupiditas et alitur, in libris Hebraicis adhibentur. Sic Ezech. XXIV, 16. *dilecta uxor* dicitur עינים מחמד, quod *Alexandrini* vertunt τὰ ἐπιθυμήματα τῶν ὀφθαλμῶν, eaque formula etiam ad res alias transfertur ibidem v. 21 et 25. Add. 1 Sam. IX, 20. Hag. II, 7. In cantico Salomonis autem formulam כלו מחמדים, quae *de amasio* usurpatur Cap. V, 16. *Alexandrini* exprimunt: καὶ ὅλος ἐπιθυμία, quod manifeste significat, ὅλος ἐπιθυμητός ἐστιν, isque locus orationem *Iohannis* optime potest illustrare. Eodem plane modo κενὴ ἐπιθυμιῶν usurpatur Dan. X, 11, et ἄρτος ἐπιθυμιῶν ibidem, v. 3, apud Iobum denique Cap XX, 20 verba, ἐν ἐπιθυμίᾳ αὐτοῦ οὐ σωθήσεται nihil aliud significant, quam *parum alimenti vel in iis rebus esse, quae vehementer expetantur;* nec male *Scholiastes* antiquus locum ita exponit: σχὼν, ἃ ἐπιθύμει, οὐ διασώσει. Iam si haec vera sunt, manifestum est, inculcari ab apostolo diligentiam summam *in percipiendis rebus externis, inprimis iis, quae ad luxuriam et voluptatem pertinent;* ne quid affluat ad sensus, quod noceat, animumque faciat deteriorem. — Ostendimus supra [51]), *in animo ipso quotidie fieri multa*, quae ab imperitis non satis animadvertantur, quamquam plurimum valeant ad impedien-

---

51) Vid. §. X.

dam veram emendationem, et ad confirmandam ſceleris tyrannidem. Iſtos parvos animi motus, quibus irritantur cupiditates pravae, ἐπιθυμίας appellant libri ſacri, et quanta ſit vis iſtarum ἐπιθυμιῶν ſaepe admonent. *Iacobus* quidem in epiſtola Cap. I, 14. 15. omnium peccatorum fontem in iſta ἐπιθυμίᾳ latere docet, hoc eſt, *in motibus animi parvis, quibus ſollicitentur appetitus, qui, vehementiores ardentioresque facti, peccata gignant.* Paullus autem eos, qui Chriſtum vere ſectentur, *necare*, ait Gal. V, 24. τὴν σάρκα σὺν τοῖς παθήμασι καὶ ταῖς ἐπιθυμίαις, hoc eſt, *eos id agere, et efficere omni ſtudio, ut reprimantur cupiditates pravae, nec vim ullam poſſint in animo exſerere;* conf. v. 16. 17. et Rom. VI, 12. VII, 7. 2 Tim. II, 22. Tanta enim eſt Chriſtianae religionis ſanctitas, ut non ſolum ramos peccatorum amputare, ſed omnes etiam radicum fibras evellere nos iubeat. Fruſtra autem laborabit in exſtirpandis cupiditatibus, qui non didicit animadvertere ac ſentire iſtas radicum veluti fibras, parvas quidem illas, et altius demiſſas, ſed quibus celeriter occurrendum eſt, ne adolescant, et incrementa capiant. — Ut autem *acuantur* homines ad contemplandos motus internos, atque omnino diligenter circumſpicere discant omnia, e quibus animus aliquid trahere poſſit, quod noceat et firmiter ſedeat: ſaepe *vigilantia* commendatur Chri-

ſtianis omnibus, hoc eſt, *ſollertia, diligentia, curaque ſumma in vitandis ſceleribus, et in exercenda virtute.* Illuſtris locus, qui hanc rem tractat, eſt 1 Theſſ. V, 6-8. Dominus ipſe utitur ſaepiſſime verbis γρηγορεῖν et ἀγρυπνεῖν, et ad illam vigilantiam vehementer cohortatus eſt; vid. Matth. XXIV, 42, XXV, 13. Marc. XIII, 33. 35. 37. Luc. XII, 37. 39. 40. XXI, 36, quibus addendi ſunt loci alii e ſcriptis apoſtolorum, v. c. 1 Cor. XVI, 13. coll. IV, 2. Eph. V, 18. 1 Petr. V, 8. cet. Inſunt autem in translatione ea, quae a *vigilantibus* deſumta eſt, potiſſimum duo. Primo quidem illud, *promtos eſſe paratosque debere Chriſtianos ad vitanda, exſpectanda, peragenda, audenda omnia, quae vel tempora intulerint, vel omnino monita praeceptaque divina.* Hanc vim verba γρηγορεῖν et ἀγρυπνεῖν habent in ſermonibus Domini ipſius; ſimilique modo *Cicero* dixit *animo excubare ſapientem, cui nihil improviſum accidere poſſit, nihil inopinatum, nihil omnino novum* [55]). Sed eſt etiam iisdem verbis ſubiecta notio *curae, ſtudii indefeſſi, ſollertiae acris, quae in partes omnes intendat aciem, et omnia diligentiſſime tractet.* Ita manifeſte dicitur Hebr. XIII, 17. et 2 Cor. VI, 6, ubi coniunguntur κόποι et ἀγρυπνίαι, fere ut *Cicero* [56]) *vigilantiam, ce-*

55) *Tuſc. Quaeſt.* l. IV c. 17 §. 37.
56) *Ad Attic.* l. VIII. ep. 9 extr.

leritatem, *diligentiam* ſimul poſuit, et *Lucianus* [57]) ἀγρυπνίαν καὶ φροντίδας, *Plutarchus* autem ἐγρηγορότας καὶ προσέχοντας [58]). Atque hoc modo Latinos *vigilandi et excubandi* verba adhibere ſaepiſſime, ſatis conſtat [59]); *ingnavi* autem, *negligentes*, *et incauti* dicuntur *ſtertere* [60]). Poſtulat igitur omnis illa ad vigilantiam cohortatio, quae ſaepiſſime legitur in libris ſacris, *curam et ſollertiam*, *quae minima quaeque circumſpiciat et complectatur*, *nec facile quicquam praetermittat*, *quod vel prodeſſe poſſit ad virtutem*, *vel ei damnum inferre*. Vim prorſus eandem etiam illud apoſtoli habet Phil. II, 12, quod iubet nos μετὰ φόβου καὶ τρόμου efficere, ut felicitatem ſempiternam conſequamur. Neque enim *angores*, *ſollicitudines*, *nocturnos diurnosque metus* indicat illa formula, ut nonnullis viſum eſt: ſed *ſtudium curamque maximam*, *quae nihil negligat*, *ſed diligenter caveat*, *ne quid minus recte ſiat*.

---

57) In *dial. Mort.* in dial Terpſ. et Plut. p. m. 272.

58) *De audit.* p. 145. ed. *Reiske*.

59) Conf. *Cicero pro Planc.* c. 24. §. 59. *Philipp.* VI. c. 7. § 18 et *ad Attic.* l. IX. ep. 11.

60) Ita *Hebraei* loquuntur, vid. Ieſ. V, 27. Prov. X, 5 etiam *Graeci*, veluti *Arrianus* in loco iam ſupra allato *Diſſ.* l. IV. c. 3. p. 582 et *Plato* in *Apol. Socr.* c. 18. p. 94, qui locus in primis notandus eſt. *Latinos* hunc tropum amare, ſatis conſtat. *Lucretius* expertem philoſophiae *vigilantem ſtertere* ait, *de Rer. Nat.* l. III. v. 1061. Illud autem *Horatii* cui non ſuccurrit: *indignor, quandoque bonus dormitat Homerus*, *de Art. Poet.* v. 359.

Haec autem omnia, quis eſt, quin videat, quorſum pertineant? Scilicet nihil eſſe debet tam parvum, quod non animadvertere, curare, vitare, magnificere, amplecti debeat Chriſtianus, ſi vim aliquam habere potuerit, vel ad corrumpendum et inquinandum animum, vel ad corrigendum et emendandum. — Eandem vero diligentiam et curam, vel ad minima ſe demittentem, poſtulant etiam ii loci, qui *mentem puram et innocentiam vitae* commendant. Ac primo quidem Dominus ipſe beatos praedicat τὸς καθαρὸς τῇ καρδίᾳ Matth. V, 7. Quae formula, e Pſ. XXIV, 4 deſumta, *veram, omnisque ſimulationis expertem integritatem* ſignificat, quae non externa ſpecie decipiat alios, ut Phariſaei ſolebant, adverſus quos ibi diſputat Dominus. Ii enim puras *manus*, purum *corpus*, pura *vaſa* poſtulabant, hoc eſt, inſignem pietatis ſpeciem mentiebantur, et in rebus *externis*, iisque minimis, ſcrupuloſi erant, conf. Matth. XXIII, 5. 23. 24; ſed negligebant *animum* purum, ſeu pietatem *internam*, ab omni ſimulatione et fraude alienam Math. XXIII, 25-28. Hanc igitur *Chriſtus* praedicat, beatosque fore dicit eos, in quibus non ſit umbratica et externa pietas, ſed qui ſint *intus puri*, hoc eſt, *vere et ex animo pii*. Atque ſic intelligi debere hanc formulam, etiam loci alii docent, veluti 1 Tim. I, 5. 2 Tim. II, 22. 1 Petr. I, 22, ubi, quae adiecta ſunt, ſatis demon-

ſtrant, καρδίαν καθαρὰν, opponi *ſimulationi.* Sed hanc *veram* pietatem, in qua nihil ſit fictum, nihil ſimulatum, nemo conſecutus fuerit, niſi qui cognitas habuerit et perſpectas animi humani artes omnes, fueritque diligens et curioſus rerum ſuarum, minimarum quoque, ſpectator. Sunt autem ex hoc genere etiam loci alii, qui *diligentiam in eluendis maculis omnibus, labeculis etiam minoribus,* ita poſtulant, ut in ea re pietatis verae munus ponant primarium. Huc inprimis pertinet illa Pauli vox 2 Cor. VII, 1. καθαρίσωμεν ἑαυτὸὺς ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος. In promtu enim eſt, μολυσμὸν σαρκὸς appellari *omnia, quae a prava corporis libidine proficiscantur;* μολυσμὸν πνεύματος autem *errores omnes, motus, ſenſus et facta, quae Chriſt ano homine ſint indigna.* Ita formula: συνείδησις μολύνεται 1 Cor. VIII, 7. uſurpatur de iis, *qui aliquid faciunt et admittunt, quod ipſis videatur verae virtutis ſtudio repugnare;* οἱ μεμιασμένοι autem, quorum μεμίανται ὁ νοῦς καὶ ἡ συνείδησις, Tit. 1, 15 ſunt *homines improbi, in colenda vera pietate tam negligentes et perverſi, ut e quavis re aliquid trahant, quod animi vitioſitatem augeat;* conf. Matth. XV, 8-10. Marc. VII, 18-23. et quae *Wetſtenius* e ſcriptoribus aliis ad locum Pauli notavit. Commemorandus autem hic in primis erat *Arriani* locus, neglectus fere ab interpreti-

bus, qui hanc rem egregie illuſtrat. Ibi enim Epictetus ψυχῆς ἀκαθαρσίαν eſſe dicit τὰ μοχθηρὰ πράγματα αὐτῆς, καὶ τὰ δόγματα πονηρά, purum autem animum appellat eum, qui habeat οἷα δεῖ δόγματα, quique ſit in omni agitatione ſua ἀσύγχυτος καὶ ἀμόλυντος [61]). Quare καθαρίζειν ἑαυτὸν ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ apud *Paullum* eſt, ut ſtatim explicat ipſe, ἐπιτελεῖν ἁγιωσύνην, hoc eſt, *ita vivere, ita ſe gerere, ut, quicquid a vera pietate et a vitae ſanctitate, cum externa, tum interna, alienum ſit, id omni modo fugiatur, removeatur, emendetur.* Hoc alibi magis perſpicue exprimitur ſic, ἅγιον εἶναι καὶ σώματι καὶ πνεύματι, 1 Cor. VIII, 34. Ceterum eodem modo intelligi debent verba ἐκκαθαίρειν ἑαυτὸν, 2 Tim. II, 21, quibus ſimilia ſunt illa Iohannis, 1 Ep. Cap. III, 3. Iam ſi vera pietas hominis chriſtiani cernitur potiſſimum in eo, ut omnem labem magis magisque eluat; ut omni ſtudio caveat, ne quid libidinoſe aut faciat, aut cogitet; ut denique innocentiam vitae animique ſanctitatem religioſiſſime conſervet: quis quaeſo non intelligit, quam ſolliciti, etiam de rebus minimis, eſſe debeant, qui doctrinam moralem chriſtianae religionis vel exponunt, vel ad eius normam vitam exigunt et mores, ne quid

61) *Diſſert.* l. IV. c. 11. Legenda autem eſt integra ſectio, in qua dominatur tropus, quem etiam libri ſacri ſaepenumero adhibent, et omnis amat vetuſtas.

admittatur, vel adſpergatur clanculum, quod illam caſtitatem animi mentemque puram polluat et contaminet. — Sunt autem in praeceptis chriſtianae religionis etiam alia, quae ad obſervationem parvarum rerum pertineant, earumque gravitatem illuſtrent. Dici vix poteſt, quanta ſapientia lateat in uno praecepto *de precibus perpetuis*, quae nunquam ſint intermittendae, et quas libri ſacri ſaepe poſtulant, vid. Luc. XXI, 36. Eph. VI, 18. 1 Theſſ. VI, 17. 18. Col. I, 3. Phil. IV, 6. Eſt autem *perpetuo precari* nihil aliud, *quam diligenter et ſaepe cogitare de Deo, habere animum, omni tempore erectum ad Deum, eiusque ſemper memorem.* Hoc a nobis poſſe fieri, quis inter chriſtianos negare auſit, cum nota ſit philoſophi, a religione vera alieni, vox illa praeclara: συνεχέστερον νόει τὸν θεὸν, ἢ ἀνάπνει [62]). Quomodo autem preces continuae coniunctae ſint cum rebus parvis, de quibus hic disputamus, facile poteſt intelligi. Ac primo quidem crebris de Deo cogitationibus, motibusque parvis, qui inde oriuntur, contrahitur ſenſim conſuetudo, *recte, honeſte ac placclare ſentiendi;* ſine qua vera virtus non poteſt in animo nasci. Deinde *ad acuendum ſenſum internum*, ut facili negotio animadvertere [illegible]at artes clandeſtinas, quibus animus,

[illegible] *Fragmenta Epicteti* ab *Uptono* collecta, p. 730.

ad peccandum pronus, saepe utitur, et ut cavere possit inita ac veluti comminationes affectuum malarumque cupiditatum, nihil efficacius est cum omnino precibus omnibus, tum perpetuis illis, quas Christiana religio tantopere commendat. Nam cui semper obversatur cogitatio Dei, is facile ac celeriter sentiet, si quid moliantur cupiditates, quod sit abiectum, turpe, impium et legibus divinis contrarium. Verissimum est illud *Epicteti* hac de re: ἐὰν ἀεὶ μνημονεύῃς, ὅτι, ᾧ ἐργάζῃ κατὰ ψυχὴν ἢ σῶμα, θεὸς ἐφέστηκεν ἔφορος, ἐν πάσαις σε ταῖς προσευχαῖς καὶ ταῖς πράξεσιν ἃ μὴ ἁμάρτῃς, ἕξεις δὲ τὸν θεὸν σύμμαχον [63]). — Sed desinendum est. Quis enim non videt, praeceptis de moribus, in novo testamento propositis, nihil esse excellentius, nihil accommodatius humanae naturae, nihil denique, quod omnibus vitiis nostris, occultissimis etiam et minimis, meliorem adhibeat medicinam. Hoc certum est, hoc fatebuntur omnes, qui in his rebus aliquid vident, ita quemque de humana natura, de modo, quo emendanda sit, de mutationibus, studiis, motibus eius omnibus, etiam minimis, optime iudicare posse, ut fuerit in considerandis omnibus, quae Christus et apostoli de moribus praeceperunt, diligentissimus.

---

63) Vid. eius *Fragmenta*, p. 780.

XXVIII.

Reſtat, ut addamus pauca *de ſcriptoribus reliquis*, quorum lectio prodeſſe poteſt ei, qui omnem mentis humanae conſuetudinem in agendo, receſſus quoque et latebras eius omnes paullo accuratius noſſe cupiat. Sunt autem hi, a quibus ea cognitio maxime petenda eſt, *hiſtorici*, *philoſophi* et *poetae*. Atque *hiſtoria* quidem carere poteſt nemo, qui aliquam ſibi humani animi notitiam comparare, et in exponenda tradendaque doctrina morali feliciter verſari voluerit. Etenim hiſtoria ſola docet, quid omni tempore auſi ſint homines, quid recte et praeclare fecerint, in quo lapſi ſint, quibus impulſi cauſis vel honeſta ſint ſecuti, vel ſcelerum labe ſe contaminaverint; hiſtoria ſola docet, quos eventus inſtituta quaevis habuerint, cur alia feliciter ceſſerint, alia ſucceſſu caruerint, cur alia profuerint quam plurimis, alia vel ſua natura, vel temporum infelicitate hominumque vitio nocuerint; hiſtoria ſola complectitur hominum non ſolum res geſtas, ſed etiam eorum, qui fama et nomine excelluerunt, vitam atque naturam; ſola ſuppeditat exemplorum omnis generis copiam paene infinitam; ſola incredibilem varietatem morum, rituum et inſtitutorum, cum ſingulorum hominum, tum integrarum gentium explicat; ſola oſtendit, qua ratione, quibus adminiculis nixi, quibus denique prae-

ceptis imbuti et conformati, ſenſim exſtiterint viri illi magni, qui ſuis beneficiis devinxere ſibi genus humanum. Sed non vacat iam, hiſtoriae laudes ſcribere, eiusque utilitatem copioſe demonſtrare, quod eſt ſaepe, et a viris ſummis factum. Qui vel unam legerit, praemiſſam *Polybio*, *Iſ. Caſauboni epiſtolam ad Henricum IV. Francogalliae regem:* is facile intellexerit, quam late pateat in doctrina de moribus hiſtoriae utilitas, unumque hoc litterarum genus eſſe, *cuius ſtudio ſapientia ſimul parabilis ſit, et prudentia.* Nam quod *Cicero* de *oratore* dicit, *eum nulla in re tironem, ac rudem, nec peregrinum atque hospitem in agendo eſſe debere* [64]): id multo magis verum eſt, cum transfertur ad eum, qui de moribus inſtituit praecipere. Quid enim aut arrogantius fieri poteſt, aut loquacius, quam eos, qui incredibilem varietatem ingeniorum, cauſarumque omnium, quibus regi, duci, impelli, corrumpique ſolent homines, non didicerunt hiſtoriae beneficio perſpicere, praecepta dare de virtute? Inde factum eſt, ut ſaepe inepti[illegible] commentis inquinata doctrina moralis, damnum inferret humano generi, vel certe propterea, quod indoli mentis humanae parum conveniebat, nemini prodeſſet. In optimorum igitur hiſtorico-

64) De Orator. l. I. c. 50. § 218.

rum libris, qui ex omni aevo ſuperſunt, volutatus eſſe debet is, qui doctrinam moralem utiliter tractare voluerit. Ac docuit etiam uſus, eos omnes, qui in exponendis praeceptis moralibus accurate verſati ſint, hiſtoriarum fuiſſe longe peritiſſimos [65]). Ceterum, *quos* potiſſimum deligendos eſſe putem ex univerſa hiſtoricorum multitudine, paucis aperiam.

XXIX.

Sunt igitur, ut conſtat, hiſtoricorum *plura genera.* Primum eorum eſt, *qui univerſi generis humani, vel omnes certe ſingularum gentium res geſtas memoriae prodere inſtituerunt.* Horum paucos cum fructu leget is, qui rerum minutarum vim et efficaciam in vita hominum accuratius perſpicere cupit. Nam qui catholicam vel omnium, vel quorundam ſaltem populorum hiſtoriam pollicentur, ii fere nonniſi maximos eventus commemorant, regnorum civitatumque ortus, incrementa, converſiones atque interitus; ad parva vero, ad ſingulorum hominum mores et inſtituta, ad vitam cuiusque domeſticam, ad occultas denique, ſaepeque fatis leves eorum, quae facta ſunt et acciderunt, cauſas raro ſe demittunt. Quibusdam ex hoc genere ſcriptoribus hiſtoria nihil aliud fuit, niſi *annalium confectio.* Ex iis igi-

65) Haec quam vera ſint, etiam *Baco* docet, de *Augm. ſcientiar.* l. VII. c. 3.

tur, quibus hoc tantum propositum fuit, ut monimenta qualiacunque temporum, locorum, hominum, rerumque gestarum relinquerent, detractis ornamentis omnibus, omnique cultu neglecto, ex iis, inquam, nihil fere peti potest, quod ad illustrationem doctrinae moralis pertineat. Sunt tamen in his, qui res generis humani populorumque maximas in historiam contulerunt, etiam alii, quorum lectio mihi quidem in hac quoque causa vehementer profuit. E *Graecis Herodotum* et *Diodorum Siculum*, inprimis autem *Polybium* nominare liceat. *Herodotus* quamquam plurium populorum historiam complexus est, tamen in explicatione maximarur rerum non raro delabitur ad minora, eaque p .sequitur curiosius. *Diodorus* in conficienda *ibliotheca*, quam e superiorum historicorum scriptis congessit, egit, ut ipse professus est, inprimis hoc, ut laudes virorum praestantium, malorum vero vituperationes ubique intexeret; id ita fecit, ut ex eius libris facile possit intelligi, historiam esse non solum testem tem.porum, sed et magistram vitae. Plurimis autem historicis anteponendus est *Polybius*, homo summi ingenii, doctrinae multae, et prudentiae maximae. Is enim non modo longe diligentissimus est in notandis hominum moribus, et explicandis eventorum causis; verum etiam saepe res minimas conquirit, earumque vim sub-

tiliter et copiose exponit. Quare hunc inprimis commendaverim omnibus, qui sibi volunt accuratam mentis humanae cognitionem comparare. E scriptoribus *Romanis* hoc loco unus commemorandus est *Livius*, cum ob universum narrandi genus, quod exprimit ubique eorum, qui agentes inducuntur, ingenium et mores, habetque perpetuam significationem sensuum, brevem quidem illam, sed perspicuam [66]; tum propter orationes, quibus omnia distinguit, quaeque sunt rebus, personis, temporibus ita accommodatae, ut advidenda et considerandia minima quaeque legentis mentem acuant. His auctoribus vetustis e *recentioribus* adiunxerim *Thuanum*, *Humium*, *Robertsonum*, *Gibbonum* et *Müllerum*. *Thuanus* iis in locis, ubi res *Francogallicas* exponit, quibus interfuit ipse, multa commode admonet, quae vel ad cognoscendos eorum, quorum facta narrat, mores pertinent, vel transferri possunt ad vitam ipsam; in reliquis solummodo narrator est, non exornator, breviterque complectitur maiora tantum. Plenius est, et continua quadam causarum, morum, sensuum, gliarumque rerum, parvarum quoque, observatione distinctum genus narrandi id, quo usi sunt *Humius*, in *historia*

66) Conf *Mori* libellus, qui inscriptus est: *Defensio narrationum Novi Testamenti quoad modum narrandi*, in *Dissertationibus theologicis et philologicis*, p. 13 sq.

Angliae, *Robertſonus*, in *hiſtoria Americana*, *Gibbonus* denique in opere vaſto *de interitu imperii Romani*. Hos qui diligenter et attente legerit, is discet intelligere, quantum ſit in omnibus, quae geruntur per orbem terram, interdum rei minimae momentum, et quantopere fallantur in iudicio de conſiliis hominum et de cauſis eventuum omnes, qui non ſint ad videnda et indaganda parva quaeque exercitati. *Mullerus* vero, qui in *hiſtoria foederis Helvetici* imitatus eſt *Tacitum*, ita creber eſt in maxima brevitate rerum frequentia, ut interdum e paucis verbis ſaluberrima praecepta poſſint elici. — Sed cum ad omne genus prudentiae hiſtoria ſit eo utilior, quo magis *particularis* eſt: cognoscendi ſunt inprimis libri eorum, qui res graves *carptim*, ut quaeque memoria videbatur maxime digna, et *conquiſitius perſcripſerunt*. Nam hi quoniam verſantur toti in argumento uno, et in definita quadam rerum eventorumque quaſi fabula, omnia diligentius ſolent perſequi, et actus veluti diverſos, omnemque varietatem conſiliorum, cauſarum et viciſſitudinum copioſius exponere. Quae diligentia, quis non videt, quantum valeat ad illuſtrandos hominum mores, et ad aperiendos animorum receſſus intimos? Supereſt autem ex antiquitate talium librorum copia ſatis beata. Hoc enim loco numeranda ſunt, quae *Thucydides* ſcripſit *de bello*

Peloponneſiaco; quae *Xenophon* reliquit partim *de Cyri maioris vita ac disciplina;* partim *de iunioris Cyri expeditione;* quae *Arrianus* et *Curtius de rebus Alexandri magni* prodidere; quae *Salluſtius de coniuratione Catilinae,* et *de bello Iugurthino, Tacitus* in *Annalibus,* et in *libris hiſtoriarum, Ammianus* denique *Marcellinus de rebus ſuo tempore geſtis* tradiderunt. In his maxime negligi ſolet *Ammianus;* ceteri enim non ſolum antiquitatis iudicio, ſed et conſentiente noſtrorum temporum voce ſatis commendati ſunt. Sed ſi ullus eſt hiſtoricorum veterum, quem diligenter legi velim ab omnibus, qui multiplicem uſum hiſtoriae in doctrina morali perſpicere cupiunt, is profecto *Ammianus* eſt; qui in deſcribendis hominum moribus, in explicandis cauſis eventuum reconditis, in obſervando denique minimarum rerum momento, non aequare tantum, ſed ſuperare etiam videtur, ſi *Tacitum* exceperis, Latinos hiſtoricos omnes. Ex auctoribus *recentioribus,* qui inſignes quosdam eventus a perpetua rerum geſtarum hiſtoria ſecreverunt, et ſigillatim illuſtrarunt, commemorari poſſent multi, quorum lectione acuere debet ingenium et alere, quicunque vult in doctrina de moribus ultra vulgus ſapere. Sed brevitatis cauſa nominaſſe paucos ſufficiat. Utantur itaque, qui ex hiſtoria colligere volunt doctrinae moralis illuſtrationem et prae-

ſidia, commentariis, quos *Sleidanus de ſtatu religionis ac reipublicae Caroli V. Caeſare*, *Seckendorfius de Lutheranismo*, et *Sarpius de concilio Tridentino* reliquerunt. Addant optimos *hiſtoriae eccleſiaſticae* ſcriptores, quos hic enumerare ſupervacaneum eſſet, cum eorum cenſum egerit *Schroeckhius* [67]), hiſtoricus inprimis probatus et eruditus. Legant denique, quae de *philoſophorum, theologorum, ſectarumque variarum opinionibus, decretis et litibus* ſcripſere multi. In quo tamen genere adhibendus eſt delectus. Cognoscendi potiſſimum ii ſunt, qui hoc argumentum tractarunt ſubtiliter, et cum perpetua cauſarum explicatione; qui ſunt, ut exempli ca ſa nonnullos afferam, *Belloſobrio* in *hiſtoria Manichaeismi*, *Corrodio* in *hiſtoria Chiliasmi*, *Meinerſio* in *hiſtoria philoſophiae et litterarum apud Graecos et Romanos*, *Planckio* in *hiſtoria doctrinae proteſtantium eiusque originum*, aliisque paucis, ſimillimi — Reſtant libri, qui *vitas ſingulorum hominum* continent. Atque hi omnium maxime commendandi ſunt iis, quibus propoſitum eſt hoc, ut res minutas earumque vim animadvertere discant ac perſpicere. Eſt autem ſcriptorum, qui ſingulorum hominum vitas memoriae prodiderunt, ingens multitudo. Sed cum

67) Conf. *Chriſtliche Kirchengeſchichte*, Part. I. Sect. 3. pag. 231 ſqq.

non omnes operae pretium fecerint, utendum eſt iis tantum, quorum fides ſatis ſpectata eſt, quique hanc adhibuere rationem, ut per omnes vitae partes, qualis quisque fuerit, diligenter et perſpicue exponerent. Hic vero primum locum obtinent ii, *qui de vita ſua ſcripſerunt ipſi.* In his non pauci ſunt, qui in tradendis rebus ſuis demonſtrarunt candorem, fidem, integritatem plane ſingularem et incorruptam. Hi quo copioſiores ſunt in colligendis omnibus, quae vel egerunt, vel paſſi ſunt; quo diligentius aperiunt animi ſui conſilia, et, quid quovis tempore crediderint, ſenſerint, ſecuti ſint, exponunt; quo accuratius denique eorum, quibuscum vixerunt, mores, inſtituta, omnemque conſuetudinem domeſticam deſcribunt: eo plura continere ſolet ipſorum narratio, quae ingenii pectorisque humani naturam, ſtudia, motus univerſam denique agendi rationem, ex minimis rebus plerumque maxime perſpicuam, contemplantium oculis exponant. Exemplo eſſe poſſunt, quae *Auguſtinus* [68]), *Cardanus* [69]), *Berndius* [70]), *Ruſſovius* [71]), *Reiskius* [72]), *Sem-*

68) In libris *Confeſſionum* et *Retractationum.*

69) In libro *de vita propria*, e *bibliotheca Gab. Naudaei*: Amſtel. 1654.

70) Primum edita eſt eius vita: Lipſiae 1738. 8.

71) In *Confeſſionibus* oper. tom. XVIII et XIX. edit. Bipont.

72) Prodiit poſt auctoris mortem libellus, qui ipſius vitam continet, Lipſ. 1783.

Ierus [73]) et *Goldonius* [74]) de vita rebusque suis tradiderunt ipsi. Etenim his nec simplicitas et candor in scribendo defuit, nec ingenium et doctrina. Quare pleni sunt ipsorum libri praeceptis saluberrimis, nec ulla fere est pars doctrinae de mentis humanae natura, quae non possit lucem aliquam ex iis capere. Diligenter etiam excutiendae sunt magnorum virorum *epistolae*, inprimis eae, quae sunt familiariter scriptae. In his fere semper expressa est imago verissima ingenii, animi et morum. Cum enim datae sint ad amicos, quibuscum hi, qui scribebant, sic loquebantur, ut secum, et quorum opera atque consiliis utebantur in re qualibet: id ipsum genus rerum, de quo quaerimus, in iis tractatur maxime, et minima quaeque fere semper curiosius exponuntur. Quis igitur est, ut exemplis nonnullis utar, qui non intelligat, diligentem lectionem eorum, quae *Cicero ad familiares*, inprimis *ad Atticum*, *Erasmus* ad homines *diversos*, *Melanthon* ad *Lutherum* et ad alios [75]), *Fridericus II. Borussorum*

---

73) Conf. *Semlers Lebensbeschreibung, von ihm selbst aufgesetzt*, Halae, Part. II. 8.

74) Scripsit Francogallice, sed nuper prodiit translatio germanica, cuius index est: *Des Herrn Goldoni Beobachtungen in Italien und Frankreich, ein Beytrag zur Geschichte seines Lebens und Theaters, übersetzt, und mit einigen Anmerkungen versehen von G. Schatz*; Lipsiae 1789. 3 tom. 8.

75) Conf. *Epistolae selectiores aliquot Phil. Melanthonis*, editae a *Casp. Peucero*, Viteb. 1565.

rex, ad amicos ſcripſit, vehementer prodeſſe, cum omnino ad rectius iudicandum de rebus multis, tum ad melius perſpiciendam humanae mentis indolem? Accedant auctores ii, *qui aliorum hominum vitas copioſius perſecuti ſunt.* In his principatum tenet *Plutarchus.* Nullum paene genus eſt parvarum rerum, quod is ſcriptor non attigerit in *vitis parallelis;* eius enim in deſcribendis hominum ingeniis, et in notandis moribus eorum, quorum vitas exponit, artificium tantum eſt, ut non adumbratam leviter, ſed expreſſam plane et abſolutam eorum imaginem proponat. Id autem efficit nulla re alia, quam commemorandis notis quibusdam parvis, in quibus ſaepe ſunt multo illuſtriora morum animique ſigna, quam in factis, quae vulgo maxime celebrantur. Ad *Plutarchi* praeſtantiam proxime accedit *Suetonius.* Praetermitto fidem incorruptam, qua tradidit hiſtoriam *Caeſarum;* in hac quidem re Plutarchum ſuperavit; hic laudari diligentia debet, qua artes principum et aulicorum bonas et malas, inprimis autem vitam Caeſarum domeſticam atque privatam ita expoſuit, ut vel minima colligeret. *Hiſtoriae auguſtae ſcriptores,* et *Diogenes Laertius,* quamquam Plutarcho et Tranquillo multo ſunt inferiores, negligi tamen non debent, cum et ipſi multa congeſſerint, quae poſſint prodeſſe. Ex iis autem, qui *recentiori* tempore ad ſcribendas illu-

ſtrium virorum vitas animum appulerunt, veterum virtutes nemo melius imitatus eſt *Schroeckhio*; diligenter itaque legenda ſunt, quae is ex illo genere edidit, omnia. Multa bonae frugis etiam iis continentur, quae de vitis et rebus variorum collegit, et nuper emittere coepit *Büſchingius* [76]). Nec *memoriae et elogia*, publice privatimque ſcripta, praetermitti debent, praeſertim ſi profecta ſunt ab idoneis auctoribus, quales apud *Francogallos* ſunt *Fontenellius* et *Dalambertus*, apud *noſtros Gesnerus* et *Erneſtius*. Taceo iam libellos eos, in quibus nonniſi unius hominis vita diligentius expoſita eſt. Qui ſi ſimiles fuerint ei, quem de *Ageſilao* ſcripſit *Xenophon*, de *Agricola Tacitus*, de *Melanthone Camerarius*, de *Sulzero Hirzelius*, de *Gellerto* et *Zollicofero Garvius*: legi cum fructu poterunt ab omnibus, qui ſubtiliorem mentis humanae cognitionem quaerunt. Conſulantur denique ſcripta eorum, qui non integras aliorum vitas confecerunt, ſed ea tantum collegere, quae notatu videbantur digniſſima. Huc pertinent, quae *Baelius* congeſſit in *lexico*, et multorum hominum *memorabilia*, quae vel ipſi litteris mandarunt, vel alii; *diurni* quoque rerum, quas auctores aut geſſerunt ipſi, aut vi-

76) Inſcriptum eſt hoc opus, cuius iam *quatuor* tomi exſtant: *Beyträge zu der Lebensgeſchichte denkwürdiger Perſonen, inſonderheit gelehrter Männer*, Hal. 1783.

derunt certe cognoveruntque, *commentarii.* In his libris interdum optima quaeque et veriſſima reperiuntur, quod conſectantur res domeſticas, occultas et minimas, auctores autem ſaepe non ſuo tempori ſcripſerunt, ſed poſteritati reliquerunt ſua, olim edenda.

XXX.

Hiſtoricis adiungendi ſunt *philoſophi;* non quidem hi, qui ieiunis formulis et rixis ſpiſſa volumina implerunt; qui compoſuerunt corpora philoſophiae ſcholaſticae; qui denique inanem aucupati ſubtilitatis gloriam, res tritas, vel vana commenta et ſomnia novitate orationis, et inſolitorum verborum veluti praeſtigiis occultarunt: ſed legendi verſandique ſunt ii, qui philoſophandi genus populare ſecuti, accommodate ad vitam praeceperunt; qui hominum naturas, ingenia, ſenſus intimos, ſtudia, virtutes denique et vitia ſpectanda demonſtrarunt, et quidquid occultum, quidquid reconditum in hominis animo eſt, obſervatione diuturna, et ingenii ſollertia recludere conati ſunt [77]). Ex hoc genere inter veteres *philoſophi Socratici* ſunt, inprimis *Plato*, qui ſaepe intimos receſſus humani animi aperit, et, quid in impellendis, formandis, corrumpendis

77) Diſputavit de hoc philoſophandi genere *Erneſtius* in libellis *de philoſophia populari*, et *de philoſophia vitae*, qui inſerti ſunt opuſculis oratoriis.

hominibus res minimae poſſint, paſſim copioſe et accurate docet. Idem *Ariſtoteles* fecit ſubtiliter, ut ſolet, et peracute in libris iis, qui pertinent *ad artem dicendi*, et *ad doctrinam moralem*. Longe autem copioſiſſimi ſunt in demonſtranda et explicanda rerum minutarum efficacia *Stoici*. Horum igitur ſcripta diligenter cognoscenda, ac paene ediscenda putaverim ei, qui ſubtiliorem animi humani notitiam ſibi comparare decreverit. Plena enim ſunt *Arriani*, *Simplicii*, *Antonini* et *Senecae* ſcripta non modo ſententiis gravibus, ſaluberrimisque monitis: ſed etiam utiliſſimis obſervationibus, ad intimos animi motus, minimasque mutationes pertinentibus. *Lucianus* denique et *Plutarchus in operibus moralibus* de univerſa mentis humanae natura, ac de virtutibus et vitiis tam praeclare tamque accommodate ad vitam ſcripſerunt, ut iis commode carere poſſit nemo. Sed vidit etiam hoc ſeculum philoſophos graves et eruditos, a quibus discere debent, qui volunt proficere. Legendos autem e *recentioribus* cenſeo potiſſimum hos, qui vel eam philoſophiae partem, quam *pſychologiam* appellare ſolent, ſcriptis illuſtrarunt; vel de rebus geſtis, de inſtitutis populorum, de legibus antiquis, ac de univerſa generis humani hiſtoria philoſophati ſunt; vel denique praecepta de moribus transtulerunt ad vitam, et populariter omnia tradere conati ſunt.

Eo ſunt, ut nonnullos nominatim commemorem, ex *Anglis* referendi *Lockius*, *Addiſonus*, *Shaftesburius*, *Humius*, *Ferguſonus*, *Beattius*; e *Francogallis Montagnius*, *Montesquieuus*, *Helvetius*, *Ruſſovius*, Bonnetus; e noſtris denique *Leibnitius*, *Iſelinus*, *Eberhardus*, *Zimmermannus*, *Garvius*, *Federus*, *Herderus* et alii, quos enumerare iam non vacat. Ceterum in hac cauſa praetermitti non debet hoc, cognitionem earum rerum, quas parvas appellamus, mirifice adiuvari lectione librorum, qui *de bonis artibus* ſcripti ſunt, ſive naturam artium ipſam earumque leges ſubtiliter exponant, ſive pertineant ad rationem criticam, et, quomodo iudicandum ſit de operibus poetarum, oratorum et reliquorum artificum, doceant. Diligenter itaque cognoscant, qui ad videnda et ſentienda minima quaevis acuere volunt ingenium, ſcripta *rhetorum antiquorum*, nominatim *Ciceronis*, *Quinctiliani*, *Demetrii* et *Longini*. Progrediantur autem ad ea quoque, quae *noſtris* temporibus de natura bonarum artium ſubtiliter et accurate diſputarunt multi, in quibus *Sulzerus*, *Homius*, *Moſes Mendelides*, *Leſſingius*, *Engelius*, *Ramlerus* et alii, tantam nominis famam conſecuti ſunt, ut noſtra commendatione non indigeant.

XXXI.

Denique nec *poetarum* carmina negligenda sunt. Etenim ut taceam, verissime dici de poetis excellentibus omnibus, quae de *Homero* scripsit *Horatius*, eos, *quid sit pulcrum, quid turpe, quid utile, quid non, planius ac melius Chrysippo et Crantore dicere* [78]): quis nescit, omnes humani animi sensus, permotiones et studia a nemine describi plenius et accuratius, quam a poetis? Sed *quos* potissimum tractandos esse censeam, id copiosius dicere, iam nihil attinet. Eos enim, quos probavit multorum seculorum, cultarumque gentium tantum non omnium consensus, quis est, qui ignoret? Prodesse autem omnes possunt, si leguntur, uti par est, discendi causa, non ob suavitatem solam. Hoc inprimis dici potest de *satiricis* et *comicis*, quorum ultimos *Cicero* recte appellat *imaginem vitae quotidianae*. Sunt et inter eos, qui *fabulas Romanenses* condiderunt, non pauci, quorum lectio multum utilitatis afferet in hac causa. Nam optimis ex illo genere scriptoribus propositum fuit hoc, ut gravem aliquem locum doctrinae moralis proponerent accommodate ad hominum omnium ingenia et sensus, hoc est, ea, quae vulgo de officiis praecipiuntur universe, exemplis illustrarent fictis quidem illis, sed ido-

78) Conf. *Epistolar.* L. I. ep. 2. v. 3. 4.

neis, atque ſic omnia ſubiicerent paene oculis ipſis. Quam multa peti poſſint e talibus libris, vel ex iis patet, quae apud nos ſcripſerunt *Hermes* et *Wilandius*. Hos igitur et poetas reliquos qui legerit eo conſilio, ut ex iis decerpat et colligat, quae mentis humanae naturam interiorem aperiunt, et ſpectandam proponunt: is facile augebit et ampliſicabit notitiam earum rerum, quas in hac diſputatione parvas appellavimus. Sed haec hactenus. — Diximus iam *de natura et generibus* parvarum rerum, de quibus in doctrina morali accuratius praecipiendum eſſe putamus. Oſtendimus etiam, *a quibus ſontibus manare debeat earum rerum cognitio.* Iam transferenda ſunt, quae univerſe praecepimus, *ad vitam ipſam et ſingulas eius partes.* Hoc igitur diſputationis noſtrae parte tertia facere conabimur.

Pars tertia.

Quomodo ea, quae de rebus parvis hactenus dicta ſunt, transferri debeant ad vitam et uſum.

XXXII.

Generalis diſputatio de rebus parvis, in doctrina de moribus diligentius explicandis, quam nunc abſolvimus, etſi ad perſpicuitatem plurimum valet, nec praetermitti debet ab iis, qui hunc lo-

cum tractant ſubtiliter: tamen non adeo multum profuerit, niſi oſtendatur, *quomodo transferenda ſint iſta omnia ad actionem et uſum*, et qua ratione ad omnes vitae partes, mutationes et caſus, omnimoque ad comparandam virtutem, et ad excitandum alendumque felicitatis verae ſenſum pertineant. Polliciti autem ſumus ſupra, velle nos de rebus minutis, e quibus ſaepe pendeant magnae mutationis momenta, non *univerſe* tantum, ſed etiam *proprie* dicere, et ad vitam ipſam omnia traducere. Deſcendamus igitur nunc ad ea, quae generibus, ſupra conſtitutis, ſubiecta ſunt, et videamus, *quid et quantum in agendo proſit, omnia, minima quoque, diligenter noſſe, iisque commode ac prudenter uti.* Sed infinitum eſſet, omnia ſtudioſe perſequi. Nullus enim eſt doctrinae moralis locus, qui non lucem aliquam ex hoc argumento capiat; nulla eſt vitae quotidianae pars, ad quam non poſſit ab hac diſputatione utilitas quaedam pervenire. Ne igitur rerum dicendarum multitudine ac varietate obruamur: ex univerſa earum copia ſeligamus *capita quaedam doctrinae moralis*, eaque gravia, et praetermiſſis reliquis, haec potiſſimum, tamquam ſpecimina, proponamus. Cum igitur fateantur omnes, nihil eſſe difficilius, quam alios ſeque ipſum noſſe: primo quidem docebimus, *quantum diligens parvarum rerum obſervatio adiuvet quem-*

que in cognoscendis et aliorum, et ſuis moribus. Deinde non alienum erit, *deſcribere vim, qua ſolent eaedem incautorum imprudentiumque animos corrumpere, ac nihil tale metuentes vitiorum labe ſenſim inficere.* Demonſtrabimus etiam, *parvarum rerum rationem habendam ab iis eſſe, qui magnos voluerint profectus in virtute capere,* nec poſſe veram vitae emendationem feliciter ſuccedere, niſi ſit animus in multas res parvas acriter intentus. Quoniam porro *tuenda virtus eſt, et ſollicite cuſtodienda, quod fieri non poteſt ſine acerrima diligentia, quae nihil negligat, nihil parvum putet:* placet, etiam hac in cauſa quid et quantum valeant res parvae, uberius demonſtrare. Cum denique nihil optabilius ſit, nihilque homine Chriſtiano dignius, quam vera uti ac perpetua animi tranquillitate: oratio noſtra deſinat in eo, ut breviter oſtendamus, *quomodo res parvae aut perturbent animum, aut exhilarent atque confirment.* Haec igitur ſigillatim ac deinceps paullo conquiſitius perſcribamus.

XXXIII.

Principio igitur in promtu eſt, prudenter agere, beateque vivere poſſe neminem, niſi qui *homines noverit,* hoc eſt, eorum, quibuscum verſatur, ingenia, mores, impetus et conſilia recte perſpiciat, intelligatque notas, quibus indoles et animus aliorum ſe prodit, et oculis veluti conſpi-

ciendum ſe praebet. Nam quod olim iam *Homerus* ſuo tribuit Ulyſſi, *eum mores hominum multorum inſpexiſſe* [79]); id vero tantum eſt ac tam praeclarum, ut maximam fere ſapientiae laudem efficiat. Hanc vero laudem comparare ſibi inprimis *Chriſtiani* debent, cum et *exemplum ipſius Domini*, et *praecepta perſpicua* id manifeſte poſtulent. Domini quidem in iudicandis moribus eorum, quibuscum vivebat, incredibilis ſapientia ac perſpicientia plane divina laudatur a ſcriptoribus ſacris, et commemoratur ſaepe. Celeriter animadvertebat inſidias, quas adverſarii parabant aſtute ac varie, *nec ſe credebat facile aliis*, διὰ τὸ αὐτὸν γινώσκειν πάντας, ut *Ioannes* ait *Evangel.* Cap. II, 24. Nec opus habebat, ut idem addit ibidem v. 25, aliorum in ea re teſtimonio: αὐτὸς γὰρ ἐγίνωσκε, τί ἦν ἐν ἀνθρώπῳ. *ipſe probe ſciebat, quali ſit quisque animo.* Quam accurate autem ingenia, ſenſus, mores, vitia et bona civium ſuorum habuerit cognita, partim illa docent, quae paſſim univerſe de iis pronuntiavit, ut locus Matth. XIII, 1-23, partim perpetua illa et acerrima inſectatio demonſtrat, qua clandeſtina Phariſaeorum, peſſimorum hominum, ſcelera aperuit et in lucem protraxit, conf. Matth. XXIII. Eandem vero ſollertiam in obſervandis et cognoscendis

79) *Odyſſ.* I. I. v. 13. Add. *Horatius de Art. Poet.* v. 141.

aliorum moribus saepe commendavit etiam sectatoribus suis, veluti Matth. VII, 15-20. Cap. X, 16. idemque postea fecerunt apostoli; conf. Col. IV, 5. 6. 1 Ioh. IV, 1. cet. Sed vehementer errant, qui existimant, hanc artem difficilem contineri paucis praeceptis generalibus, hominesque satis posse eum, qui philosophorum placita de mentis humanae vi atque natura didicerit in schola. Etsi enim philosophiam scholasticam non contemno, vel prorsus inutilem in hac causa censeo: tamen prodeat ex umbra scholarum, necesse est, in lucem vitae, seque demittat ad homines singulos, qui recte uti praeceptis generalibus, et aliquam sibi comparare voluerit iudicandi de aliis facultatem. Hic autem plurimum valebit *diligens observatio minimarum rerum.* Verissimum enim est, quod et alii iam saepe monuerunt, veram, et cuivis propriam ingenii animique indolem non e rebus iis intelligi, quae fere sunt *communes*, et, quod vulgo graves censentur, eodem modo eademque ratione geri solent a plurimis. Aucupanda potius diligenter et colligenda sunt parva multa, quae, quoniam simulationis expertia sunt, saepe praeter opinionem intimos sensus, cupiditates et studia hominum spectanda proponunt. Quemadmodum enim pictores, qui imagines hominum e vivis exemplis ducunt, tum demum similes figuras exprimunt, cum partes oris eas, quae sunt

omnibus communes, imitantur ita, ut ſunt exemplari cuique *propriae*, idque faciunt ſine aſſentatione et invidia, etiam in minimis curioſi ac diligentes: ſic animi quoque morumque imaginem, quae cuivis apta ſit, et quemvis accurate referat, nonniſi is concipiet, qui ſtudioſe collegerit parva multa, quae ſunt in cogitando, ſentiendo et agendo cuique propria, et in quibus a reliquis hominibus differt. Laudatur, et quidem recte, ut iam ſupra falli ſumus, *Plutarchi* artificium, qui eorum, quorum vitas ſcripſit, ſentiendi agendique modum tam feliciter expreſſit, ut eorum veluti ſimulacra paene oculis ipſis ſubiiciat. Sed qui attendere volet, qua ratione hoc effecerit; is facile videbit, curioſa rerum minutarum commemoratione, quae non raro deſcendat ad dicta et facta, e vitae quotidianae privataeque tenebris protracta, adumbrari ſenſim et fingi in animis legentium imagines acres et proprias eorum, quorum res geſtas expoſuit ille, ut ſic facile poſſint ab omnibus aliis diſtingui. Sed *Plutarchus* optime de conſilio ſuo diſputavit ipſe in *vita Alexandri* ſtatim ab initio, qui locus, quoniam hoc totum, de quo nunc loquimur, et illuſtrat, et confirmat, a nobis afferendus eſt. Negat igitur ibi noſter, brevitatem, quam adhibere ſoleat in commemorandis iis, quae vulgo putentur maxima, a quoquam eſſe reprehendendam: ὅτε γὰρ, inquit, ἰατρὸς γρά-

ὄψιν, ἀλλὰ βίος, ὅτε ταῖς ἐπιφανεστάταις πράξεσι τάντως ἔνεστι δῆλωσις ἀρετῆς, ἢ κακίας· ἀλλὰ πράγμα βραχὺ πολλάκις, καὶ ῥῆμα, καὶ παιδιά τις, ἔμφασιν ἦθος ἐποίησε μᾶλλον, ἢ μάχαι μυριόνεκροι, καὶ παρατάξεις αἱ μέγισται, καὶ πολιορκίαι. Ὥσπερ οὖν οἱ ζωγράφοι τὰς ὁμοιότητας ἀπὸ τῦ προσώπου, καὶ τῶν περὶ τὸν ὄψιν εἰδῶν, οἷς ἐμφαίνεται τὸ ἦθος, ἀναλαμβάνουσιν, ἐλάχιστα τῶν λοιπῶν μερῶν φροντίζοντες· ὕτως ἡμῖν δοτέον, εἰς τὰ τῆς ψυχῆς σημεῖα μᾶλλον ἐνβλέψαι, καὶ διὰ τούτων εἰδοποιῆσαι τὸν ἑκάστου βίον, ἐάσαντας ἑτέρους τὰ μεγέθη καὶ τοὺς ἀγῶνας. Quam vere haec dicta ſunt, quam pulcre! Hinc igitur eſt illud ἐναγωγόν, quod habet *Plutarchi* narratio, et quod tenuit omnes, qui vitas hominum illuſtrium, ab hoc auctore ſcriptas, attigerunt. Nam *minima quaeque*, ut *Vopiscus* ait in *Proculo* [80]), *iucunda ſunt, atque habent aliquid gratiae, cum leguntur.* Neque alienum erit ab hoc loco, monere, quod ſaepe animadverti, *feminas*, ſi ſint ingenio praeditae, et uſum aliquem vitae habeant, egregie ſubtiliterque pronuntiare de moribus eorum, quos vident, ac celeritate iudicii viris non raro longe et multum antecellere. In quo, etſi non negaverim, vim aliquam habere acriorem ſenſum, quem ſecus muliebre ab ipſa natura accepit: ta-

80) Cap. 13. p. 735. Addi poſſunt, quae *Ruſſeinus* hac de re differit, *Emile* tom. II. p. 164. ed. Bipont.

men exiſtimaverim, veram cuiusque indolem, virtutes et vitia, cuique propria, a feminis ceteriis animadverti propterea, quod omnis vitae quotidianae ratio eas vehementer acuit ad obſervandas, iudicandas, et curandas res minutas: quo fit, ut multa ſentiant, multa arripiant, imitis denique alliciantur, quae viris, illi μικρολογίᾳ parum aſſuetis, plane ſe ac facile ſubducunt. Quidquid ſit, hoc certum eſſe putamus, qui docere velit, quomodo cognoscendi ſint et iudicandi mores et animi hominum ſingulorum: eum elicere debere, *ut fiamus diligentes parvarum rerum animadverſores.* Quod ut planius intelligatur, placet iam, hac de re nonnulla praecipere, quae ad vitam ipſam propius accedant.

XXXIV.

Conſtat itaque, *puerorum educationi* qui feliciter velit praeeſſe, eum ante omnia agere debere hoc, ut vires ingenii et impetus, quibus natura eos inſtruxit, diligenter exploret, et ad indolem cuiusque diſciplinam omnem referat. Nam quod in educatione puerorum erratur plerumque tam foede, id profecto fere ſemper inde fit, quod, qui ei rei ſunt praefecti, aut plane negligunt vim naturae, in quovis puero aliter ſe exferentem, aut, quomodo indaganda ſit et inſpicienda vis illa, non intelligunt. Scilicet arduum eſt, ac prope totum in acerrima rerum minutarum obſervatione poſi-

tum, ex iis, quae puerliter luduntur, inſtituuntur, aguntur, audentur, peccantur, conicere, cui rei, cuive negotio aptum finxerit infantem quemque natura, et augurari vere, quod olim eſſe poſſit, aut futurus ſit. Qua in re quid accidit frequentius, quam ut parentes et magiſtri, praeceptores ſi fuerint, ut ſit, ſtudioſi partium, in omen magni ingenii et indolis praeclarae accipiant, quae metuere deberent ac reprimere; metuant vere atque vituperent, quae generoſi pectoris indicia habentur a iudice peritiori. Accidit hoc magnis hominibus non paucis, ut, in aetate puerili conſtituti, plurimis viderentur hebetes ac ſtupidi, quod carebant alacritate ac petulantia, quae plerumque ſolet in pueris eſſe, et excellentis ingenii ſignum a multis putari. *Plutarchus* quidem, ut exempio utamur, *Fabium Maximum*, eum, qui poſtea *Cunctatoris* cognomentum accepit, propter ignaviam et tarditatem, qua puer laborare videbatur, ab aequalibus ignominioſe appellatum fuiſſe, tradit [82]), *oviculam*. Nempe paucis datum eſt hoc, ut τὸ ἡσύχιον καὶ σωφρονικὸν, quod *Plutarchus* in *Fabio* fuiſſe perhibet, et in quo, ut eventus docuit, latebat τὸ μεγαλόψυχον καὶ λεοντῶδες, quod is vir in omni vita demonſtravit, ut, inquam, talem indolem ab hebetudine mentis ac ſtupiditate

82) Conf. in *Fabio* p. 174.

diſtinguant, a quo nonniſi levibus minutisque ſignis diſtat. Alacritas autem illa, quae ſaepe laudatur in pueris, et de qua vehementer laetantur, qui non didicerunt, minuta omnia circumſpicere, quid quaeſo aliud eſt in adolescentibus multis, quam inepta levitas, quae celeriter quidem arripit ſimulacra rerum et haurit, ſed obſcuris et imperfectis imaginibus contenta eſt, impetu fertur caeco et inani, tandem vero in impudentiam erumpit. Haec autem ambiguitas, quae locum habet etiam in aliis rebus, e quibus de natura et ingenio puerorum coniecturam facere ſolent homines, fere ſemper in errorem inducet incautos, eos vero, qui vel leve discrimen videre didicerunt, non facile decipiet. Quis nescit, praeceptores ſcholarumque magiſtri, qui non ſunt deſtituti ingenio, ſibique compararunt aliquem uſum, quam recte ac vere augurari ſoleant et vaticinari paene de pueris, quos inſtituunt? *Themiſtoclis* quidem praeceptor iam puero ſolebat dicere: *tu nihil eris mediocre, ſed ſine dubio aut lumen magnum, aut magna peſtis* [82]. Sic et alii, qui prudentia valent et ingenio, ſaepe peracute vident in pueris futurae magnitudinis veſtigia, quae reliquis hominibus plane ſunt obſcura. Nota eſt *Sullae* vox de *Caeſare*, quem admodum iuvenem interſici

---

82) Conf. *Plutarchus in Themiſt.* c. 2. p. 449. ed. *Reiske.*

volebat. His enim, qui oſtendebant, nihil eſſe cauſae, cur iſtum puerum e medio tollat, reſpondiſſe fertur, *nihil mentis habere, qui non videant, in hoc puero multos latere Marios* [83]). Quae cum ita ſint, dici non poteſt, quam perverſe de infantibus iudicent, qui non ad parva quaevis aciem intendunt, ut profecto mirum non ſit, ſpem, quam de ſuis concepere multi, deſtitui ac falli. Sed non licet iam, in hac praeceptionis brevitate plura ex hoc genere proferre; praeſertim cum nobis otium fecerint alii, qui hunc locum tractarunt accuratius [84]).

XXXV.

Veniamus igitur *ad adultos*, quorum *de moribus*, cum plerique temporibus ſerviant, et ad omnia ſe flectant, recte iudicare non poterit, niſi qui fuerit ad ſentiendas res multas, quas ob parvitatem negligit imperitorum incuria, longe exercitatiſſimus. Etenim *in habitu oris ac vultu*, *in cultu corporis motibusque membrorum*, *in univerſa denique actione quotidiana* reperiuntur parva multa, quae vulgo quidem ab hominibus per imprudentiam fiunt, ſed hac ipſa de cauſa indolem, mores, ſtudia, intimosque ſenſus eorum

83) Vid. idem *Plutarchus in Caeſ.* c. 1. p. 168.

84) E multis nominare liceat unum *Garvium*, cuius eſt egregia haec de re diſputatio, quae in *commentationibus philoſophicis*, Lipſiae A. 1779. editis, primum locum obtinet.

multo melius aperiunt, quam magna illa, quae consulto gerunt, et in quibus dominatur cura quaedam, et studiosa simulatio. Haec quam vera sint, eius ipse docet quotidie. Sunt, ut notum est, qui conspicientibus statim placeant, omnium oculos in se convertant, omnium sibi concilient animos. Iam τὸ ἐκκαγωγὸν eiusmodi hominum, quo tantopere capimur, qua in re situm sit, saepe qui sem nescimus ipsi. Sed cum accuratius inspicimus eos, qui ita nos alliciunt, intelligimus tandem, multis rebus parvis, quibus ipsorum animus, honestis sensibus et virtutis amore plenus, in omni corporis actione se exserit, effici amoenitatem illam dignitatemque, quae magnum sui amorem et admirationem in nobis excitat [85]). Sunt et alii, quibus nec cura desit, nec lepor, nec studium placendi, nec insignis quaedam, et oculis ultro se ingerens, probitatis species; sed a quibus nihilo minus abhorret animus, quos aversamur et metuimus, obscuro quodam sensu ducti. Eius rei etsi plures esse possunt causae, plerumque tamen honestati, quam eiusmodi homines prae se ferunt, et mentiuntur extrinsecus, admixtae sunt notae quaedam et vestigia latentis nequitiae, quae, quantumvis leviter impressa, tamen exercitatum rerum minutarum animadversorem admonent, ut

85) Conf. *Garvii Commentationes in Ciceronis libros de Officiis*, Part. I. p. 153 sqq.

ſibi caveat, nec decipi ſe patiatur externa ſpecie. Non poſſet profecto ingens iſta impoſtorum multitudo, qui nunc ubique prodeunt, ſibique varias perſonas imponunt, tam facile verba dare hominibus, et credulos improvidosque emungere pecunia, ſi obſcura illa fraudis veſtigia, quae ſagaciores in iſtis nebulonibus facile inveniunt, diligentius animadverterentur. Eſt enim infinita paene copia parvarum rerum, quae recludunt intelligentibus veram et interiorem hominum indolem, et vel fiduciam excitant, vel ſuſpiciones movent. Status, inceſſus [86]), ſeſſio, vultus, obtutus oculorum, per quos maxime animus emanat [87]), ſuperciliorum aut remiſſio, aut contra-

---

86) A *Salluſtio* notis, quae *Catilinae* vecordiam et conſcientia ſcelerum excitam mentem indicabant, annumeratur *citus modo, modo tardus inceſſus, de Bell. Catil.* c. XV.

87) Liceat hic ſubiicere *Plinii* locum, qui hoc optime illuſtrat. *Neque ulla ex parte*, inquit ille, *maiora animi indicia cunctis animalibus*, (quam ex oculis) *ſed homini maxime, id eſt, moderationis, clementiae, miſericordiae, odii, amoris, triſtitiae, laetitiae. Contactu quoque multiformes, truces, tersi, flagrantes, graves, transverſi, limi, ſubmiſſi, blandi. Profecto in oculis animus habitat! Ardent, intenduntur, humectant, connivent. Hinc illa miſericordiae lacrima. Hoc cum osculamur, animum ipſum videmur attingere. Hinc fletus et rigentes ora rivi. Quis ille humor eſt, in dolore tam formidatus et paratus? aut ubi reliquo tempore? Animo autem videmus, animo cernimus: oculi, ceu vaſa quaedam, viſibilem eius partem accipiunt, atque transmittunt*: Hiſtor. Nat. l. XI. c. 54. ed. Bipont.

ctio [88]), vox, riſus [89]), et alia ſimilia multa obſervanda ſunt ei, qui in iudicio de aliis, praeſertim de his, quos nondum penitus inſpexit et cognitos habet, noluerit errare. — Talia etiam inſunt *in ratione vitae quotidianae.* Utamur exemplis. Sunt, qui in re qualibet adhibeant *ambages verborum* et vehementer ament *formulas ambiguas*, quae facile poſſint interpretando pro lubitu flecti, ac diverſos accipere intellectus. Hoc plerumque leve videtur his, qui non ſatis curioſi ſunt in obſervandis minimis animi morumque notis. Sed recte ſuſpectus eſt frequens ille in rebus quotidianis ac levibus amphiboliarum uſus; prodit enim hominem aſſutum et callidum, qui ubique latebras quaerit, et, quid ſentiat, diſſimulare

88) *Supercilia homini et pariter et alterne mobilia: eſt in iis* pars animi. *Negamus, an annuimus? Haec maxime indicant* ſaltum. *Superbia alibi conceptaculum, ſed hic ſedem habet. In corde nascitur, huc ſubit, hic pendet. Nihil altius ſimul abruptiusque invenit in corpore, ubi ſolitaria eſſet.* Idem *Plinius* haec habet *Hiſt. Nat.* l. XI. c. 51.

89) *Plutarchus in Caeſare* poſtquam dixerat, Caeſarem, cum ad rempublicam accederet, fere nemini fuiſſe ſuſpectum, quod eius hilaritas minime videretur prodere ingenium tyrannicum, tandem addit: ὃ γ' ἂν πρῶτος ὑπιδέσθαι δοκῶν αὐτὸ καὶ φοβηθῆναι τῆς πολιτείας, ὥσπερ θαλάττης, τὰ διαγελῶντα, καὶ τὴν ἐν τῷ φιλανθρώπῳ καὶ ἱλαρᾷ κεκρυμμένην δυνάστην τῷ ἤθει καταμαθὼν Καίσαρι, ἄλογος, τοῖς ἄλλοις ἅπασι ἐπιβαλόμενον αὐτῷ καὶ πολιτεύμασι τυραννικὴν ἐνορᾶν διάνοιαν. Vid. C. 4. p. 175, qui totus locus multis de cauſis hic comparari debet.

ſtudet. Memorabilis eſt *Melanthonis* hac in re ſeveritas, quam *Camerarii* verbis laudare liceat. *Usque adeo*, inquit ille [90]), *abhorrebat a dubiis et incertis ſermonibus, ut ambiguas ſiguras orationis in rebus ſeriis, quamvis uſitatas, ferret iniquius. Ac memini aliquando inter epulas, cum vinum appoſitum ipſi valde probaretur, iubere illud ex convivis unum guſtare, et dicere, quid videretur? Qui cum reſpondiſſet conſueta ἀντιφράσεως forma:* eſſe illud haud malum, *paene cum indignatione Philippi Melanthonis:* bonum, *inquit*, vinum ſic laudari non debet; *quod ſimplicem et propriam commendationem uſurpare conſuiſſet. Hoc etſi vulgarius atque levius, moris tamen in illo huius indicium illuſtre non putavi praetermittendum.* Recte tu quidem feciſti *Camerari!* Nam ut in flexiloquis multorum ſermonibus non obſcura ſunt fraudulenti animi ſigna: ita *Philippi* candor et integritas hodieque eminet et elucet e genere dicendi ſimplici, perſpicuo, et leniter profluente, quo vehementer commendatur, quicquid ille reliquit. — Parvum putatur ab imperitis et ignoscendum facile, ſi quis domi *ſordibus ſqualeat*, ſi ſupellectili utatur vili, detrita et negligentius ſervata; ſi nulli rei, quae

90) In *vita Melanthonis* p. m. 61.

uſui quotidiano deſtinata eſt, parcat, nihil, quod ſemel contrectaverit, dimittat e manibus, quin immunditiae ſuae notas et veſtigia quaedam ei impreſſerit; ſi quis, ut omnia paucis complectar, remotus ab oculis hominum, et in cubiculi ſui tenebras abditus, atque omnino in minoribus vitae domeſticae negotiis, fuerit negligentior. Sunt haec parva, fateor, ac poſſunt in eo, qui in his minutis vitiis laborat, eſſe multa, quae laudanda ſint. Sed ſi quis accuratius exploraverit mores eorum, qui peccant in rebus illis minoribus: facili negotio animadvertet, ea vitia non in ſolo maculoſo corpore haerere, ſed originem trahere ex animo, aut ruſticitate quadam et impudentia, aut incuria levitateque corrupto; iſta vero levitas pedetentim ſerpit latius, et, occaſionem nacta, etiam in gravioribus delinquit. Contra non male iudicat, qui benigne ſentit, ac bene ſperat de his, quos adhibere videt munditiem, curam, diligentiam, ordinem denique et conſtantiam etiam in minimis rebus. Nam qui ita ſunt nutriti, ita longa aſſiduitate aſſuefacti, ut ſentiant ſubtiliter, firmiterque teneant id, quod in omni actione externa et quotidiana perfectum, pulcrum, decorum putatur: ii, quoniam natura ratioque ſimilitudinem ſolet ſenſim ab oculis transferre ad animum, facile etiam in conſiliis gravioribus, in di-

ctis et factis pulcritudinem, conſtantiam, ordinemque ſervabunt [91]). *Chriſtianos*, ſi vim et ſanctitatem religionis ſuae vita ipſa exprimere voluerint, etiam in his parvis rebus diligentes eſſe debere, vel unum docet Paulli praeceptum Phil. IV, 8. Ipſorum populorum mores rebus parvis fieri conſpicuos, nemo negaverit, qui plures inter ſe comparare voluerit. *Plutarchus* in *praeceptis gerendae reipublicae* [92]) exempla ſuppeditat, hanc rem egregie illuſtrantia.

XXXVI.

Sed multo etiam magis magna ſaepe intelligemus e parvis, *cum alios viderimus eo in loco conſtitutos, ubi vel voluptatis cuiusdam illecebris excaptus, vel alio, quocumque demum modo excitatus eorum animus paullo liberius agere incipit, cupiditates autem, diſſimulationis integumentis evolutae, erumpunt audacius.* Multa commemorari poſſent ex hoc genere, ſi vellemus omnia perſequi. Iam cum id nec ingens rerum copia, nec ſcriptionis permittat brevitas, unum alterumve ſufficiat. Homines pauci ſunt morum ſimpli-

91) Non alienum erit adſcribere *Epicteti* verba apud *Arrianum Diſſ.* l. IV. c. 11. pag. 614. Ἐγὼ μὲν, νὴ τοὺς θεοὺς, inquit, τὸν νέον, τὸν πρῶτον κινούμενον, θέλω μᾶλλον ἐλθεῖν πρός με πεπλασμένον, ἢ τὴν κόμην κατεφθαρμένα καὶ ῥυπαρόν. βλέπεται γάρ τις ἐν ἐκείνῳ τοῦ καλοῦ φαντασία, ὄρεξις δὲ τοῦ εὐσχήμονος.

92) Pag. 190 ſqq.

cium, qui nihil tegant, nihil adumbrent; plurimi ficti esse solent, et in omni vita simulatores. Horum vitia, in vita reliqua diligenter tecta, saepe nudat *epularum hilaritas*, quae dici non potest, quam mirifice recludat aliorum pectora, intimosque eorum sensus his, qui fuerint attentiores, aperiat. Praeclara est *Platonis* hac de re disputatio in *primo libro de legibus* [93]), ubi e compotationibus hanc potissimum utilitatem capi posse docet, ut discamus perspicere mores aliorum, et abditas alio tempore latentesque animi cupiditates. Concedit quidem, varios esse multiplicesque alios explorandi modos, hanc vero explorationem, quae fiat in conviviis, et quam τὴν ἐν οἴνῳ βάσανον appellat [94]), recte censet, τῆς εὐτελείας, καὶ ἀσφαλείας, καὶ τάχους διαφέρειν πρὸς τὰς ἄλλας βασάνους [95]). Hoc quam certum sit, vel exinde patet, quod contritum est vetustate proverbium, vino prodi veritatem [96]). Neque hoc examinandi genus in iis tantum adhiberi potest, qui, Thracum more, scyphis pugnant, et inconditis clamoribus rixisque, quales sint, satis superque demonstrant; horum enim vitia ita declarat om-

---

93) Pag. 47 sqq. ed. Bipont.
94) Pag. 55.
95) Pag. 56.
96) Haud poenituerit comparare *Plutarchi* de hac exploratione disputationem in *Symposiacis* L. III. p. 555. 56. ed. *Reiske*.

nis vita reliqua, ut iſto examine facile careamus. Sed hi, qui bene et artificioſe diſſimulare didicerunt, quae vitioſa ſunt et prava, ac ne tum quidem, cum incaluere vino, diſſimulationis integumenta plane exuunt, hi, inquam, multis parvis rebus prodere ſolent, quae pectore premant, cum ſunt epulis, potu, hilaritate paullo remiſſiores et incautiores facti. Tum enim in vultu, in oculis mobilibus, laſcivis, natantibus, limis, aut poſcentibus aliquid, aut pollicentibus, in dictis brevibus, in iocis, in narrationibus denique factisque aliis multa erunt, parva quidem illa, ſed ſatis manifeſta animi morumque indicia. — Talia etiam inprimis eo tempore eminent et apparent, *cum homines agitant aliquid ſecum et moliuntur*, aut *ſuſpenſi aliquid exſpectant*. Prudenter ſane et recte praecipit *Polybius* [97], imperatorem cautum et exercitatum tacere debere μὴ μόνον τῇ γλώττῃ, πολὺ δὲ μᾶλλον τῇ ψυχῇ. Illud *animi ſilentium*, quod imperatoribus vehementer commendat *Polybius*, etiam in quovis alio eſſe debet, qui res ſuas prudenter adminiſtrare voluerit. Sed eſt profecto paucis datum, cum intenti ſunt in rem unam, et tota mente quaſi affixi, *tacere animo*. Nam, quod ſtatim addit *Polybius*, multos, quamquam verbis et voce nihil proderent, interdum

97) In *Excerpt. hiſt.* l. IX. c. 12.

tamen δι' αὐτῆς τῆς ἐπιφάνειας, *ipso ore ac vultu* 98), conſilia, quae verſarent, manifeſtaſſe; id non tantum de ducibus et imperatoribus verum eſt, ſed transferri poteſt ad omnes, qui commoti ſunt animo, et alicuius rei cogitatione vehementius excitati. Imprudentibus enim et inſcis, cum ita ſunt affecti, multa excidunt minuta, quae cum praesentem animi statum, tum omnino universum ſentiendi agendique modum, quo etiam alias utuntur, varie illuſtrant. — Quid denique dicam de his, *quibus repente ac praeter opinionem aliquid accidit, quod vel laetum ſit et exoptatum, vel miſerum et triſte.* Nihil enim planius demonſtrat, quomodo quisque ſit affectus animo, quid ſentiat, ſperet et averſetur, quam ea, quae poſt motum primum animi, inopinato nuntio icti ac perculſi, celeriter erumpunt. Incitatus enim animus ac repente perturbatus non ita ſe cohibere, non ita recentem vel dolorem, vel laetitiam reprimere poteſt, uti tum ſit, cum ſui compos eſt, cum ei meditata ſunt omnia et proviſa. Saepe pauca verba, saepe ἐπιφώνημα breve, saepe parva vel triſtitiae, vel odii, vel gaudii, vel malivolentiae ſignificatio, a repentino animi motu profecta, quamquam celeriter iterum repreſſa, tamen mo-

98) Hanc cum poteſtatem verbum ἐπιφάνεια etiam alia habet apud *Polybium*, velut in *Excerpt. de virt. et vit.* p. 97. Addatur locus in *Excerpt. hiſt.* l. IX. c. 19 p. 1[illegible]

res hominum, et interiores cupiditates multo melius aperuit intelligentibus et attentis harum rerum indicibus, quam multa diuturna actione potuisset fieri. Nemo hoc rectius vidit *Plutarcho*. Is in praefatione eius libri, in quo collegit *scite dicta regum et imperatorum* [99]), negat, e *factis*, quibus fere semper admixta sit vis fortunae, hominum animos satis posse perspici; αἱ δὲ γινόμεναι, pergit, παρὰ τὰ ἔργα, καὶ τὰ πάθη, καὶ τὰς τύχας, ἀποφάσεις καὶ ἀναῤῥήσεις, ὥσπερ ἐν κατόπτροις, καθαρῶς παρέχουσι τὴν ἑκάστου διάνοιαν ἀποθεωρεῖν [100]) — Nihil autem scire, nihil videre in moribus aliorum, qui haec, et alia multa nec sentiat, nec subtiliter intelligat, vel inde patet, quod *vitia saepe aemulantur externam virtutis speciem*, eamque tam feliciter exprimunt, ut incauti, qui oculos et animum non acuerunt ad observandum discrimen quodvis leve, facile decipiantur. Amicus ab adulatore nonnisi levibus notis distingui potest, quas optime illustravit *Plutarchus* in libello satis noto [101]). Superstitiosi saepe mentiuntur spe-

---

99) In Apophth. p. 659. ed. *Reisk.*

100) Quam accurate saepe breve aliquid dictum aut factum exprimat omnem sentiendi rationem, egregie illustrant ea, quae in *Confessionibus* de se narrat *Rousseau* Operum Tom. XXXV. p. 197; praesertim si comparaveris, quae de odii ac libertatis amore prodit ibidem tom. XXXII. p. 369.

101) *De discrimine amici et adulatoris.* Idem argumentum *Maximus Tyrius* tractat in *Dissertat.* IV.

ciem eorum, qui vero religionis ſenſu ducuntur; ſimulatores imitantur vere pios; homines ſuperbiſſimi ſaepe faſtum immanem ſubdola modeſtia tegunt; obtrectatores callidiſſimi non raro videri volunt laudatores alienae virtutis. Hos igitur alioſque callidos, et, cum *Tacito* loquar [102]), *tegendis ſceleribus obſcuros* quomodo convincemus, ac, demotis tamquam parietibus, liberius inſpiciemus, ſi externa virtutis ſignificatio nobis imponit, leves vero notae latentis in pectore vitii nos non faciunt attentos? Nemo igitur vel ipſe conſequi, vel alios docere poterit difficilem illam arduamque homines cognoscendi artem, niſi haec, et multa alia morum animique ſigna parva videre didicerit, ac celeriter ſentire; in quo uſus et aſſiduitas in obſervando vim habebit maximam, quod facilius eſt, haec ſenſu percipere, quam verbis eloqui.

XXXVII.

Sed iſta rerum minutarum obſervatio diligens inprimis debet *ad nos ipſos* pertinere. Conſtat enim, homines plurimos ſe ipſos ignorare, et quamquam in aliorum vitiis plerumque cernant acute, tamen in pervidendis ſuis eſſe lippos. Eius erroris et indulgentiae, qua quisque ſe proſequitur ipſe, multae ſunt cauſae, quam iam ſigillatim

102) *Annal.* l. VI. c. 24.

commemorare nihil attinet [103]). Breviter omnes complectitur illud *Senecae* [104]): *familiariter domeſtica aſpicimus, et ſemper iudicio favor officit.* Nec id iam nobis propoſitum eſt, ut oſtendamus, Chriſtianum non poſſe carere accurata ſui cognitione. Quis enim non videt, nec emendari, quae prava ſunt, nec tenera virtutis initia confirmari in nobis poſſe ſine cura illa atque ſollertia, qua circumſpiciamus noſtra omnia, ſimusque eorum, quae intus aguntur et accidunt, nobis bene conſcii? Monuimus quoque iam ſupra [105]), hac maxime de cauſa ſcriptores ſacros commendare *vigilantiam*, eamque ponere in praecipuis hominis chriſtiani officiis. Sed huius vigilantiae vim multi non ſatis intelligunt, paucissimi eam in vita ipſa demonſtrant. Neque enim ſufficit, ea tantum conſiderare, quae gravitate ſua attentum faciunt animum et alliciunt. Ita potius quaſi excubandum eſt, ut etiam ad res minutas et leves intendatur acies, ſi quis ſe perſpicere voluerit ipſe. Nam primo quidem debet is, qui ſe totum tentare, omnemque animi ſtatum ſibi cognitum reddere decreverit, noſſe, ut omnes fatentur, *bona*, quae vel *a natura* accepit, vel *disciplinae* debet,

103) Conf. *Platonis Alcibiades primus*, ubi hoc argumentum bene tractatur.

104) *De Tranquill. animi* c. 1.

105) §. XXVII.

vel *exercitatione ac diligentia* ipse sibi comparavit. Ea igitur, *quae natura nobis tribuit*, alteri explorari ac perspici non possunt, nisi sic, ut vires experiamur nostras, et videamus, quid valeant, et quomodo res quaeque nobis succedat. In hoc autem incautos, rerumque levium parum curiosos, multiplex error decipit. Quis enim nescit, eorum, quae inchoamus, tentamus, molimur, successus aut impediri, aut adiuvari posse magna parvarum rerum multitudine, quarum aliae in nobis ipsis fitae sunt, aliae in his, quibuscum vivimus et versamur, aliae denique a tempore, loco, fortuna casibusque multis pendent, quorum vel nulla sit, vel admodum incerta praesensio. Iam nemo vehementer erraret, fusque viribus nimium tribueret, qui, si quid feliciter cessit, id omne profectum putat a se, parva autem momenta, quae aliunde accesserunt, negligit? Nam quod secunda fortuna plerumque superbos facit homines, iisque confidentiam affert, id inde fit, quod, quae aliorum opera paravit, quae casus fortuiti interventu contigere, quae a causis multis, interdum levibus et obscuris, profecta sunt, ea omnia *sibi* vindicant, vanamque virium suarum fiduciam concipiunt. Haud raro igitur accidit, ut ab ipsa natura designati factique videantur sibi homines ad ea, ad quae vel parum apti sunt, vel prorsus inepti. Similis error est eorum, qui suis viribus

diffidunt, et ultra modum timidi ſunt. Saepe enim ſucceſſus deſtituit etiam eos, qui nati videntur ad rem aliquam, et dotibus omnibus inſtructi. Illi ſi imbecillitati ſuae tribuunt, quod vel caſus effecit, vel levis error, vel temporum difficultas: falluntur profecto non parum, ſeque ignorant. Quid igitur manifeſtius eſt, quam ex iis, quae aut bene, aut ſiniſtre ceſſerunt, non ſatis tutò coniecturam fieri de viribus, quas natura nobis ingeneravit, niſi acceſſerit accurata cognitio parvarum rerum omnium, quarum eſſe ſolet in rebus humanis magnum in utramque partem momentum. Separanda ſunt, cum quaerimus, quid vires noſtrae effecerint, aut poſſint efficere, omnia, quae in rebus gerendis non ſita fuerunt in noſtra poteſtate; quorum quoniam plerumque eſt varietas ingens, et interdum quoque obſcura parvitas: mirum non eſt, homines plerosque de bonis, quae naturae debeant, iudicare perperam, cum, parva illa momenta, aliunde addita, quominus videant, aut inſcitia, aut cupiditate quadam, et ludibriis Φιλαυτίας, impediantur. — Eadem ſubtilitate etiam in aeſtimandis iis bonis opus eſt, quae *disciplinae* debemus. Nam is demum ſe novit, qui accurate perſpicit, quid et quantum effecerit in ſe vis disciplinae, et quomodo aliorum inſtitutio datas a natura vires flexerit, exercuerit, conformaverit. Haec enim qui tenet, is non arrogabit ſibi, quae

aliorum beneficio accepit, et causas intelliget, cur hoc, nec alio modo, lentiat et agat. At quanta requiritur videndi res parvas, et indicandi facultas, si quis redire in memoriam temporis ultimi, et examinare voluerit, quomodo institutis, monitis, consiliis, exemplo, auctoritate eorum, quibuscum a pueris vixit et versatus est, et quibus vel invitus paruit, vel libenter et amore ductus obtemperavit, consecutus sit ea omnia, quæ nunc in se esse videt? Nam cum ad summum, nisi præcedentibus imis, perveniri non possit: ad hæc initia descendere, quam est difficile! præsertim cum hac in causa sæpe *ludorum* adeo sit inveterata ratio, qui, ut vere monet *Plato*, facile pollunt τὰς τῶν παίδων ἡδονὰς καὶ ἐπιστροφὰς τῶν παίδων [106]. — Nec ea denique bona, quæ *exercitatione ac diligentia ipsi nobis comparavimus*, intelligi satis recte, et æstimari possunt sine accurata multarum rerum, quæ vulgo leves putantur, scientia. Verissimum est illud *Iuliani imperatoris*: ἔστι γὰρ ὀλίγῳ πολλὰ διαφθεῖραι, *in parva re magnum offendi potest artificium* [107]). Ille hoc illustrat exemplo Phidiae, qui non tantum Iovem et Minervam optime finxerit, sed pari dexteritate naturam imitatus sit etiam in cicadis, et muscis et apibus. Similia fere

106) *De Legib.* l. I. p. 42. ed. Bipont.

107) In *Epistolis*, epist. VIII. p. 377.

Quinctilianus habet [108]), qui, *nemo ſic*, inquit, *in maioribus eminet, ut cum minora deficiunt. Niſi forte Iovem quidem Phidias optime feçit, illa autem, quae in ornamentum operis eius accedunt, alius melius elaboraſſet; aut orator loqui nesciet? aut leviores morbos curare non poterit medicus praeſtantiſſimus?* Scilicet quod hi de artificibus, oratoribus, medicis affirmant, id patet latius, et recte dicitur, ſine rebus parvis prorſus nihil eſſe poſſe conſummatum in ſuo genere et abſolutum. Ex his parvis igitur levibusque iudicandum erit de *incrementis*, quae cepimus, partim *in cognoſcenda veritate*, partim *in exercenda virtute*. Atque hoc quidem certum eſt, hoc ſuus quemque ſenſus docet, displicere nobis, cum *in inveſtigatione veri* aliquantum proceſſimus, fere omnia, quae nobis olim certa videbantur et explorata, quae plena putaveramus eſſe et abſoluta. Eius vero taedii ac moleſtiae cauſas inveniet, qui volet attendere, non tam in magnis illis manifeſtis cognitionis noſtrae vitiis, quae communi hominum conſenſu vituperantur; haec enim aequo animo ferimus, quod vitari non poſſunt: ſed in difficultatibus parvis, quas olim non animadverteramus; in erroribus levibus, quos ubique videmus his, quae ſciri poſſe putaveramus, admixtos; in notio-

108) *Inſtitut. Orat.* l. II. c. 3. §. 5.

nibus obſcuris, quibus ad perſpicuitatem plenam pauca quidem, ſed tamen quaedam deſunt; in ambiguitate verborum et egeſtate linguarum, quae impedit, quominus ea, quae cogitamus, perſpicue, accurate, commode poſſimus eloqui. Atque haec parva quidem, ſed longe moleſtiſſima cognitionis humanae vitia, ii maxime ſentiunt, qui, quae ipſi tenent ac perſpiciunt, aliis tradere et explicare inſtituunt, idque non leviter ac perfunctorie ſibi faciendum putant, ſed, quam fieri poteſt, optime. His enim plerumque accidit, quod artifices magni non ſine moleſtia ſentire ſolent. Nam ut hi ſpeciem pulcritudinis eximiam, quae in eorum mente inſidet, et unde illud, quod formatur, exprimitur, non ſemper ita poſſunt aſſequi, ut ad illius ſimilitudinem artem et manum dirigant, ſed ſigno, quod manu fingunt, ad pulcritudinem eam, quam mente conceperant, ſemper vident aliquid deeſſe: ita etiam iis, qui vel ſermonibus, vel ſcriptis aliquam cognitionis ſuae imaginem proponere volunt, ſi maturitatem quamdam conſecuti fuerint, obverſabitur exemplar aliquod ſcientiae perfectae, ſermonis vel libri eximii, ad quod, omni adhibita diligentia, nunquam poterunt accedere. Supereſt potius in iis, quae effecerunt, infinita multitudo labecularum et vitiorum, quae, quamquam parva ſint, tamen displicent, nec elui penitus et emendari poſſunt. Tirones vero haec

omnia non ſentiunt, haec non intelligunt imperiti. Inde ſit, ut ſemidocti vehementer ſibi placeant in iis, quae temere arripuere; ut audacter decernant, quid in rebus graviſſimis et maxime obſcuris tenendum ſit; ut opinionum ſuarum acerrimi ſint ac pertinaciſſimi defenſores; ut denique eorum, quae dixerunt, ſcripſerunt, effecerunt, ipſi ſint admiratores maximi. Alia omnia reperiuntur in eo, qui in ſtudiis ſcientiae cognitionisque profecit. Magni enim incrementi ſignum certiſſimum eſt in illa cunctatione et modeſtia, quae aſſenſum ſaepe diu cohibet; quae opinandi temeritatem vehementer extimeſcit, quod in quavis re multa videt, quae disputationibus poſſunt huc et illuc trahi; quae denique his, quae ſcit ac tenet, nunquam praeſtantiam perfectionemque tribuit abſolutam. Quid igitur? nonne patet, nos tum demum cognitionis ac ſcientiae, quam in quavis re ſimus adepti, magnitudinem accurate metiri poſſe, ac ſentire de nobis, uti decet, et fas eſt, cum ad leviſſima quaeque videnda exercitatus ſit animus, et curioſus vel in minimis? — *In virtute* autem quantum profecerimus, id propemodum unice e rebus paruis iudicari debet. Primum enim notum eſt, non tam in actionibus externis, quae ſint legibus convenientes, utiles et bonae, quam in agitatione et motibus animi, homelia quaevis appetentis, et amore erga Deum et homi-

nes pleni, veram cerni virtutis naturam. Qui enim in omnibus, quae inſtituit et agit, hoc ſpectat, hoc ſectatur unice, ut voluntati divinae, per Chriſtum patefactae, diligenter obtemperet, et, ſpretis omnibus, quae pravis cupiditatibus propoſita ſunt, integerrimum demonſtret amorem in Deum et homines; is veram tuetur virtutis ſanctitatem, is in virtute profeciſſe dicendus eſt. Haec autem ſanctitas virtutis incorrupta utrum in nobis inſit, quomodo quaeſo explorabimus, niſi motus animi parvos et intimos, niſi momenta omnia, quae voluntatem inclinare ſolent, diligenter examinaverimus? Hoc enim concedunt omnes, plerumque non uno, ſed pluribus momentis ſimul impelli animum ad agendum; multa quoque in animo latere, quorum nobis non ſemper ſatis ſimus conſcii. Dici igitur non poteſt, factum aliquod eſſe praeclarum, honeſtum, legisque divinae ſanctitati omni ex parte convenieus, niſi conſtiet, animum, cum ageret, liberum fuiſſe ab omni ſuperſtitione et cupiditate prava, nec irrepſiſſe quidquam, quod a vanitate, ab avaritia, a turpi quadam voluptatis appetitione, a perturbatione denique vitioſa proficisceretur. Iam vero quis eſt tam imperitus, rerumque ſuarum tam ignarus, ut nesciat, quanta ſit cupiditatum noſtrarum vis et efficacia; quam facile ſollicitentur rebus externis, vel imaginibus, a phantaſia ſaepe ſubito obiectis,

excitentur; quam latenter denique animum, dum ſibi plane alia ſectari videtur, impellant atque decipiant? Examinet, qui ſe noſſe cupit, facta nonnulla, in quibus ſibi vehementer placet, idque faciat tum, cum adhuc ab iis recens eſt. Repetat memoria notiones, ſimulacra rerum et momenta, quae animo, cum deliberaret, ac deliberata perficeret, obverſata ſunt; attente ſequatur ſenſus, motus, mutationes omnes internas, etiam parvas, quae in ipſa actione animum affecerunt. Bone Deus, quot cogitationes, non admodum laudabiles, quot motus cupiditatum vituperandos, quot ſenſus, prava libidine corruptos, quot conſilia, nec iuſta ſatis, nec honeſta, inveniet, etiam tum in ſe fuiſſe, cum nonniſi honeſta ſequi, nonniſi officii ſanctitatem tenere ſibi videretur! Neque talia in ſingulis tantum actionibus examinanda ſunt ei, qui ſe noscere voluerit penitus, ſed in univerſa etiam cogitandi agendique ratione animadvertenda ſunt minuta illa momenta, quae ſaepe repentinas efficiunt voluntatis inclinationes, et virtutis dignitatem vehementer minuunt. — Quae autem nunc *de fonte* praeclare factorum diximus, ea etiam *ad ipſam actionem externam* transferenda ſunt. Ne haec quidem perfecta et abſoluta omnibus numeris eſſe poteſt, niſi minimarum rerum diligens adhibeatur cura. Poteſt enim accidere, ut, quod per ſe recte ſit, et in officio eſt, id certo loco atque

tempore vim accipiat aliam, et vel plane omittendum sit, vel alio modo peragendum. Atque ita, si verum fateri volumus, haec omnium officiorum ratio, ut prudenter sint accommodanda temporibus, locis, personis, rebus, et quamquam universe stabilis sit eorum natura et definita, tamen, cum ad vitam ipsam ventum est, dirigenda sint varie ad causam quamque, eique attemperanda. Sed haec mutabilis officiorum ratio nonne posita est in rebus parvis ac levibus? Nonne ut aures in fidibus musicorum vel minima sentire debent, si teretes fuerint et eruditae; oculi autem in operibus artificum quid rigidum sit, quid molle, tum demum videbunt, cum minora animadvertunt: sic et nobis, si diligentes esse volumus officiorum ratiocinatores, levissima quaeque ponderanda erunt? Parum igitur se noverit, qui haec parva et levia nec universe, nec apud se observare didicerit. Cum autem ad cognitionem sui tanta requiratur ac tam accurata rerum minutarum scientia: facile intelligitur, quam praeclarum et divinum sit etiam hac de causa praeceptum illud Christianae religionis *de alacritate mentis perpetua* [109]), quae rerum suarum explorationem non differt in tempus diei ultimum, sed nunquam se, suosque sensus, motus et conatus obliviscitur, at-

---

[109]) Conf. c. XV et XVI.

que inter ipsa negotia omnibus, quae intus fiunt et eveniunt, acriter intenta esse solet. Nam haec levia, e quibus optime indicari potest, quantum in virtute processerimus, cito, nisi statim arripiantur, pereunt, quod animum nonnisi leviter afficiunt. Qui autem usum aliquem contraxerit animadversionis illius perpetuae, is nunquam desinet se contemplari, et minima quaevis, dum eveniunt et fiunt, ad cognoscenda bona, quae sunt in animo condita, commode prudenterque convertet. Ceterum sunt *et multa alia signa*, parva quidem illa, sed satis certa, quibus universus animi status, eiusque in virtute profectus innotescunt his, qui volunt attendere. Singularis est *Plutarchi* libellus, *quomodo quis suos in virtute paranda sentire possit profectus*, in quo multa ex hoc genere illustrantur egregie. Sic, vt pauca tantum ex eo proferam, *Zenonis* probat sententiam [110]), qui vel *e somniis suis* unumquemque sentire posse putabat profectus suos in virtute. Atque hoc signum, quod multis videbitur leve, minime contemnendum esse, *Plutarchus* docet copiosius [111]). Commemorat indignatiunculam, quam is, qui proficere incipit, ubi se comparaverit cum aliis perfectioribus, τῷ συνειδέναι τὰ ἰδεῖν δακνόμενος, capere

110) Pag. 82 E. ed. *Francof.*

111) Pag. 83.

debeat [112]). Solent ii, qui vitiis dediti sunt, subito interveniente viro spectatae virtutis, perturbari, erubescere, occultare multa, artibus variis leviter μετασχηματίζειν, quae fecerunt, ut meliorem accipiant speciem, et omnino multis parvis rebus significare ac prodere vim conscientiae. Recte igitur τὸ θαῤῥεῖν, cum viri graves adsunt, quod nullius tibi rei conscius sis, quae dissimulanda, vel occultanda sit, ἔχειν τινὰ, dicit, τοῦ συνειδότος ἐκβεβαίωσιν, adeoque signum esse crescentis iam et confirmatae virtutis [114]). Denique tum demum putat dici posse, hominem sibi καθαρόν τι comparasse, hoc est, *virtutis incorruptae ac perfectae studio duci*, cum animum habeat intentum in omnia, et indignetur, κἂν εἰς τὸ μικρότατον ἡ κακία ποτε τῶν ἁμαρτημάτων ἐνδῦσα, συγγνώμην πορίζηται, *si vitium, vel minimis levissimisque peccatis se insinuans, veniam sibi velit acquirere* [114]).

---

112) Pag. 84. D.

113) Pag. 85. C.

114) Ita enim vertendus est hic locus, quem non satis cepisse videtur interpres Latinus. Nam formula συγγνώμην πορίζεσθαι, non est, ut ille putat, *locum dare veniae*; sed *aucupari veniam, veniam sibi acquirere velle*. Sic apud *Xenophontem* διὰ τοῦ δικαίου ἐθέλειν πορίζεσθαι, est, *opes quaerere velle iusto modo*, *Cyropaed.* l. VIII. c. 1. §. 26. et apud eundem in *Oeconom.* c. VI. § 8. ἀπὸ γεωργίας τὰ ἐπιτήδεια πορίζεσθαι, *per agriculturam alimenta quaerere* significat. Notam igitur auctae iam

XXXVIII.

Hactenus oſtendimus, quomodo comparanda ſit obſervandis multis rebus parvis cognitio eorum, quae *bona* ſint in nobis et laudabilia. Sed qui ſe totum tentat, ac penitus ſe perſpicit, is ea quoque explorat, ſibique cognita reddit, *quae vitioſa ſunt et corrupta.* In hoc autem non ſatis acute cernit, qui levia negligit, e quibus de morbis ac vitiis animi ſaepe multo rectius indicari poteſt, quam e rebus, quae vulgo putantur magnae. Inſiciunt, ut iam ſupra obſervavimus [115]), in aetate prima tenerum adhuc et rudem animum *opiniones multae*, et iudicia perverſa, quae plerumque ita inhaerescunt, ut in agendo nos regant et impellant, quamquam eorum ſimus parum nobis conſcii. Hos errores, mature collectos, et in intimos animi receſſus abditos, non aliter protrahere in lucem ac delere poterimus, niſi ſic, ut in univerſa ratione et conſuetudine agendi quotidiana, vel minima examinemus ſigillatim; et diligenter quaeramus, cur faciamus quidque, cur ſic nec alio modo peragamus. Qui hoc idemtidem fecerit, is ſaepe nullam aliam cauſam reperire poterit, quam opinio-

et confirmatae virtutis in eo ponit *Plutarchus*, ſi vitium ne tum quidem admittatur, cum per minima peccata, quae ſibi quisque facile videatur indulgere poſſe, quaerat aditum, et veniam aucupetur. Haec autem quam recte dicantur, quis non videt?

115) §. XI.

nes ridiculas, in aetate puerili susceptas; vel superstitionis vestigia, quam nutricularum fabulae aluerant; vel alium errorem inveteratum, qui animum ante occupavit, quam per aetatem perversitatem eius pellemus intelligere. — Homines plurimi sunt *ab aliqua parte imbecilli, et adversus malorum illecebras non satis muniti.* Haud postremum prudentiae, qua nos cognoscimus ipsi, munus est, hoc molle et tenerum, quod facile sollicitatur et quatitur, exquirere, omnique cura naturalem animi imbecillitatem indagare. Fieri autem hoc potest duobus modis, vel sic, *ut graviores lapsus exspectes*, indeque colligas, ad quae potissimum scelera proclivis sis; vel *ut curiosa utaris observatione principiorum*, gravioribus peccatis praeludentium, quae, quamquam tenuia sunt, et ab incautis negliguntur, tamen bene docent, a qua potissimum parte non satis tutus sis. Illa se explorandi ratio periculosa est, ut omnes vident; haec multo tutior, cum praeter acrem animadversionem, quae nostra omnia diligenter circumspiciat, nihil ad eam requiratur. Sunt autem parva multa, quibus se prodant cupiditates pravae, quarum vis in nobis esse solet nimia. Docebit hoc sane quemque sensus, si, quae intus instituuntur, agitantur, fiunt, attentius examinaverit. Solent, ut exemplis rem illustrem, in iis, quae *appetuntur*, fere semper spectari plura, et res eadem plu-

ribus de causis potest optabilis videri. Cui igitur nondum satis constat, quae animi sui cupiditates vim maximam exserant, et sollicite coercendae sint: is observatione et usu discat, *a qua potissimum parte res quaevis bona ipsi placeat*, et quem desiderii motum, simul ut percepta est, excitet. Pronus est ad avaritiam, cuius animum in re quavis maxime converterit in se utilitatis species. Nimio ducitur honoris et gloriae studio, cui in eadem re inprimis placet id, quod ad consequendam laudem comparatum est. Proclivis est ad voluptatem, qui in omnibus, quae obiiciuntur animo, ante omnia spectat hoc, utrum iucundos corporis motus efficiant. Inprimis tum, cum *plura* bona, eaque diversi generis, simul proposita sunt, et optionis copiam faciunt, ad iudicandum erit facile, quae cupiditates vel in nobis, vel in aliis dominentur. Nam quisque praetermissis reliquis id potissimum petet, cuius desiderio maxime ducitur, et ab ea parte se sentiet affectum, a qua imbecillis est, ac facile sollicitari potest [116]). Similis ratio est eorum, quae *aversamur*, cum et in his plerumque sint varia, quae displiceant, et a pluribus non uno eodemque modo accipiantur.

---

116) Conferantur, quae *Cicero* narrat *de Verre*, Act. II l. IV. c. 15, ubi addit: *est boni iudicis, parvis ex rebus conjecturam facere uniuscuiusque et cupiditatis et incontinentiae.*

Iam quid facilius est, quam observatione discere, *a qua potissimum parte animus fere semper rem quamvis arripiat?* Primus enim motus, prima agitatio, quae statim oritur, cum aliquid percepimus, manifeste docebit, quae cupiditas dominetur in nobis, et vi maxima in nobis agat. Hos parvos animi motus, quibus cupiditatum vis se prodit ipsa, et in quibus nihil ficti est, nihil, quod a simulatione proficiscatur, curiosius investigare oportet cum, qui scire voluerit, quid in se imbecillum sit, quid sollicite protegendum [117]). — Sed cupiditatum, quarum violentia diligenter cavenda est, haud obscura vestigia etiam *in somniis* apparebunt. Explodenda est somniorum divinatio, et superstitio animi imbecilli atque anilis habenda, si quis existimaverit, obscuritates et aenigmata somniorum significare *futura*. Certa vero, utilis et minime contemnenda somniorum divinatio tum est, cum ex iis non tam coniicimus, quam discimus, *quales ipsi simus*, quae cupiditates in nobis lateant, quibus vitiis dediti simus. Iam antiqui philosophi hac de re, quam plurimi homines parum curant, multa praeclare praeceperunt. *Plato*, in *nono de Republica libro* [118]), statim ab initio de somniis differit, et ostendit, quomodo

---

117) Hoc praeclare illustrat *Cassianus* in *Collationibus*, Coll. XIX. c. 12.

118) Locum latine reddidit *Cicero de Divin.* I. I. c. 29.

haberi poſſint animi morumque ſigna. *Zeno* dicere ſolebat, e ſomniis quemque ſentire poſſe ſuos in virtute profectus [119]). *Plutarchus* autem, qui hanc rem aliquoties tetigit, praeclare docuit, quid et quantum is, qui ſe noscere cupiat, e ſomniis poſſit discere [120]). Horum ſententiam nuper amplexus eſt *Meiſterus* in libello egregio, quem *de furore fanatico* edidit [121]). Eſt autem in promtu, cur ſomniorum ludibria non ſint negligenda ei, qui ſua vitia perſpicere decreverit. Repugnat, dum vigilamus, ac renititur animus, ne libere poſſint erumpere cupiditates eae, quarum violentia maxime metuenda eſt. Interdiu etiam tanta eſt ſimulacrorum, quae per ſenſus feruntur ad animum, multitudo, tanta occupationum, laborum, curarumque vis et efficacia, ut facile vel coerceantur cupiditates pravae, vel in illo tumultu non ſatis ſentiri poſſint et obſervari. Sed cum conquievimus, animique vis a corporis ſenſibus ſeiuncta eſt, tum vero, nec avocatus rebus externis, nec diſtractus, indulget ſibi liberius, et ea ſequitur quae ipſi ſunt domeſtica et propria. Mirum igitur non eſt, immoderatius iactare ſe in ſomniis cupiditates eas, quarum alioquin vis in animo maxima eſt, ut, qui nec has earum notas praetermiſe-

119) Vid. *Plutarchus de prof. virt. ſent.* p. 82. E.

120) *De prof. virt. ſent* p. 85. et *de virt. et vit.* p. 101.

121) *Ueber die Schwärmerey*, Part. II. p. 8 ſqq.

rit, facile intelliget, a qua parte pectus muniendum ſit, et quae vitiorum elementa in eo lateant. — Sed eſt etiam *aliud ſomniorum genus*, non minus certum indolis morumque ſignum, cui homines indulgent, *cum vigilant*. Habet enim hoc humana mens, ut nunquam quieſcat, ſed perpetuo agitetur. Nec vero ſemper vehementius movetur pulſu externo; incidunt potius tempora, quibus rerum extrariarum ſimulacra nos leniter tantum afficiunt, nec extrinſecus adeſt aliquid, quod attentionem animi in ſe convertat. In hac ceſſatione ac tranquillitate homines plurimi, inprimis hi, quos natura finxit *ἐυφαντασιωτὰς*, vigilantes ſomniant. Etenim ludibriis phantaſiae, quae in iſta quiete liberius exſultat et vagatur, tantopere delectantur, ut rerum ordinem eventorumque ſucceſſionem ſibi fingant talem, qualem quisque maxime optaverit. Hoc non tantum amantes facere ſolent, quamquam hi maxime; ſed etiam alii, qui vel laudis cupiditate trahuntur, vel vindictae, vel alios habent vehementiores impetus, animoque mutabiles ſunt ac praecipites. Haec igitur ſomnia etſi ſunt vaniſſima, a multis autem negliguntur penitus et innoxia putantur, tamen animi, eorumque, quae ſentit, optat, averſatur, imago ſunt veriſſima, ut, qui haec figmenta accuratius inſpexerit, in iis non obſcura veſtigia cupiditatum omnium reperiat, quarum vis nimia eſt, et in pectore

viget [122]). Quid multa? Nihil agitat mens, nihil in nobis geritur et fit, quod non poſſit attento bonorum malorumque ſuorum obſervatori prodeſſe ad meliorem ſui cognitionem; diesque nos deficeret, ſi omnia vellemus perſequi. Haec igitur panca, quae monuimus, illuſtrationis et exempli cauſa dicta ſunto.

XXXIX.

Progrediamur itaque ad *alterum*, quod ſupra propoſuimus, et *deſcribamus vim, quam ſolent res minutae incautorum imprudentiumque animos corrumpere, ac nihil tale metuentes vitiorum labe contaminare.* Conſtat nempe, neminem ex homine probo et integro repente fieri ſceleſtum; ſenſim corrumpitur animus, ſenſim contrahitur peccandi conſuetudo, ſenſim denique fit a minoribus vitiis ad maiora progreſſio. Sed in hac animi mutatione multiplex eſt vis et efficacia rerum minutarum. Etenim primo quidem *multa vitia lenes acceſſus habent, et per res leviſſimas aditum inveniunt ad animum.* Inde fit, ut non raro nascantur vitia, et ante adolescant in nobis, quam animadvertimus, ea adeſſe. Et avaritia quidem clanculum fere, ac nihil tale metuentes occupare

122) Ceterum de hoc ſomniorum genere, quod fere ſilentio praetermittere ſolent, qui de moribus praecipiunt, egit praeclare, et quot ex iis mala nasci poſſint copioſe docuit *Dio Chryſoſtomus Orat. XX.* pag. 495-500. edit. *Reiske.*

ſolet eos, quorum reditus parvis commodis conſtant, et qui plerumque parvo lucro, eoque anxie quaeſito, contenti eſſe debent. Abit enim haec lucelli cupiditas in conſuetudinem, et animum reddit ſenſim tenuemque ab omni liberalitate alienum. Docuimus iam ſupra [125]), multas *opiniones pravas* latenter irrepere fere quotidie, et negligentes rerum ſuarum ſpectatores inquinare. Plurimos enim errores imprudentes ſuscipimus et ignari. Trahimus e conſuetudine cum aliis, ex iis, quae aut videmus fieri, aut facta eſſe audimus ac legimus, quotidie multa, quae falſa ſunt, vel certe perverſis opinionibus locum faciunt, et feneſtram aperiunt. Sed quae ſic ad animum perveniunt, ea plerumque tam parva ſunt, ut illabantur clanculum et tacite, et interdum vel attentos lecipiant. Examinandi igitur ſunt ii, quibus ſaepius et familiariter utimur, et videndum eſt, quibus in rebus aliquid ipſis tribuendum ſit, et in quibus vel falſam ſcientiae perſuaſionem habeant, vel cupide indicent. Nam cum homines omnes, etiam integerrimi et eruditiſſimi, in nonnullis rebus opinentur tantum, et aut partium ſtudio abrepti, aut alio modo decepti, parum recte ſentiant: nonne is, qui ipſorum ſententiis omnibus auctoritatem parem tribuit, nec, quae certa ſunt,

125) §. XI.

ſubtiliter et caute diſtinguere didicit ab incertis et ſuſpectis, ignarus fere colliget opiniones multas, praeſertim ſi hos, quibuscum verſatur, amaverit etiam et admiratus fuerit? Atque ſic, ſi verum fateri volumus, plurimi, qui ſunt erroribus dediti, eos non tam ſtudioſe excogitarunt, quam caſu, multisque rebus parvis illecti, in eos inciderunt. — Accedit *vis exempli, tacite corrumpens mores*, quae nescientibus et parum curioſis vitia multa allinit. Ferimur enim, ut notum eſt, ab ipſa natura ad imitandum, et quod a pueris facimus, ut mores, actum, habitum, motus aliorum conaremur effingere, id apud plurimos abit in conſuetudinem, ut iam adulti et nescientes flectant ſe et componant ad ea, quae in aliis vident. Iam nihil facilius eſt, quam ex aliorum exemplo ſibi ſumere id, quod vitioſum eſt; quoniam deteriora exprimi plerumque ſine labore viriumque contentione poſſunt. Qui igitur ſe, ſuaque omnia non indefeſſo ſtudio ſpectat, propenſionem vero ad imitandum, quae ſine indicio apprehendit omnia, non coercet, et ad exempla virtutum dirigit: is profecto undiquaque trahet et arripiet vitia non pauca, et inſcius depravabitur. Magna autem cautio adhibenda eſt, ne vitia ſua nobis affricent inprimis hi, quibuscum quotidie verſamur et vivimus, vel qui maioribus virtutibus compenſant, quae in ipſis vituperanda ſunt, et ſic facile amo-

rem admirationemque ſui in nobis excitant. Vix enim dici poteſt, quam libenter imitemur eos, quorum moribus vel uſu quotidiano adſuescimus, vel quibus impenſe favemus; ipſa ſaepenumero vitia eorum, quos colimus et diligimus, adnumerare ſolemus virtutibus, eaque tanto facilius exprimimus, quanto celerius bona mutantur in peius. Sic notum eſt, familiares *Platonis* imitatos eſſe eius curvitatem, discipulos *Ariſtotelis* praeceptoris balbutiem, et amicos *Alexandri* inflexionem colli, et aſperitatem vocis in dicendo. Nec credibile eſt, eos omnes id feciſſe conſulto; τὰ γὰρ πολλὰ, ut *Plutarchi* hac ipſa de re verbis utar, λανθάνοντα ἴσα καὶ ἀπὸ τῶν ἠθῶν, καὶ ἀπὸ τῶν βίων ἀναλαμβάνοντες [124]). Igitur hi, quibuscum verſamur, diligenter explorandi ſunt, et adhibito acri iudicio id, quod in ipſis laudandum eſt, ſeparandum ab iis, quae vitioſa ſunt, ne haec lateanter in nos transeant, et neglecta incautos contaminent. Veriſſimum enim eſt illud *Senecae* [125]): *ſerpunt vitia, et in proximum quemque tranſiliunt, et contactu nocent. Itaque ut in peſtilentia curandum eſt, ne corruptis iam corporibus et morbo flagrantibus aſſideamus, quia pericula traheamus, afflatuque ipſo laborabimus: ita in*

124) Conf. libellus *de discrim. adulator. et amici*, p. 195. ed. *Reiske*.

125) *De tranquill. animi*, c. 7.

amicorum legendis ingeniis dabimus operam, ut quam minime inquinatos assumamus. Initium morbi est, aegris sana miscere. — Sed praeter eam vim exempli, de qua hactenus dixi, et quae multis parvis rebus mores nostros, et omnem sentiendi agendique modum corrumpit, est et alia, quae cernitur *in actionibus singulis*, et hos, qui non sunt ad observanda minima quaeque exercitati, facile allicit ad peccata, a quibus alioquin sunt alienissimi. Est enim hoc nobis ab ipsa natura datum, ut sponte suscipiamus sensus, impetus, et perturbationes, quibus videmus commotos alios. *Inde est, quod arridemus ridentibus, et contristat nos turba moerentium, et effervescimus ad aliena certamina* [126]). Quicquid ab aliis ita fit et geritur, ut in actione appareat vehementior quaedam animi commotio, id solet sensim etiam spectantes afficere, et in perturbationis societatem trahere. Iam cum affectus plurimi a parvis initiis proficiscantur, crescant autem subito, et totum animum occupent: facile intelligitur, commotionibus aliorum, etiam pessimis, abreptum iri eum, qui primam agitationem animi, alieno exemplo excitati, non statim animadverterit, nec parvam incipientis perturbationis comminationem mature represserit. Accidit quotidie, ut cum intempe-

126) *Seneca de ira*, L. II. c. 2.

rantioribus epulantes facile modum excedamus ipſi, quamquam ſimus alio tempore continentiae ſtudioſi; ut interdum eorum, quos audacter calumniantes audimus ac videmus, impudentiam imitemur, quamquam in reliqua vita ſimus aequiores; ut turba tumultuantium nos ad licentiam ſecum abripiat, a qua alias penitus abhorremus; ut cum laſcivis ac petulantibus peccemus impudenter, quamquam ſimus alio tempore caſti ac pudici. Quanta igitur ſollertia, et quam diligens obſervatio minimorum animi motuum requiritur, ſi quis, cum alios videt excitatos et ruentes in ſcelera, ita ſe velit coercere, ut ipſe ſit extra ruinam! Quid multa? *nullum eſt vitium, nulla peccandi conſuetudo, quae non proficiscatur a parvis initiis.* Res enim externae non facile peccandi libidinem excitant, ſi ſua magnitudine animum percellunt, eumque cogunt, ut ſibi caveat, et undiquaque ſe muniat. Inde fit, ut homines nefarii, quorum ſcelera ſatis manifeſta ſunt, ſuo exemplo aliorum moribus paribus noceant, quod omnes vel vitant eorum conſuetudinem, vel ipſa ſcelerum atrocitate ab imitandi ſtudio deterrentur. Sed *leves* illecebrae, et irritamenta malorum *mollia*, quae boni ſpecie nos decipiunt, quae cupiditates latenter ſollicitant, ut pedetentim gliscere incipiant deſideriorum igniculi, ad vitiandos hominum mores, plurimum valent. Hoc locum habet

maxime in iis vitiis, quae non ſunt continua, ſed, ut hoſtes vagi, ex occaſionibus quaſi aſſiliunt, et ſecuros opprimunt. — Nec praetermittendum illud eſt, *in vita ipſa quotidie a nobis fieri multa, quae vel innoxia videantur, vel certis temporibus non poſſint vitari; quae vero poſtea praeter opinionem locum dent vitiis, et pravae conſuetudinis initia ſint.* Licet, dum aegrotamus, plus temporis quieti dare, multa peragere remiſſius, deſerere conſuetum ordinem, quem alias occupationibus noſtris praeſcripſimus, adhibere delectum in cibis, et cupediis ſollicitare torpentem ſtomachum. Sed haec et multa alia, quae in aegrotis culpa vacant, facile adhaerescunt, et abeunt in conſuetudinem, quae ſuperſit etiam poſt morbum. Saepe igitur adverſa valetudo animum ſanitate ſpoliavit, et multi, corporis aegrotatione depulſa, retinuere morbos animi, quorum vel nulla eſſet, vel admodum difficilis ſanatio. — Auctor dialogi *de cauſis corruptae eloquentiae*, *parvum*, inquit [127]), *et ridiculum fortaſſe videbitur, quod dicturus ſum, dicam tamen, vel ideo, ut rideatur. Quantum humilitatis putamus eloquentiae attuliſſe* poenulas *iſtas, quibus adſtricti, et velut incluſi, cum iudicibus fabulamur?* Scilicet non male ſcriptor ille, quicunque demum ſit, angu-

127) Cap. 39.

ſtiis poenularum, quibus induti eo tempore oratores cauſas explicare ſolebant, tribuit hoc, quod actionem fregerint, quae in dicendo una dominatur, et ſine qua ſummus orator, ut *Cicero* ait [128]), *eſſe in numero nullo poteſt.* Ut igitur haec levis res, quae innoxia videbatur plurimis, tamen nocuit eloquentiae: ita ſimilia multa, quae imprudentes facimus quotidie, et quae ſine periculo fieri poſſe videntur, virtuti damnum afferunt, et vitiis aperiunt aditum. Sic leve videtur, in vita quotidiana rebus, vaſis, veſtibus, inſtrumentis quibusdam ita aſſuescere, ut repudiemus reliqua eiusdem generis, nec unquam aliis velimus uti, niſi noſtris. Sed veriſſimum eſt, quod *Plutarchus* monet [129]), facillime irasci, et proclives fieri ad moroſitatem et aegritudinem, qui talem conſuetudinem contraxerint. Dolent enim, et indignantur, ſi vel amittunt, quae ſuis uſibus deſtinaverant, vel alia de cauſa ab iis abſtinere ſe coguntur. Multa quotidie ſiunt per iocum, et vulgo putantur levia; ſed haec minuta non raro corrumpunt mores prava conſuetudine vitiisque peſſimis. Licet interdum, ut fatentur omnes, ioci et animi cauſa falſa dicere et comminisci. Sed ſaepe mendaces facti ſunt in rebus ſeriis et in omni vita, qui olim mendaciunculis adſpergere ſolebant tantum-

128) *De Orator.* l. III. c. 56.

129) *De ira cohib.* p. 456. ed. Francof.

modo levia. Non pauca mala aditum ad animos inveniunt per lusus. Ludentibus enim multa solemus indulgere, quae alio tempore vitiosa essent. Magna fuit etiam hac in re, neque tamen iniusta, *Lycurgi* severitas. Is enim pugillatione et pancratio abstinere cives suos voluit, ut *victos se fateri ne ludentes quidem discerent* [130]). Vidit igitur legislator sapientissimus, homines ad ea, quae saepe fecerint ludentes, pronos esse tum quoque, cum sine turpitudine non possint committi. Multi sibi patiuntur imponi nomina ridicula, vel turpia quoque, ac sensim iis adsuescunt. Leve hoc videtur et innoxium, sed recte monet *Plutarchus* [131]), turpitudine nominum induci saepe rerum morumque turpitudinem. Sexcenta etiam alia possent ex hoc genere proferri, quae parva quidem sunt, et ab imperitis putantur innoxia; at nihilo minus hanc habere vim solent, ut vitiis inquinent animum, nihil tale metuentem. Sed adhibendus est modus. Qui omni tempore demonstraverit vigilantiam illam et curam, quam his, qui innocentiam vitae morumque castitatem conservare volunt, omni modo commendat Christiana religio: is in omni actione reperiet parva multa, de quibus usurpari possit illud *Plinii* [132]): *parva res,*

130) Conf. *Plutarchus* in *Apophthegm.* p. 718. ed. *Reiske.*
131) *Sympos.* L. VII. p. 827.
132) *Epistolar.* L. V. ep. 4. §. 1 et 3.

ſed initium non parvae; nam pleraque tacta tantum, et omnino commota, latiſſime ſerpunt.

XL.

Cernitur autem rerum minutarum efficacia non tantum in eo, ut *originem det* vitiis: ſed multo magis *in augendis animi morbis conſpicua eſt.* Nam incrementa vitiorum ſunt, ut notum eſt, plerumque et fallentia, et ſubita; penitus inſidunt mala quaevis, niſi, dum ſurgunt, celeriter opprimantur. Sed maxima incrementa vitiis adiiciunt res leves et minutae, idque fit duobus modis. Primo quidem *pleraque vitia aluntur et confirmantur rebus parvis, extra nos poſitis*, et ſtudioſe colligunt et anquirunt minima quaevis. Amoris illiciti nutrimenta res eſſe leviſſimas, quis nescit? Quem fugit, quantum valeant ad augendum amantium furorem γραμμάτια, ut *Luciani* verbis utar [133]), καὶ στέφανοι ἡμιμάραντοι, καὶ μῆλά τινα ἀποδεδηγμένα, καὶ ἄλλα, ὁπόσα αἱ μαστροποὶ ἐπὶ τοῖς νέοις μηχανῶνται, κατὰ μικρὸν αὐτοῖς ἐπιτεχνώμεναι τοὺς ἔρωτας. Interdum vel *odores* ſollicitant libidinem, et efficiunt, ut amore capti facilius auferantur [134]). Periit, qui haec et alia multa,

---

133) In *Toxar.* p. 40. 41.

134) Iam *Salomo* hoc obſervavit in ῥήσει ea, quam e *Proverbiis* attulimus ſupra § XXIV. Sed inprimis dignus eſt, qui hic commemoretur, *Ruſſovii* hac de re locus, cuius verba haec ſunt: *L'odorat eſt le ſens de l'imagination. Donnant aux nerfs un ton plus fort, il doit*

ubi ſemel in amorem incidit, levia putat, ſibique indulget. In ipſis ritibus quotidianis, et in modo, quo viri ſolent verſari cum feminis, multa ſunt, quae vulgo referuntur ad officioſam urbanitatem, et innoxia putantur, quamquam incautis ſaepe fraudi ſint, et amores illicitos facile vel excitent, vel nutriant. Moris eſt, ut in circulis, congreſſionibus et conviviis hominum elegantium ſeparentur coniuges, ut nova componantur paria, ut quisque feminam, quam ei vel ſors obtulit, vel hospitis arbitrium adiunxit, comitetur, manu ducat, colloquiis oblectet, atque omnino ſibi commendatam putet. Sunt haec parva, fateor, et in ſe minime vituperanda. Sed quantum haec parva ſaepe noceant, quam facile data verba abutatur prava libido, quae vel minima ſolet arripere, quis nescit [135])? Coniugum vero concordia nulla re alia facilius tollitur, quam, ut utar verbis *Plu-*

---

beaucoup agiter le cerveau; c'eſt pour cela, qu'il ranime un moment le tempérament, et l'épuiſe à la longue. Il a dans l'amour *des effets aſſez connus: le doux parfum d'un cabinet de toilette n'eſt pas un piége auſſi foible, qu'on penſe; et je ne ſais s'il faut féliciter ou plaindre l'homme ſage et peu ſenſible, que l'odeur des fleurs, que ſa maitreſſe a ſur le ſein, ne fit jamais palpiter.* Emile, livr. II. p. 239.

135) Conf. quae graviter hac de re disputat *Ehlers* in libro: *Betrachtungen uber die Sittlichkeit der Vergnugungen*, Part. I. p. 244 ſqq. Nec negligendus hic eſt notabilis *Ovidii* locus *de arte amandi*, l. I. v. 139 ſqq.

tarchi, qui hoc optime vidit [136]), *μικροῖς καὶ καθημερινοῖς πρόσκρουσιν*. Ut enim coniuges tum amantiſſime vivunt, cum inter ipſos eſt perpetua quaedam et iucunda vitae officiorumque ſocietas, in rebus minimis conſpicua; ita dirimi ſolet iſta coniunctio fere ſemper offenſis levibus, recurrentibus crebro, quae vel nauſeam ſtomacho faciunt, vel alio modo ſenſim ſenſimque animum abalienant. Sunt etiam vitia alia, quae aluntur rebus parvis et levibus. Zelotypiam ex hoc genere eſſe, admonuimus iam ſupra [137]). Diffidentia, quae omnia metuit, et ubique ſuſpicatur aliquid mali, nonne haeret in rebus parvis, et leviſſima quaevis conſectatur? *Ille me parum humane ſalutavit, ille osculo meo non adhaeſit, ille inchoatum ſermonem cito abrupit, ille ad coenam non vocavit, illius vultus averſior viſus eſt, nunquam deerit ſuſpicioni argumentatio* [138]). — Perturbationes animi plurimas rebus parvis ali, notum eſt. Animus enim cum ſemel affectus eſt, offenditur minimis. In lugentibus quaeque recentis converſationis notae, et leviſſima veſtigia eius, quem mors ipſis eripuit, ad vexandum animum eſſe ſolent efficaciſſima. Qui in aegritudine ſunt, iis

---

136) In *praecept. coniugial.* p. 533. ed. *Reiske.*

137) §. IX.

138) *Seneca de Ira*, l. II. c. 24.

nihil fere poteſt accidere, quo non abutantur ad augendum animi dolorem. Cum ſemel iram concepimus, quid tam parvum et leve eſſe poteſt, quod non magis nos incendat? *Parum agilis eſt puer, aut tepidior aqua potui, aut turbatus torus, aut menſa negligentius poſita. Ad iſta concitamur — Tuſſis alicuius, aut ſternutamentum, aut musca, parum curioſe fugata, nos in rabiem agit* [139]). — Tabula picta, in re ancipiti *Eliſabethae*, imperatricis Ruſſorum, ſubiecta, quam habuerit vim ad impellendum haerentem mulieris animum, ſatis conſtat [140]). Quantum denique valeant res parvae in captanda hominum benivolentia, et quam facile poſſit is, qui his minutiis prudenter utatur, conciliare ſibi aliorum animos, nemo rectius vidit *Ludovico XIV*, Francogallorum rege, qui ipſe fuit hac in re ſummus artifex [141]). — Nullum autem eſt animi vitium, quod rebus leviſſimis magis intentum ſit, et ex iis diligentius avidiusque alimenta capiat, quam *ſuperſtitio*. Non vacat iam, exemplis docere, omnia ſuperſtitionis genera cerni in eo, ut res leves conquirantur, iisque tribuatur vis, quam nec habent, nec poſſunt habere. Sed hoc, qui volet,

---

139) *Seneca de Ira*, p. 25.

140) Rem narrat *du Clos Mémoires ſecrets*, Tom. II. pag. 349. 350.

141) Conf. *Mémoires de St. Simon*, Tom. I. p. 83 ſqq.

facile animadvertet in omni vita, ſuperſtitioſos circumſpicere indefeſſo ſtudio, quae accidant, omnia, et vehementer commoveri rebus, quas alii negligunt, vel ob parvitatem ne vident quidem. Praetermittimus nunc, brevitatis cauſa, multa alia mentis humanae vitia, quae rebus parvis mirum in modum augeri ſolent; putamus enim, vel ex his, quae diximus, intelligi poſſe, quanta ſit adhibenda cura, ne, cum ſemel exorta fuerint in nobis *νοσήματα* quaedam, ea rebus extrariis, mentem leniter ac varie tentantibus, ſenſim mutentur in aegrotationes graviores. — Augentur autem vitia etiam alio quodam leviuscularum rerum genere, *quod eſt in nobis ipſis ſitum, et actionibus animi parvis conſtat.* Etenim plurima vitia tam celeriter adolescunt propterea, quod ii, qui ea ſemel admiſerunt, nimis indulgenter ſe habent, et actionibus parvis, identidem repetitis, ſenſim contrahunt habitum firmum ac pertinacem. Levo videtur, easdem notiones revocare ſaepius, atque ſic pedetentim efficere, ut ſemper, eodem modo iunctae, recurrant, et animo obverſentur. Sed in hac parva re inſunt elementa *pertinaciae.* Nam opiniones eae, quibus crebra repetitione aſſuevimus, tandem ita inhaerescunt, ut aliam ſententiam nullis rationibus perſuaderi nobis patiamur. E multis, et crebro repetitis actionibus parvis oriuntur etiam graviora illa animi vitia, quae

veteres ἀῤῥωστήματα appellare ſolebant [142]), et quae ſunt mala inveterata, ac penitus inſita. Qui aliquoties concupiscit pecuniam, nondum quidem eſt avarus; ſed ſemel excitata libido celeriter crescet, et avaritiam gignet, ſi ei ſaepius indulſeris. Nondum iracundus eſt, qui interdum irascitur; ſed inveterabit iſte fervor et concitatio animi, niſi continuo adhibeatur ratio, et quaedam quaſi medicina. Nondum libidinoſus eſt, qui interdum cupiditatis pravae ſtimulos ſentit; ſed qui ſaepius mente contrectat voluptates illicitas, libidinis violentiam tantopere augebit, ut non amplius poſſit coerceri. — Inprimis notabile illud vitiorum genus eſt, quod non in animo ſolo haeret, ſed *ipſum corporis ſtatum afficit et mutat.* Nam in hoc ſaepius repetita actio propterea nocet, quod animum ſubiicit poteſtati corporis, eumque privat imperio. Facile nascitur, ut uſus docet, ſi quis aliquoties violaverit continentiae leges, mollities, ebrioſitas, liguritio, cupedia, mulieroſitas, et ſi qua ſunt ſimilia. Haec omnia, ſi radices egerunt, difficulter poſſunt evelli. Eius rei cauſa in eo eſt, quod non ſunt in animo ſolo ſita, nec eius arbitrio omni ex parte ſubiecta. Corpus ipſum affecerunt, cuius machina, cum his appetitibus obſequimur incautius, ita mutatur, debilitatur, corrumpitur,

142) Vid. *Cicero Tuscul. Quaeſt.* l IV. c. 10 et 11.

ut animi imperio non amplius pareat. Saepe in morbos inciderunt, saepe adierunt vitae pericula, qui talia vitia corrigere voluerunt, quod corporis consuetudo, crebris actionibus parvis, opinione citius, aucta, animi consilio non amplius poterat tolli. Verissimum igitur est, quod breviter volebamus efficere, multa vitia suas non tantum origines debere rebus parvis, sed incrementa etiam, nec posse vitae morumque sanctitatem tueri eum, qui vim corruptricem, non raro in rebus levissimis maximam, neglexerit.

XLI.

Unum adhuc adiicere liceat, ut intelligatur, quantum valeant multae res parvae ad vitiandos mores hominum incautorum, animique mala celeriter augenda. Habent igitur peccata omnia hoc, *ut praeparent alia, novisque delictis aditum aperiant.* Sed haec peccatorum vis longe perniciosissima plerumque latet, ac tum demum fit conspicua, cum animi corruptio iam vehementer crevit. Primo enim pauci adnimadvertunt, *se quovis peccato fieri imbecilliores*, hoc est, actionem quamque malam non tantum in se vituperandam esse, quod rationi legibusque divinis repugnet; sed animum etiam ita afficere, ut in posterum sit ad peccandum multo proclivior. Duplex enim damnum est, quod e peccato quovis oritur; alterum peccato cuivis proprium, poenam naturalem

appellat ſcholae conſuetudo; alterum vero peccatis omnibus commune, quod cernitur in frangendis ac debilitandis animi viribus, augendaque propenſione ad nova delicta. Primum damni genus facile animadvertunt homines, quod plerumque incurrit in ſenſus; alterum vero negligunt, quod non ſtatim ſenſu percipitur. Nemo hac de re, quam ob parvitatem ignorant plurimi, praecepit melius *Epicteto* apud *Arrianum* [143]). Ὅταν ἐργιαθῇς, inquit, γίνωσκε, ὅτι οὐ μόνον σοι τοῦτο γέγονε κακόν, ἀλλ' ὅτι καὶ τὴν ἕξιν ἤυξησας, καὶ ὡς πυρὶ φρύγανα παρέβαλες. Ὅταν ἠττηθῇς τινος τῇ συνουσίᾳ, μὴ τὴν μίαν ἥτταν ταύτην λογίζου, ἀλλ' ὅτι καὶ τὴν ἀκρασίαν σοῦ τέτροφας. Scilicet plerique, cum delinquunt, errant in eo, quod exiſtimant, praeter damnum, quod poenae vim habet, nihil eſſe metuendum; quare, metu poenae remoto, audacter peccant, non cogitantes, ſe ἀκρασίαν ſuam auxiſſe, et corruptiores factos eſſe. Ἴσχνη τινὰ, paucis interiectis ibidem addit *Epictetus*, καὶ μώλωπες ἀπολείπονται ἐν τῇ ψυχῇ, ὡς εἰ μή τις ἐξαλείψῃ καλῶς, πάλιν κατὰ τῶν αὐτῶν μασιγωθείς, οὐκέτι μώλωπας, ἀλλ' ἕλκη ποιεῖ. Has animi vibices, quae facile mutantur in ulcera ſerpentia et periculoſiſſima, quotusquisque animadvertit et curat? Qui autem cogitaverit, quodvis peccatum ſua natura minuere

143) *Diſſert.* l. II. c. 18. p. 276. 277.

vires animi, et corruptionem eius augere, nonne is mirabitur ſapientiſſima praecepta Domini et apoſtolorum, qui, ut ſupra docuimus [144]), non tam actiones pravas ipſas, quam omnem peccandi libidinem exſtirpari iubent, quoniam ne appetitus quidem mali, quantumvis parvi, nec erumpentes in actum, ſentiuntur impune, ſed animum ad peccandum praeparant, et imbecilliorem reddunt? — Accedit et hoc, *nonnulla vitia cognatione quadam naturali contineri*, eorumque eſſe quasdam veluti profapias, ut qui uni deditus ſit, is et ad reliqua, ei adiuncta, vel vi quadam abripiatur, vel certe pronus ſit. Iſta vero vitiorum cognatio paucis ſatis cognita eſt, quod vinculum, quo inter ſe copulantur, ſaepe in rebus leviſſimis ineſt. Sic, ut exemplis utar, una mollities magnam procreat peccatorum multitudinem; ambitio aliorum comitatu ſtipata eſt; iterum aliorum turba ſequitur ſuperſtitionem. Saepe vitium, quod leve putatur, cohaeret cum ſceleribus maximis, et incautos ſenſim in ea praecipitat. Exemplo eſſe poteſt ludendi furor, praeſertim ſi luſibus utatur, qui vel toti, vel maxima ex parte fortunae ſunt. Interdum vitia cohaerent, quae longiſſime inter ſe diſtare videntur. Certiſſimum eſt, hos, qui in religione nimium tribuant ludibriis

144) §. XXVII.

phantaſiae, et ſenſus accendant vehementiores, vel qui ſint proni ad furores fanaticos, fere ſemper eſſe ſolere libidinoſos et veneris appetentiſſimos, ut interdum ipſi illi motus pii, in quibus ſibi tantopere placent, nihil aliud ſint, quam tectae libidinis quaedam quaſi comminatio [145]). Iam quis non intelligit, quanta cura, quantaque diligentia adhibenda ſit, ne corrumpamur vitiis, quae propinqua cognatione contingunt alia, et a quibus facilis eſt ad multa ſcelera progreſſio. Qua in re eo magis examinanda ſunt omnia vel minima, quod transitus ab uno vitio ad reliqua, cum eo aliquo modo coniuncta, plerumque ſit celeriter, et per res leviſſimas, ſaepeque caſu quodam, quem vix poteramus praevidere. — Sunt denique vitia, quorum tanta vis eſt, *ut pedetentim totum animum corrumpant, et omnia pervertant.* Permanant enim quaſi in venas, et haerent in viſceribus, et ſenſim inſinuant ſe in omnes vitae partes, ut morbus exſiſtat, qui aegre poſſit depelli. Ex hoc genere ſuperſtitio eſt, et hypocritarum in religione ſimulatio, et avaritia. Nam ſuperſtitio non modo veri videndi facultate privat animum, eumque opinionibus vaniſſimis imbuit, ſed mores etiam inficit, quoniam in omni vita nihil eſt,

145) Conf. *Hemſterhuſii Miscellanea philoſoph.* Part. I. pag. 87 ſqq. verſ. vern. et *Zimmermanni* opus notiſſimum *von der Einſamkeit*, Part. II. p. 154 ſqq.

quod intactum relinquat. Hypocritarum vero nequitia quantum ſit malum, nemo melius graviusque expoſuit Domino in ſermonibus iis, quos habuit adverſus Phariſaeos. Avaritiam denique apoſtolus 1 Tim. VI, 10. ῥίζαν πάντων τῶν κακῶν appellat, quod ita dominatur in animo, ut eum, ſi lucri ſpes affulſerit, ad quaevis ſcelera proclivem faciat et impellat. Sed iſta vis, qua animum, mores, et vitam univerſam inficiunt, corrumpunt, pervertunt haec vitia, non tam manifeſta eſt, ut hos, qui in illos morbos incidunt, ſtatim faciat attentos. Latenter enim ſerpit latius, eiusque incrementa incauti, qui non ſemper circumſpiciunt motus, impetus et mutationes animi omnes, plerumque ne animadvertunt quidem, ſed imprudentes atque ignari in maxima mala incidunt.

XLII.

Quam arduum autem ſit ac difficile, *virtutem conſequi* non quidem perfectam, quae ſit in ſuo genere expleta et cumulata, haec enim non cadere videtur in hanc noſtram imbecillitatem; ſed talem, quae ſit ſtudium indefeſſum, corrigendi quaevis animi vitia, et honeſtum in omnibus dictis et factis conſervandi: id non modo res ipſa docet, ſed etiam paucitas eorum arguit, qui hoc ſtudium in vita ipſa demonſtrant. Sunt autem eius difficultatis cauſae graves et multae, quas nunc omnes enumerare, nihil attinet. Sed in his quoque haud

poſtrema haec eſt, quod homines, qui ad virtutem contendunt, negligere ſolent multa, *parva* quidem illa, et quae imperitis videntur levia, ſed quae recte utentibus plurimum proſunt, et faciliorem viam ad praeclara quaevis muniunt. Cum igitur hactenus ſit a nobis oſtenſum, *parvarum rerum obſervatione continua carere non poſſe, qui ſe ſuaque omnia bene cognita habere velit atque perſpecta;* cumque ſatis ſit expoſita vis ea, *qua res minutae corrumpunt hominum animos, ac vitiorum labe contaminant:* age, progrediamur nunc ad reliqua, quae de rebus parvis, earumque efficacia in omni actione ac vita, uti ſupra propoſuimus [146]), dicenda ſuperſunt. Atque in his *primum* illud eſt, quod modo admonui, *parvarum rerum rationem habendam ab iis eſſe, qui magnos velint profectus in virtute capere, nec poſſe veram vitae emendationem feliciter ſuccedere, niſi ſit animus in multas res parvas acriter intentus.* Patet autem hic quoque locus tam late, ut, ſi vellemus eum perſcribere paullo conquiſitius, facile poſſemus oſtendere, nullum eſſe vitium, in quo exſtirpando impune poſſit negligi rerum minutarum obſervatio; nullam eſſe virtutem, cuius incrementa non ex iisdem pendeant. Sed adhibendus eſt modus. Placet igitur primum

146) Conf. §. XXXII.

docere, *nec depelli posse habitus pravos, nec contrahi bonos et laudabiles sine diligentiori cura rerum multarum levium.* Deinde videbimus, *quantum in ipso virtutis exercitio valeat earumdem rerum curiosa contemplatio*, cum interdum omnis fere praeclare factorum *dignitas* et *honestas* iis contineatur. Nec illud denique praetermittendum videtur, *incitamenta virtutis multa inesse in rebus parvis et obviis, eaque diligenter colligi debere, si quis ad virtutem feliciter voluerit eniti.*

XLIII.

Hoc igitur in promtu est, veram vitae morumque emendationem effici duabus rebus; *reprimenda scilicet et corrigenda sunt vitia, quae sensim irrepsere, habitusque pravi omnes eradicandi;* agendum quoque omni studio hoc est, *ut contrahamus recte faciendi consuetudinem, et consequamur facultatem, quicquid in officio fuerit, celeriter atque sine ulla difficultate peragendi.* Sed neutrum feliciter succedet, si neglexerimus parva multa, quae partim in animo latent, partim in rebus externis. Ac primo quidem vani sunt conatus eorum, qui consuetudinem pravam, quam saepe repetitis actionibus confirmarunt, celeriter, et uno quasi impetu tolli posse existimant atque frangi. Res ipsa docet, lente procedendum esse in hac causa, et eundem per parva. Atque in iis quidem vitiis, *quae corpus ipsum afficerunt,*

eiusque immutarunt partes et ſtatum, feſtinata ſanatio propterea non habet locum, quod animi propoſito non tolli poteſt corruptio corporis. Huius enim compages ſequitur leges ſibi proprias, aliamque poſtulat, ſi quid turbatum fuerit, curationem. Mollis igitur et delicatus non ſtatim poteſt graves labores ſuscipere; ebrioſus non ſtatim abſtinere a nimio potu; gurges atque heluo non ſtatim compescere vim abdominis. Senſim debilitanda eſt corporis conſuetudo, cum his animi vitiis coniuncta, et conſtanter ſaepeque repetitis actionibus parvis tollenda. A parvis motibus, et a moderata virium contentione progrediendum molli ac pigro eſt ad labores magnos et continuos; ſenſim minuat nimiam potus ac cibi copiam guloſus, ſibique fere quotidie non nihil ſubtrahat, ut corpus ad ordinem placide reducatur, iterumque discat parce, continenter, ſobrie vivere. Quod enim plerosque in emendandis his aliisque ex hoc genere vitiis ſucceſſus deſtituit, haud pauci autem eo progrediuntur, ut negent, talia poſſe corrigi: id inde ſit, quod tarditatis, per parva lente procedentis, impatientes in morbos incidunt, ut his, qui a perverſa vitae conſuetudine celeriter recedunt, vel invitis ad priſtinam intemperantiam redeundum ſit. Nec aliter iis occurri vitiis poteſt, *qui haerent in animo*. Nam qui aut iracundi ſunt, aut ſuperbi, aut invidi, aut avaritiae dediti: ii

tum demum efficient aliquid adverſus haec vitia, cum vincere conſtantia decreverint, et indefeſſo ſtudio, crebrisque conatibus paullatim eorum vim minuerint [147]). — In quo plurimum valebit *diligentia in fugiendis vitiorum irritamentis parvis*, quoniam, ut eſt apud poetam [148]), *infirmis cauſa puſilla nocet.* Contrahitur enim ſaepe peccando *uſus quidam irrationalis*, ut *Quinctiliani* verbis utar [149]), quo fit, ut, ſi vel minimum acceſſerit irritamentum, animus celeritate ſumma erumpat in ſcelus, et conſuetudinis violentia paene inſcius abripiatur. Frangi igitur ac debilitari prava conſuetudo non poterit, niſi ſubtraxeris ei omnia, quibus aliquo modo confirmatur et alitur. Sed quotus quisque ita ſe ſuaque omnia circumſpicit, ut parvas illecebras omnes, interdum latenter animum afficientes, ſtatim agnoscat, ſentiat ac fugiat? Inſunt autem haec irritamenta partim *in ipſa animi actione*, partim *in rebus externis.* Multi, ut exemplum ponamus e primo genere, fruſtra laborant in exſtirpandis inimicitiis, negantque poſſe ſe odium, quod in

---

147) Quomodo per res parvas, et leves quasdam exercitationes initium fieri debeat corrigendae pravae conſuetudinis, praeclare docet exemplo curioſitatis *Plutarchus de curioſ.* p. 66 ſqq. Idem facit in libello *de pravo pudore*, p. 103-108.

148) Vid. *Ovidius de remed. Amor.* v. 730.

149) *Inſtitut. Orat.* l. X. c. 7. §. 11.

alterum habeant, comprimere. Nec mirum eſt, eorum conatus eſſe irritos, cum animum non ſatis revocent a contemplanda, quam paſſi ſunt, iniuria, ſed in eius cogitatione maneant defixi. Eſt autem hoc humanae menti proprium, ut ad ea, quae ipſi videntur gravia, et ſaepius obverſantur, ſive bona fuerint, ſive odioſa, idemtidem recurrat, et a quavis re, opinione citius, ad illa ſibi aperiat aditum. Vidi igitur, qui propterea non poſſent ſusceptas deponere inimicitias, quod animus, illatae iniuriae memor, e quovis ſermone arripere ſolebat aliquid, quod vel ad vituperationem inimici, vel ad eorum, quibus laeſos ſe putabant, commemorationem duceret. Sed hac ipſa commemoratione ita excandescere ſolebant atque incendi, ut odium, nondum ſatis compreſſum, novas acciperet vires, atque ſic magis magisque inveterasceret. Qui igitur non omni ſtudio in eo laboraverit, ut, cum ſenſerit, animum deferri ad inimici cogitationem, et condolescere acceptae iniuriae memoria, ad contemplandas res alias ante ſe convertat, quam indignatio moveatur: is profecto nunquam inimicitiae ſenſum amittet. Quo magis autem omnem invitationem ad dolendum vitaverit cura diligens, eo magis inimicitia obliterabitur, ac tandem exſtinguetur penitus. *In rebus autem externis*, quis nescit, quot inſint pravae conſuetudinis alimenta, quae apud incautos

et imperitos vehementer augere ſolent vim mali, animoque aegro nocere. In iracundis quidem ſaepe res leviſſimae mentem in querelas parant. Veriſſimum eſt illud *Plutarchi* [150]), iram non ſemper habere ἀρχὰς μεγάλας καὶ ἰσχυράς. Saepe σκῶμμα, inquit, καὶ παιδιὰ, καὶ τὸ γελάσαι τινὰ, καὶ τὸ διανεῦσαι, καὶ πολλὰ τοιαῦτα πολλὰς εἰς ὀργὴν καθίστησιν. Haec parva qui negligit, animumque adverſus has illecebras non ſtudioſe munit, operam omnem in exſtirpanda iracundia fruſtra conſumet. Nec ſuſpicaci feliciter ſuccedet malae conſuetudinis emendatio, niſi diligenter cavere coeperit parva multa, quae ſuſpicionem movent, falſisque coniecturis locum faciunt. Laudanda eſt *Caeſaris* moderatio. Cum enim is, ut utar verbis *Senecae* [151]), *ſcrinia deprehendiſſet epiſtolarum ad Pompeium miſſarum ab iis, qui videbantur aut in diverſis, aut in neutris fuiſſe partibus, combuſſit.* Noluit igitur opportunitate uti, qua exoptatior non potuiſſet contingere ſuſpicioſo. Sed quis non videt, tum demum corrigi poſſe perverſam credulitatem, contrahique conſuetudinem non facile credendi, cum abſtinere didicerit ſuſpicax a minutis illis fallacibusque obſervationibus, quas curioſe ſolet conquirere, et explicare coniectura. Atque hoc modo de ceteris quoque

150) *De cohibenda ira*, p. 454.
151) *De ira*, l. II. cap. 23.

vitiis tantum non omnibus iudicari debet. Nulla enim fere eſt conſuetudo prava, quae non alatur vi et efficacia rerum extrariarum; quae non undique nonnulla decerpat, quibus emendationis cura impediatur. In ſedandis autem perturbationibus animi, in lenienda aegritudine, in minuendo deſiderio, in cohibenda libidine, atque omnino in regendis animi commotionibus tum demum aliquid efficiemus, cum mutationes parvas, quibus excitantur, et obſervare mature, et fugere didicerimus. — Nec illud praetermittendum eſt, *in ſanandis morbis animi iis, qui a conſuetudine prava trahunt originem*, vim ſaepe magnam habere *parva quaedam remedia*. Prudenter hoc admonet poeta in libello *de remediis amorum*, in quo petulantius quidem, ut ſolet, ſed vere praedicat vim parvarum rerum, quibus ſaepe magno poſſit occurri malo [152]). Exiguum eſt, adſpicere ſpeculum, ſed iracundis eam rem interdum profuiſſe, equidem libenter crediderim *Sextio* apud *Senecam* [153]), et *Fundano* apud *Plutarchum* [154]). Parvum eſt, quod *Athenodorus* Philoſophus *Au-*

---

152) Vid. v. 419 ſqq. et v. 715 ſqq.

153) *De ira*, l. II. c. 36.

154) *De cohib. ira*, p. 455 et 456. Quae adverſus hanc rem differit *Engel*, in libro egregio: *Ideen zu einer Mimik*, Part. I p. 210 et 212, ea, quamquam de his, quos ira vehementior in rabiem egit, veriſſime dicantur, tamen ad alios, praeſertim ad hos, qui natura clementiores fuerint, vix poterunt traduci.

gusto Caesari suasit: *cum irasceris, nihil ante vel dicas, vel facias, quam tecum XXIV elementa orationis repetieris* [155]). Sed ad sedandum animi motum multum valere posse hanc rem tenuem, quis negaverit? Iram et indignationem maximam haud raro repressit iocus quidam inexspectatus, et facete dictum, quod risum moveret. Sic interdum vel ii mitigantur, qui impotentes irae sunt. Notum est exemplum *Pyrrhi* regis, qui iuvenes quosdam Tarentinos, inter coenam multa de se securius locutos, non dimisisset, nisi opportuno ioco criminis invidiam dissolvissent [156]). Quantum vero in maioribus quoque causis, quae agebantur coram magna multitudine, huic rei tribuerint oratores veteres, in permovendis hominum animis artifices maximi, intelligi potest ex iis, quae de iocis ac facetiis praecipi solebant ab his, qui artem dicendi tradebant. *Nihil tam facile*, ait *Cicero* [157]), *quam multitudo, a tristitia, et saepe ab acerbitate, commode, ac breviter, et acute, et hilare dicto deducitur.* Omnino in coercendis animi perturbationibus dici non potest, quantum prosit, etiam rationes quasdam habere praeparatas, quae, cum excitatur animus, suc-

---

155) Conf. *Plutarchus* in *Apophthegm.* p. 779. ed. *Reiske.*

156) Vid. *Quinctilianus Institut. Orator.* l. VI. c. 3. §. 10.

157) *De Orator.* l. II. c. 83. §. 8. Add. *Horatius Serm.* l. I. Sat. 10. v. 14. 15.

currant, ſtatimque praeſto ſint. Poſſunt autem cogitationes et decreta, quibus in cohibendo commotionum impetu uti debet animus, quaeque a *Plutarcho* dicuntur λόγοι παρόντες οἰκεῖοι καὶ συνήθεις, elle varii generis, et a quovis ea potiſſimum deligenda ſunt, quae ipſius ingenio maxime fuerint accommodata. Magnam hac in re vim exſerunt ſententiae breves, e libris ſacris decerptae, et animo ita infixae, ut deſideratae ſtatim occurrant. Qui autem nihil habuerit, ad quod recurrat, quod quaſi teneat, et in quo firmiter poſſit inſiſtere: is perturbationum vi non poterit non celeriter abripi. Paucis datum eſt hoc, ut phantaſiae ludibriis, quibus animi commotiones maxime ſolent augeri, poſſint reſiſtere. Sed multis id melius ſuccederet, ſi uterentur praecepto, quod, quamquam parvum videtur ac tenue, tamen longe ſaluberrimum eſt. Sunt nempe viſis ac ſimulacris iis, quibus maxime excitatur cuiusque animus, cum a phantaſia fuerint obiecta, adiungendae imagines aliae, quae iſtorum vim minuant et frangant. Etenim cum ſimulacra ea, quae ſaepe ſimul obverſata ſunt animo, ſenſim ita quaſi coalescant, ut ſemper alterum recurrat cum altero: facile intelligitur, ſi quis impèdire voluerit, quominus acri rerum ſpecie ad bona opinata perſequenda, mala autem eiusdem generis fugienda abripiatur, inprimis hoc agendum eſſe, ut cum quovis ſimu-

lacro, ad perturbandum animum apto, copulatum ſit in mente quoddam aliud, quod commotionem ſtatim opprimat et exſtinguat. Facile commovemur ac perturbamur cogitatione *mortis;* ſed qui mature didicerit, in ea re formulis et imaginibus uti, quas libri ſacri uſurpant de obitu piorum, is non magnopere movebitur, cum fuerit mortis iniecta mentio. Mori libris ſacris eſt ὑπάγειν, πορεύεσθαι πρὸς τὸν πατέρα Ioh. XVI, 5 et 28. κοιμᾶσθαι 1 Theſſ. IV, 14. Ioh. XI, 11. ἀναλῦσαι, καὶ σὺν χριστῷ εἶναι Phil. I, 23. ἐκδημῆσαι ἐκ τοῦ σώματος, καὶ ἐνδημῆσαι πρὸς τὸν κύριον 2 Cor. V, 8. Quis non ſentit, hoc χαριντισμῷ aliquid ſuavitatis accipere cogitationem mortis, eiusque terroros vehementer minui. Adhiberi autem hoc artificium poteſt in iis omnibus, quibus phantaſia vehementius nos conturbat. Quod multis metum incutiunt tenebrae, id inde ſit, quod a pueris adſuefacti ſunt ſpectrorum, lemurum, aliorumque μεμολυκείων cogitationem cum iis coniungere; nulla caligo turbabit eum, qui tranquillitatis, quietis, vacationis a labore notionem tenebris adiunxerit. Pauci poſſunt mentem revocare a contrectandis voluptatibus pravis, quod cum earum cogitatione non copularunt imagines malorum, quibus libidinoſi ſolent affligi. Haud difficulter phantaſiae vim coercebit, qui idearum apta copulatione effecerit, ut imagines pernicioſae ſtatim excitent ſimulacra

alia, quae impediant, quominus oriatur perturbatio [158]). Haec autem parva res, quam ignorant alii, alii negligunt, inprimis commendanda iis eſt, qui in formanda aetate puerili verſantur. Animus enim, cum adhuc tener eſt et incorruptus, facile ita poteſt conformari, ut iſta idearum coniunctione discat phantaſiae ludibriis reſiſtere.

XLIV.

Sed rerum minutarum obſervatio diligens non modo prodeſt *in tollendis ac depellendis vitiis:* verum etiam *in contrahenda recte agendi conſuetudine, qua fiat, ut, quidquid in officio fuerit, id poſſimus celeriter ac ſine difficultate perficere* [159]). Ac primo quidem ſatis conſtat, *habitum nullum acquiri ſine diuturna exercitatione,* quae fere tota continetur actionibus parvis, ſaepe et indefeſſo ſtudio repetitis. Δεῖ μελετᾶν ἐπὶ τῶν μικρῶν, ut eſt apud *Arrianum* [160]), καὶ ἀπ' ἐκείνων ἀρχόμενος, διαβαίνειν ἐπὶ τὰ μείζω. Hoc autem aliter fieri non poteſt, niſi ſic, ut ea, quae in conſuetudinem abire debeant, tractemus quam dili-

158) Conf. libellum *Bleſſigii* aureolum, cuius index eſt: *Zur practiſchen Sittenlehre, eine Vorleſung*, p. 64 ſqq.

159) *Cuiuslibet artis ſeu diſciplinae, Caſſianus* inquit, *perfectio neceſſe eſt, ut a quibusdam mollibus incipiens rudimentis, facilioribus primum ac teneriſſimis initiis imbuatur, ut quodam rationabili lacte nutrita pauliatim educataque ſuccreſcat, atque ita ab imis ad ſumma ſenſim gradatimque conſcendat;* collat. X. c. 8, ubi, quae poſtea dicuntur, pari modo huc referenda ſunt.

160) *Diſſertat. Epicteti* l. I. c. 17. p. 101.

gentissime, etiam in minimis curiosi ac solliciti. In quo inprimis cavendum est, ne multae fiant ἐπιστάσεις, et longo intervallo intermittatur contentio; iterum vero accedant ὁρμαὶ καὶ ἐπιπηδήσεις, quibus parum solet effici; tota enim exercitatio procedat, necesse est, λείως καὶ ὁμαλῶς, et assidua esse debet eiusdem studii continuatio [161]). Ut enim natura, quidquid gignit, non subito protrudit, sed procreat pedetentim; nec per impetus inaequales, sed actione continua et aequabili ad maturitatem perducit omnia: ita nec γνώμης ἀνθρώπου καρπὸς δι' ὀλίγου καὶ εὐκόλως nascitur [162]), et virtus quaeque saepe constanterque repetitis actionibus eiusdem generis, iisque, si spectantur singulae, plerumque parvis, et comparanda est, et confirmanda. — Cum autem manare tamquam a fonte, virtutes omnes debeant a sensibus animi rectis de rebus expetendis, aut fugiendis: *in assumendis his sensibus multum profuerit adhibere minuta quaedam exercitia, quae nemo neglexerit impune.* Etenim cum sensus recti ac boni proficisci debeant a *placitis* quibusdam de officio hominis eiusque felicitate, quae memoriae penitus infixa esse debent, ut, cum occasio tempusque venerit, iis obsequendi, statim in promtu sint, mentique obversentur: crebra repetitione opus est, ut

161) Conf. *Plutarchus de prof. virt. sent.* p. 76.
162) *Arrianus Dissert. Epicteti* l. I. c. 15. p. 86.

decreta illa, sive hausta sint e libris sacris, sive aliunde depromta, diuturnitate cogitationis atque frequentia efficacius comprehendantur, ac firmiter haereant. *Stoici* recte monebant, talem futuram esse cuiusque mentem, qualia sint ea, quae creberrime cogitaverit; *βάπτεται γὰρ*, ut *Antoninus* ait [163]), *ὑπὸ τῶν φαντασιῶν ἡ ψυχή*. Nihil igitur studiosius agendum est, quam ut placitis cogitationibusque veris et utilibus imbuatur animus, et quasi coloretur. Adiuvabitur autem vis memoriae, si decretum quodvis *copulare didicerimus cum rebus quibusdam externis, iisque obviis*. Habebit igitur is, qui sensus pios et rectos imprimere fortiter voluerit animo, signa quaedam externa, et quosdam veluti *locos* (utar enim hoc verbo, quod veteres adhibere solebant, cum de artificiosa memoria differerent) [164]), quibus commonita memoria reddat et offerat sponte placita, quae ei credidimus. Vehementer commendavit hoc artificium, quod aliis leve videtur, alii ignorant, ipsa prudentia *Domini*. Is enim ea, quae penitus imprimere mentibus audientium, et admovere fortius volebat eorum animis, ita solebat eloqui, ut imaginibus uteretur ductis a rebus externis et obviis. Sic enim effici volebat, ut cum

163) *Ad se ipsum* l. V. c. 16.

164) Conf. auctor libvorum *ad Herenn.* l. III. inde a c. 16. et *Quinctilianus* l. XI. c. 2.

ſigno externo recurreret ipſa cogitatio ſententiae, quam ei ſubiecerat. Plenae ſunt orationes Domini exemplis, quae hanc rationem illuſtrant. Sic, ut vel unum afferam, non temere Matth. VI, 26-30 commemorat volucres, flores, gramina; habita enim eſt ea oratio in monte quodam Galilaeae, ubi iſta omnia conſpici poterant ab audientibus, et digito monſtrari. Illuſtravit igitur graviſſima religionis capita rebus iſtis obviis ac ſenſibilibus, ut etiam inpoſterum, earum adſpectu moti auditores, in memoriam redirent eorum, quae iſto tempore propoſita fuerant. Hoc imitetur, qui decreta gravia, quibus vita regi debet et actio, relinquere noluerit arbitrio memoriae. Copulare diſcat ea, de quibus ſaepe cogitandum fuerit, cum rebus externis: ſingula placita his ſignis ac notis crebra repetitione quaſi affigat; eaque ſigna in locis quibusdam collocet quaſi atque diſponat. Hac enim parva re efficiet facile, ut decreta, quae in agendo ſequenda videntur, nunquam penitus excidant e memoria, ſed ſemper ad manus ſint et in promptu. — Hi autem ſenſus quoniam transferendi ſunt ad actionem et vitam, ut quae vel expetenda, vel fugienda putaverimus, ea vere conſtanterque vel ſequamur, vel averſemur: haud paucis, iisque minutis exercitationibus efficiendum eſt, ut, quae ad intelligentiam et memoriam aſſumta fuerint, *ea etiam ſuſcipiantur ad ani-*

mum, nosque regere incipiunt. Hoc autem fit, cum ſentire coepimus, nihil iucundius eſſe, nihil utilius, quam obtemperare placitis, quorum et veritatem intelleximus, et conſenſum cum legibus divinis plane perſpicimus. Iam quia virtus impetus quosdam a natura ſumit, eaque mentis noſtrae indoles eſt, ut, niſi malae conſuetudinis violentia nos transverſum egerit, ad honeſta quaevis feramur ultro, iisque vehementer delectemur: nulla re magis impellemur, ut amare, quae ſunt in officio, et decreta, quae ſuscepimus, ſequi diſcamus in omni vita, quam obſervatione diuturna, quae nos doceat, *quantopere virtus conveniat cum natura rerum, et indoli noſtrae ſit accommodata.* Qui intellexerit, temperantiam adhibendam eſſe in rebus omnibus: is illud decretum admovebit animo, eiusque acerbitatem vehementer minuet, ſi ſaepe cogitaverit, ea virtute nihil eſſe poſſe ſuavius, quod pacem afferat animis, eosque quaſi concordia quadam placet, corpus vero, praetermittendis voluptatibus immoderatis, integrum ſervet ac firmum. Colenda ſimplicitas eſt, quae malam diſſimulationem et occultationem ſententiae excludit. Hanc vero tum demum amabimus et colemus, cum ſentire coeperimus, naturam ipſam generaſſe nos apertos; ſecum vero pugnare, et vim quandam inferre ſibi, qui aliud vultu ac ſermone ſignificent, aliud pectore premant; con-

ſtantiam denique atque ſiduciam, quae neminem metuat, nulla re magis adiuvari, quam moribus ſimplicibus, et expertibus ſictionis [165]). Habent autem hoc virtutes omnes, ut optime conſpirent cum natura mentis humanae, et ipſe conſenſus mira iucunditate nos perfundat. Igitur ab hac potiſſimum parte ſaepe ſpectet is, qui placita de omni virtute transferre voluerit ad vitam, virtutem quamque, atque hoc modo efficiat, ut ſenſim abſtergatur omnis moleſtia. Sed hoc totum conſtare obſervationibus multis ac parvis, nec locum habere, niſi quis adhibuerit animadverſionem acrem, complexam omnia, quae fiunt et accidunt, vel me non monente vident omnes [166]).

XLV.

In ipſo autem virtutis exercitio multum valere rerum minutarum curioſam contemplationem, ex eo patet, quod omnis fere praeclare factorum *et incorrupta ſanctitas, et dignitas externa* iis con-

---

165) Conf. praeclara *Fenelonii* commentatio; ſur la fidelité dans les petits choſes. *Oeuvres ſpirituelles*, Vol. I. chap. XXIII. p. 119 ſqq.

166) Hic omnino diligenter legendae ſunt *Cochii*, *Garvii* et *Meinerſii de animi humani propenſionibus* commentationes egregiae, quas inprimi curavit *academia*, quae *Berolini* floret, *regia*. Inſcripta eſt ea ſylloge: *Diſſertation ſur les Penchans, qui a remporté le prix propoſé pour l'année 1768. avec les pieces, qui ont concouru.* Berol. 1769. 4. Inſunt autem in his libellis non pauca, quae vim rerum parvarum in ſuſcipiendis ſenſibus, et regendis animi appetitibus illuſtrant.

tinetur. Atque *ſanctitas* quidem ſingularum actionum pendet, ut iam ſupra monuimus [1167]), a motibus internis et conſiliis animi. Quidquid a fonte manat alio, quam ab amore in Deum et homines, quem chriſtiana religio poſtulat, id, quamquam probetur iudicio hominum, habeatque externam virtutis ſpeciem, tamen perfectum dici, et religionis ſanctitati accommodatum non poteſt. Hanc vero ſanctitatem in agendo quomodo tenebimus, ſi negligentes fuerimus in obſervandis parvis animi motibus, et examinandis momentis omnibus, quae voluntatem, dum agimus, inclinant? *Perfectae ſiquidem*, ut praeclare ait *Salvianus* [1168]), *ac ſinceriſſimae ſanctitatis volens cultores ſuos facere Salvator, iuſſis ab his cautiſſime etiam minima vitari.* Nunquam conſequetur integram et perfectam virtutem, qui ſenſum non acuerit ad animadvertendos motus minimos, a quorum vi et efficacia, quae peraguntur, fere plerumque proficiſci ſolent. Cavendum enim eſt, cum officio ſatisfacimus, ne vel vanitate quadam et inani cupiditate gloriae ducamur, vel lucri ſpes nos impellat, vel anilis quaedam ſuperſtitio nos impleat inepta religione, vel turpicula voluptatis appetitio nos alliciat, vel perturbatio denique, et

---

1167) Conf. §. XXXVII.

1168) *De gubernat. Dei*, l. III. c. 8. p. 55

immoderata commotio nos secum abripiat. Solent autem haec omnia nos saepe latenter afficere, ut interdum aut penitus ignoremus, quid potissimum sequatur animus, aut obscure tantum sentiamus, aliquid subesse vitii. Exploret igitur, qui recte agere, qui conservare voluerit officii sanctitatem, et in ipsa actionis celeritate animadvertere discat omnia, quae fiunt intus, ut subtiliter intelligat, quibus momentis impulsus moliatur omnia, dicat et faciat. Qui autem sensum internum in ipsa actione saepe diligenterque intenderit ad percipiendas mutationes animi omnes: is exercitatione et usu facultatem sibi comparabit, animadvertendi minima vitia, et omnem agitationem internam ad sanctitatem legis divinae magis magisque revocandi. Hoc studium indefessum, vel in minimis curiosum, commendant, ut supra vidimus [169]), libri sacri, cum καρδίαν καθαράν postulant, et Christianum quemque iubent, ἐκκαθαίρειν ἑαυτὸν, omnemque abstergere atque eluere μολυσμὸν πνεύματος. — *Externa autem virtutis dignitas* nulla est, nisi fuerimus etiam in minimis diligentes. Hoc enim omnes vident, eamdem actionem laudabilem perfici posse varie, eiusque dignitatem ratione ac modo, quem auctor tenuerit, vel augeri, vel minui. Est enim virtutis adspectabilis

169) Conf. §. XXVII.

quidam ornatus, qui non recondita quadam ratione ornatur, ſed ſit in promtu; nec vanum eſt hoc, quod ad omnem honeſtatem pertinere dicimus, *decorum*, ſed cum virtutis natura ita conſutum, ut, ſi hac pulcritudine carueris, perfecta eſſe ipſa non poſſit. Atqui hoc totum, quod in actione externa conſentaneum eſt virtutis excellentiae, multis rebus parvis conſtat, unde fit, ut facilius intelligi, quam verbis explanari queat. Videndum enim eſt, quid in maxima perſonarum, locorum, temporum et reliquarum rerum varietate cuique conveniat, eorumque, quibuscum vivimus, moveat approbationem. Quanta fuerit Domini in omni actione ac vita gravitas, quanta prudentia, quanta ſeveritas mixta cum humanitate et facilitate ſumma, ſatis docet evangelica hiſtoria. Mirum igitur non eſt, vel inimicos interdum, poſtquam agentem viderant, et audiverant docentem, ita captos eſſe humanitate viri, dignitate vero gravitateque, qua conſpicuus erat, ita commotos, ut nocendi conſilium abiicerent, eique conciliarentur, Ioh. VII, 44-47. Apoſtolus autem Phil. IV, 8 Chriſtianos omnes ſectari iubet in omni vita ὅσα ἀξία σεμνά, ὅσα προσφιλῆ, ὅσα εὔφημα, quod fieri non poteſt, niſi, quidquid geritur ac fit, ita fiat, ut cum ſuavitate quadam ab aliis percipiatur, et ſpectantibus placeat. Sunt enim parva quaedam, quibus facta, ceteroquin laudabilia, iſta

dignitate externa privantur. Quanta eſt, ut exemplis utar, in dandis beneficiis, in hortandis, monendis, reprehendendis hominibus, in peragendis iis, quae pertinent ad cultum Dei publicum, atque omnino in iis omnibus, quae in conſpectu aliorum fiunt, vis vultus et oris, quantum vel elicit, vel obeſt vocis intentio ac remiſſio, totusque corporis motus et ſtatus? Nonne beneficii gratiam corrumpit, qui, cum rogatur, frontem adducit, vultum avertit, et, quae dat, ſuperbe abiicit, aut iratus impingit [170])? Nonne perperam alios monebit, qui non poterit ad cuiusque mores et ingenium ſe demittere, ac pro tempore ἐνθμίζειν σχήματι προσώπου καὶ τόνῳ φωνῆς. Nonne corporis motione geſtuque diſtorto efficitur facile, ut in precibus, atque omnino in caerimoniis publicis et cultu religioſo multa videantur ridicula, vel alio modo abhorreant ab oculis ſpectantium, eosque offendant? Nonne multa, parva quidem illa et levia, quae interdum imprudentes committimus, vel non ſatis curamus, aliorum ſuſpicionem movent, et criminationibus variis locum faciunt [171])? At haec, et alia innumera quomodo vitabimus, quomodo conſequemur et ſervabimus id, quod in quavis re decorum eſt, et

170) Conf. *Seneca de benefiiis*, l. I. c. 1.

171) Exempla commemorat *Plutarchus de capiend. ex hoſtib. utilitate*, p. 333 et 334 ed. *Reiske*.

virtutis excellentiae conſentaneum, ſi negligentes fuerimus in rebus minutis? Animum attendere debet ad omnia, et curioſus eſſe in leviſſimis, qui ordinem, conſtantiam, moderationem in omnibus dictis et factis conſervare, qui transferre voluerit ad vitam et uſum illud Apoſtoli: *πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν γινέσθω*, 1 Cor. XIV, 40.

XLVI.

Praetermittendum denique nec illud eſſe videtur, *incitamenta virtutis multa ineſſe in rebus parvis et obviis, quae diligenter colligenda ſint, ſi quis ad virtutem feliciter voluerit eniti.* Primo enim *ipſa rerum natura* ita eſt a ſummo opifice conſtituta, et omni tempore adminiſtratur, ut incredibili pulcritudine ac varietate eorum, quae continet, quaeque ſunt legibus certis, tanquam vinculis, apta inter ſe atque connexa, non modo facile convertat in ſe animum, verum etiam ordinem, conſtantiam, moderationem in agendo commendet nobis, omnisque pulcri ac perfecti ſenſum excitet et alat. Quot igitur et quanta habebimus incitamenta, ſenſus concipiendi pios et honeſtos, et praeclara quaevis ſectandi in omni actione et vita, ſi contemplari naturam, et quae Deus per eam docere, monere, inculcare voluit, intelligere didicerimus! Circumdati ſumus rebus externis, quae, quod ante oculos verſantur quotidie, non poſſunt, ſi paullo attentiores fuerimus, in animum

non influere, eumque leniter flectere; e quibus igitur decerpi undique poſſunt, quae virtutis ſtudium adjuvent, animum erigant ad Deum, et ad honeſta quaevis incendant. *Pythagorei*, ut eſt apud *Antoninum* [172]), *mane*, praecipiebant, *ſuſpiciendum eſſe caelum*, ἵν' ὑπεμιμνησκώμεθα τῶν ἀεὶ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως τὸ ἑαυτῶν ἔργον διανυόντων, καὶ τῆς ταξέως, καὶ τῆς καθαρέτητος, καὶ τῆς γυμνότητος. Recte illi quidem hoc monebant; quis enim non miretur aequabiles aſtrorum impetus? quem tranquilla caeli ſerenitas et γυμνότης, quae tum maxime placet, cum nullo tegitur nubium velamento, non moneat, homini, qui rationis utatur beneficio, compescendas eſſe immoderatas animi perturbationes, ac malae diſſimulationis tegumenta penitus exuenda? Sed talia virtutis incitamenta non modo in magnis illis naturae operibus inſunt, quae animum vehementius afficiunt, ſed etiam in rebus minimis, quas plurimorum imperitia contemnere ſolet ac negligere. Nihil fere eſt in univerſa rerum natura, quod attento non poſſit prodeſſe ad virtutem. Legant, qui hunc naturae uſum in exercenda pietate et confirmanda perſpicere voluerint, cum omnino libros ſacros, qui pleni ſunt imaginibus pulcerrimis, monitisque utiliſſimis, ductis illis a rerum externarum praeſtantia

172) Conf. l. IX. c. 27.

et ornatu; inprimis autem penitus imbibant sermones Domini, quorum plurimi referti sunt talibus praeceptis. Nullum enim fere tractavit Dominus religionis locum, quem non exornaret imaginibus, a rerum extrariarum indole petitis; in quo saepe ad minima quaevis se demisit, et levissima egregie transtulit ad exercitium pietatis. Collegit e sermonibus Christi, quae huc pertinet, *Hessius* [173]), et qui imitari voluerit eam Domini consuetudinem, is profecto ubique inveniet, quae prosint, quae motus pios excitent, quae verae virtutis studium alant atque incendant. — Haud minora incitamenta ad amorem studiumque virtutis continentur *mutationibus iis, quae vitae quotidianae cursum efficiunt*, et in quibus, quamquam leves sint, et ab imperitis contemnantur, haud raro latent saluberrima monita. Laudatur non immerito *Socratis* artificium, qui potuit ἀπὸ τῶν πραγμάτων λόγες ἐυρίσκειν [174]), hoc est, a rebus, quae cum maxime gerebantur, parvis saepe ac vix memorandis, progredi sensim differendo ad utilissima praecepta, eaque ex his, quae vel agebantur, vel acciderant, elicere. Quam sapienter eandem docendi, admonendi, cohortandi συνηθείαν observaverit Dominus, ut nihil tam quotidia-

---

173) Vid. liber egregius: *Ueber die Lehren, Thaten u. Schicksale unsers Herrn*, p. 81 sqq et inprimis p. 207 sqq.

174) Conf. *Diogenes Laert.* l. II. segm. 29.

num, nihil tam leve esset ac parvum, quo non posset uti ad excitandos sensus pios, et ad inculcanda gravissima praecepta, sexcenti loci librorum demonstrant, quos de eius rebus ac vita reliquerunt Evangelistae. Hoc igitur discamus imitari, si proficere voluerimus; idque faciamus non quidem eo consilio, ut simus fatui, et male seduli monitores aliorum, et in communi vita arripiamus occasionem quamque, sensus effundendi pios, et *his*, quibuscum versamur, iniquo loco ac tempore praecepta nostra ingerendi; satis enim constat, quam aliena sit illa importunitas a prudentia, et ab integro religionis amore; sed *nobis* prosint, quae fieri videmus, *nos* impellant, ut animum tacite vel erigamus ad Deum, vel cavere discamus malorum illecebras, quae saepe praeter opinionem quaerunt aditum, vel denique virtutis amorem alamus et confirmemus. — Interdum *casus ipse* nonnulla offert, quae ad virtutem ducant. Obiiciuntur enim saepe praeter exspectationem nonnulla, quae nos faciant attentos, quae et cogitandi materiam praebeant, et pectus impleant sensibus honestis ac piis, nosque efficaciter feriant. Hoc fit inprimis tum, cum, quid aliis accidat, et quem exitum habeant eorum consilia et instituta, sive bona fuerint et laudabilia, sive vituperanda et mala, paullo curiosius animadvertimus, ea vero, quae per orbem terrarum geruntur et eveniunt,

non aliena a nobis putamus, ſed diligenter perpendimus, ut, quid nobis prodeſſe, nos monere, cautiores facere, excitare poſſit, inde ſumamus. Sic et converſatio bonorum virorum ſaepe nihil tale opinantes excitat et emendat. *Occurſus mehercule ipſe ſapientium*, verillime ſcribit hac de re *Seneca* [175]), *iuvat, et ſi aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias. Nec tibi facile dixerim, quemadmodum profit ſic, ut illud intelligam profuiſſe. Minuta quaedam, ut ait Phaedon, animalia, cum mordent, non ſentiuntur; adeo tenuis illis et fallens in periculum vis eſt; tumor indicat morſum, et in ipſo tumore nullum vulnus apparet. Idem tibi in converſatione virorum ſapientium veniet; non deprehendes, quemadmodum, aut quando tibi profit, profuiſſe deprehendes.* Hactenus ille. Ac profecto ſi vera ſunt, quae Chriſtiana religio praecipit de providentia Dei, rerum omnium ac viciſſitudinum, minimarum quoque, ſapientiſſima moderatrice: nihil accidere hominibus, nihil tangere animum per ſenſus poteſt, quod non eo conſilio admiſſum ſit a Deo et inſtitutum, ut ſit materia exercendae virtutis, et vel dubios atque inclinabiles in pravum revocet ad rectum, vel bonos confirmet et ad maiora perducat.

---

175) Ep. XCIV.

XLVII.

Quae hactenus disputata sunt, ea satis, ni fallor, docent, magnos in virtute profectus capi non posse, nisi fuerimus intenti in res parvas multas, easque tum ad corrigenda vitia, tum ad confirmandam teneram imbecillemque virtutem contulerimus. Sed hac rerum minutarum observatione nec is facile caruerit, qui in virtute iam profecit. *Cum enim tuenda sit virtus et sollicite custodienda: facile intelligitur, id non posse fieri sine acerrima diligentia, quae nihil negligat, nihil parvum putet.* Nam longe difficillimum esse, corrigere vitam et mores, fatentur omnes; sed multo tamen difficilius est, in eo statu et habitu per omnem vitam permanere. Hoc veteribus tam certum videbatur ac tam exploratum, ut non pauci essent, qui negarent, ullius hominis virtutem satis firmam esse et constantem. Cui non succurrit *Simonideum* illud, de quo copiosa est *Socratis* apud *Platonem* disputatio in *Protagora* [176]): *bonum fieri, difficile quidem esse, neque tamen superare vires humanas: sed constanter ac nullo non tempore esse bonum et manere, id quidem non cadere in hominis imbecillitatem, id praeter Deum posse*

176) Pag. 339 sqq. edit. *Bipont.* Addenda est *Heynii* super hoc loco commentatio in *opusculis academicis*, tom. I. p. 158 sqq.

neminem. Eſt autem haec de inconſtantia virtutis humanae ſententia communis fere veteribus omnibus, quod facile poſſet, ſi id iam ageremus, locis multis demonſtrari. Similia reperiri in libris ſacris, quis nescit? Hac enim de cauſa commendatur ubique, ut iam ſupra vidimus [177]), *vigilantia* curaque ſumma, quae diligenter circumſpiciat omnia; quod nihil difficilius eſſe poteſt, quam in hac hominum peſſimorum turba et colluvione integrum manere et labis expertem. Quae cum ita ſint, in promtu eſt, conſervari virtutem non poſſe, *niſi fuerimus muniti adverſus illecebras malorum, quae ſaepe latenter ſe inſinuant*, et animum opinione citius ad vitia praeparant. Scilicet in iis quoque, qui virtutis ſtudio dediti ſunt, *ſtatus animi* interdum ita comparatus eſt, ut habeat ſceleris quandam veluti comminationem, quam is, qui ſibi non ſemper conſcius fuerit mutationum internarum omnium, et attentionem, minima quaeque complexam, paulisper remiſerit, non ſine maximo periculo negliget. *Epictetus* apud *Arrianum*, ut iam ſupra obſervavimus [178]), hanc negligentiam et incuriam, quae interdum optimo cuique obrepit, μικρὸν appellat ἀποσροφὴν λέγε, et recte obſervat, ſi quis hoc modo dormitaverit, facili negotio fieri poſſe iacturam et ever-

177) Conf. §. XXVII.
178) Conf. §. XXII.

ſionem eorum omnium, quae antea magno ſtudio collecta fuerint. Cauſae vero, quae efficiunt, ut interdum vel boni viri adverſus malorum illecebras non ſatis ſint muniti, et praeter opinionem abripiantur ad flagitia, a quibus ſibi videbantur alieniſſimi, ſunt generis varii, nec a virtute ſua defendet magna pericula, qui mentem non diligenter acuerit ad animadvertendas res leves multas. Primo enim *res externae* interdum leniter nos afficiunt, et multa ſaepe earum ſimulacra illabuntur ſimul. Hoc ubi fit, omnis animi attentio facile traducitur ad ea, quae ſenſus pulſant, et cum ſuavitate quadam ad eos affluunt; avertitur autem ab appetitibus, qui iſtis imaginibus ſollicitantur, et ad perpetranda ſcelera nos praeparant. Iam niſi quis, cum ita fuerit affectus, et multis rerum extrariarum ſimulacris diſtractus, mature ad ſe redierit, et animadverterit, aditum quemdam patefactum eſſe vitiis; facile, ubi minimum acceſſerit irritamentum, vel improviſa temporis et loci opportunitas peccandi occaſionem oſtenderit, appetituum violentia abreptus ruet in ſcelera, et uno tempore perdet, quae ſigillatim ac diu collegerat. *Davidis* caſum, qui hoc modo graviter lapſus eſt, iam ſupra commemoravimus [179]); plena autem eſt omnis hiſtoria ſimilibus exemplis.

---

179) Vid. §. XXII.

Etenim atrociſſima flagitia haud raro ſunt ab iis commiſſa, qui non parum et ſibi, et aliis in virtute videbantur profeciſſe, et quos parva incuria, parva ἀπροσφὴ λόγε, rerum extrariarum leni motu effecta, imprudentes peſſumdedit. Et quis eſt, qui non ipſe talia pericula adierit ſaepius; qui inopinato rerum extrariarum nexu illectus, interdum non fuerit proclivis ad peccandum et praeparatus, ac vere lapſus eſſet, ni vel defuiſſet occaſio, vel aliquod impedimentum caſu cohibuiſſet ruentem iam et incitatum. — Accedit *ipſius corporis vis in animum.* Quis enim neſcit, e corpore exſiſtere multa, quae acuant mentem, multa, quae obtundant, atque omnino tantam eſſe vim eorum, quae in corpore fiant, ad habitum mentis, ut aegritudines, irae, libidines haud raro inde proficiſcantur. Sed haec tyrannis, quam corpus exercet in animum, et quam vel optimi ſentiunt, non ſemper nos impellit vehementiori impetu, qui ſtatim excitet attentionem, et efficiat reſiſtendi propoſitum. Plerumque leniter flectunt animi ſtatum cupiditates corporis, ſenſimque mutant in peius, ut imperiti, qui non didicerunt, ſe ſuaque omnia diligenter obſervare, ſaepe neſciant ipſi, quomodo exarſerit, ac tam ſubito aucta fuerit prava quaedam libido. Nonne igitur etiam is, qui aliquantum in virtute proceſſit, facile poterit omnia perdere, ſi negligentior factus non curave-

rit primos iſtos ac parvos cupiditatum motus et comminationes, a corporis contagione excitatas? Quid enim impediat, quominus pronus ruat in ſcelera, ſi animum, hoc modo ad peccandum praeparatum, invitaverit aut locus opportunus, aut tempus, aut irritamentum quoddam aliud? Monendus eſt, qui virtutem, quam comparavit ſibi, ſollicite tueri voluerit, ut, quantum fieri poſſit, ea quoque, quae corpus molitur, omni tempore diligenter animadvertat, caecosque ſtimulos, quibus ſaepe latenter laceſſit animum et pungit, mature diſcat retundere. — Denique *vehementiores animi cupiditates*, quae nondum ſatis ſunt repreſſae ac debilitatae, ſed interdum liberius erumpere conantur, ſaepe praeter exſpectationem efficiunt etiam in bonis viris praeparationem illam ad ſcelera, eamque μαχὴν ἀποσοφὴν λέγω, de qua hactenus dictum eſt, et quae virtuti vehementer nocet, ſi neglecta fuerit. Etenim cupiditates, quae aliquamdiu liberius dominatae ſunt, etſi ab his, qui virtutem colere incipiunt, coercentur omni cura, tamen diu retinere ſolent vim nimiam, et facili negotio iterum ſollicitantur. Quo magis igitur aucupantur quaſi omni tempore erumpendi locum, et quo celerius arripiunt, quae ipſis obiecta fuerint, omnia: eo magis curandum eſt, ſi conſervare virtutem ac tueri voluerimus, ut, ſi qua cupiditas olim in nobis fuerit vehementior,

huius potiſſimum motus, minimos quoque, diligenter obſervemus, ne imprudentes ſecum auferat. Qui olim nimio ducebatur ſtudio gloriae, vel pecuniae, vel proclivis ad invidiam fuerat, ad fraudes, ad calumniam: is, quamquam exercitatione ac diligentia repreſſerit ea vitia, tamen ſummam adhibere curam debebit, ne, occaſionem nacta, vires reſumant, iterumque prorumpant. Quis igitur non videt, quantum ſit in cuſtodienda virtute rationem habere etiam minimarum rerum, quae nocere poſſint, et ad peccandum allicere? Atque in hoc cernitur *vigilantia* illa, quam, ut ſupra vidimus [180]), omni modo commendat atque inculcat Chriſtiana religio. Acri enim ſollertia, quae ſemper excubet, quae in partes omnes intendat aciem, quae viciſſitudines omnes cum externas, tum internas contempletur et curet, tali, inquam, ſollertia opus eſt ei, qui cavere voluerit, ne virtus, in animo nata, iterum intereat.

XLVIII.

Sed virtus quoniam *conſervari* non poteſt, *niſi perpetuo crescat et augeatur*: ſequitur, *ut nec de hoc incremento recte iudicaturus ſit, nec*

---

180) Addenda eſt praeclara *Epicteti* apud *Arrianum* diſputatio ſuper hac re l. IV. c. 12, qua nihil eſſe poteſt verius, nihil gravius atque utilius. Illuſtrari commode, quae hic diximus, poterunt iis quoque, quae *Moeſer* probabiliter finxit in opere praeclaro: *Patriotiſche Phantaſien*, Part. IV. p. 63 ſqq.

feliciter in virtute progreſſurus is, qui parvas animi mutationes, et minuta quaedam ſigna neglexerit, e quibus de univerſo animi ſtatu coniectura facienda eſt. Primo enim conſtat, integrum verae virtus ſtudium eſſe debere *animi vehementem et aſſiduam occupationem, quae nunquam ceſſet, nunquam languescat et intermittatur.* Neque enim otium agere interdum licet ei, qui virtutem conſectatur, et, quae exercitatione ac labore collegit, cuſtodire vult et roborare. Iam lapſus eſt ac deterior factus, qui in via ad virtutem deſierit progredi, et ad maiora tendere. Ut enim hi, qui per ardua enituntur, ſi ſemel contentionem remiſerint, cum impetu retro feruntur, nec facile cohibere ſe, et, quo loco volunt, poſſunt inſiſtere: ita is, qui iam profecit in virtute, ſi negligentior factus fuerit, opinione citius, vel in priſtina vitia revolvetur, vel incidet in alia et nova. Hoc ipſum autem, utrum progrediamur, an facta ſit quaedam ceſſatio, iudicari aliter non poteſt, niſi ſic, ut parva multa, quae ſentit animus, et agit, diligenter obſervemus. Videndum igitur eſt, utrum ea, quae in ſtudio virtutis olim non ſine magna difficultate peragebamus, iam facilius ſuccedant et expeditius; utrum officia, quae olim acerba videbantur ac moleſta, placere incipiant, ac nonnihil oblectationis habere; utrum errores leves, et vitia quaedam minuta, quae ob

parvitatem olim a nobis ſolebant negligi, et expertia culpae videri, iam graviora habeantur, ac displiceant vehementius; utrum habitus pravi, qui olim pertinaciter haerebant, ſenſim minuantur et evanescant; utrum commotiones animi, ſive tabificae fuerint, ſive hilariores, conquieverint, et facilius, quam antea, ſedari poſſint; utrum ea, quibus olim facile ſollicitabatur prava libido, vim ſuam amiſerint, nosque leviter tantum afficiant. Haec et alia multa, quae nunc ſigillatim commemorare non vacat, conſideranda ſunt ei, qui ſcire voluerit, utrum proficiat, nec ne. Iam cum illa omnia tam parva ſint, ut non niſi ab eo animadverti et iudicari poſſint, qui nunquam deſinat attente circumſpicere omnia, quae intus fiunt ac mutantur: facile intelligitur, cuſtodiri virtutem ſine diligentia, quae vel in minimis curioſa ſit, non poſſe. — Quoniam porro *in habitu poſita virtus eſt*, ii vero, qui negligentiores fiunt tardioresque ad exercitationem, facile vel comparatum habitum iterum amittunt: quis non videt, *ad virtutis cuiusque conſervationem maxime requiri hoc, ut illud actionum genus, quod ad quamque pertinet, ſuscipiatur ſaepe, ac ſine intermiſſione continuetur.* Sed haec exercitatio perpetua fere tota conſtat rebus et actionibus minutis. Saepe revocanda ſunt in animum placita, quae vitam regere debent; diligenter ponderanda momenta,

quibus in agendo ducimur; nulla praetermittenda occasio, quae virtutis exercendae locum det; saepe consulto faciendum periculum, utrum tolerare, quae molesta videntur, vel abstinere te ab iis possis, quae vehementius expetuntur. Nunquam desinet, qui, quae sibi studio et labore peperit, noluerit perdere, etiam tum, cum nullum exsequendum est munus officii, quod necessitas et tempora postulent, cogitare, sentire, moliri, agitare nonnulla, quibus aut vitia, quae adhuc supersunt, corrigantur, aut alantur sensus honesti, aut virtutis amor confirmetur et augeatur. Sed huic assiduae occupationi is demum recte vacabit, qui minima quaevis in usum suum convertere, et undique aliquid decerpere didicerit, quod prosit et adiuvet. — Admonendum denique etiam illud est, conservari virtutem non posse, *nisi in excolendis partibus eius singulis adhibeatur modus quidam, omnique studio caveatur, ne, cum quasdam sectamur, negligamus reliquas.* Nihil autem est, in quo homines saepius peccent, quam in demonstranda prudentia, quae semper mediocritatem tenet, et inter nimium et parum caute consistit. Nam eorum, qui virtutem aliquam diligentius instituunt colere, nonne facile extra modum prodit impetus, et in vitium incurrit contrarium? Magnum enim est et arduum, recte nosse et diligenter observare certos illos fines, *quos*

ultra citraque nequit consistere rectum. Si quis igitur non fuerit bene exercitatus ad videnda et iudicanda parva quaevis discrimina, incidet paene inscius in vitia, cum ad virtutem contendit, et praeclara ausus, peccabit. Qui parsimoniae operam dant, facile delabuntur ad avaritiam; qui communes esse volunt, et humani, non semper satis bene personam tuentur, quam sustinent; liberales nonnunquam temere profundunt, quae sapienter collocare debebant; qui severitatem demonstrare volunt, haud raro incidunt in duritiam et inexorabiles fiunt. Quis non intelligit, hac in causa res minutas saepe maximum habere pondus, nec modum tenere, et virtutis praestantiam conservare posse, qui non minima quaevis sentire subtiliter et animadvertere didicerit. Accedit inprimis hoc, *virtutem veram semper adesse debere totam*, et partes eius omnes ita cohaerere, ut divelli nullo modo possint. Verissimum enim est illud *Ciceronis* [181]), virtutem nihil aliud esse, *quam in se perfectam et ad summum perductam naturam.* Scilicet integra virtus omnes complectitur rectas animi affectiones, et qui eam consecutus est, is datas a natura vires ita perfecit et exercuit, omnes autem impetus naturales ita regere didicit, ut omni tempore talem se praestet,

181) De Legib I. I. c. 8. §. 25. Add. quae *Garvius* disputavit ad *Ciceronem de Officiis* Part. I. p. 14-40.

qualis esse et debet, et per suam naturam potest. Est igitur in eo, qui integram habet plenamque virtutem, qui est, ut cum scriptura loquar, τέλειος καὶ ὁλόκληρος Iac. I, 4. Matth. XIX, 21 mirabilis quidam rectarum animi affectionum concentus, mirabilis eorum omnium, e quibus conflatur et efficitur honestum, in omni actione ac vita temperatio, et aequabilis quaedam mistio. Perit enim virtutis praestantia, si qua ipsius pars ita excolitur, ut reliquis officiat, et sublata sit iusta proportio. Sed quantum sit et quam difficile, rectas animi affectiones omnes non modo comparare sibi, et universam mentis indolem perficere exercitatione et studio, sed etiam coniungere virtutes singulas atque ita miscere, ut conspirent inter se et aptae sint, ut altera alteram adiuvet, et omnes unam efficiant atque consentientem animi praestantiam, hoc, inquam, quantum sit, et quam difficile, pauci satis intelligant, pauciſſimi in vita ipsa tantae rei rationem habent. Quis enim nescit, quanta sit multitudo eorum, qui sibi videntur boni, et virtutem veram consecuti, quod in una alterave eius parte excellunt, et quibusdam officiorum generibus diligenter satisfaciunt; cum tamen alia aut plane negligant, aut satis perfunctorie tractent. Hoc inprimis ii faciunt, qui sunt natura ad aliquam virtutem proclives, eamque haud difficulter exercent. Hi enim fere semper non tantum

excedere modum in eo ſolent, ad quod ſponte feruntur; verum etiam vehementer ſibi in ea re placent, quamquam reliqua moleſtiora officia deſerant. Nec mirum eſt, plurimos hoc modo delinquere. Etenim ad virtutem integram et abſolutam qui contendit: is debet omnem animi ſui indolem, et ſtatum eius univerſum accurate cognitum habere et perſpectum, ad videnda vero minima quaevis ſenſu praeditus eſſe tam acri, ut nihil ipſum lateat, ut ſtatim et ſubtiliter animadvertat, ſi quid in motibus internis et in omni actione discrepet, et a concentu, quam vera virtus poſtulat, abhorreat. Quodſi igitur ſine hac attentione, quae ad omnia pertinet, omnemque mentis ſtatum, ac viciſſitudines eius minimas complectitur, vera virtus adolescere in animo et confirmari nequit: ſatis, putamus, effectum eſſe, nec eum, qui *tueri* velit bona, labore et exercitatione parta, carere poſſe cura, quae ſe demittat ad parva, et per haec ad maiora contendat.

XLIX.

Veniamus denique ad ultimum, quod ſupra propoſuimus, et oſtendamus, *eos etiam, qui velint vera uti ac perpetua animi tranquillitate, oportere rationem habere rerum minutarum, quae ſaepenumero aut perturbant animum, aut exhilarant atque confirmant.* Hic autem ſumimus, quod omnes facile conceſſuros eſſe putamus, animi

tranquillitatem exſiſtere ex eo, ſi quis ita poſſit omnes commotiones animi moderari, ut felicitatis ſenſum nunquam penitus exſtinguant. Hoc autem ſit *tribus* modis; *fugienda ſunt ea, quae nos facile turbant, et pectus adverſus eorum vim diligenter muniendum; colligenda etiam ſunt omnia, prudenterque adhibenda, quae commotum animum ad quietem reducere, et efficere poſſunt, ut moderatum in omni re ſervare diſcamus conſtantiam; ipſe denique felicitatis ſenſus ita eſt acuendus et augendus, ut poſſimus ſemper e bonarum rerum uſu voluptatem capere maximam.* Sed haec omnia parum recte ſuccedent, ſi neglexerimus res minutas. Primo enim dici vix poteſt, *quot res leves et parvae apud incautos excitent libidines, formidinesque vanas*, et omnem tranquillitatem funditus tollant. Quod enim homines plurimi fere perpetuis agitantur motibus, et raro ſunt a perturbatione vacui, eius rei cauſa non ſemper eſt in eventibus magnis, qui etiam fortem et conſtantem virum poſſint aut metu, aut deſiderio ac ſpe implere, ſed plerumque in mutationibus parvis, et rebus obviis, quae vel plane contemni debebant, vel certe non magnopere curari. Admonuimus iam aliquoties, iram, odium, invidentiam, zelotypiam et perturbationes multas alias, quibus, quaſi tempeſtatibus, quatitur animus quotidie, excitari vulgo rebus parvis et levi-

bus. Videndum igitur eſt, ne mollitudini noſtrae nimis indulgeamus; audeamus potius, cum leves res et minutae nos ſollicitaverint, celeriter reſiſtere, et animum magis magisque obfirmare [182]). Nihil autem eſt, in quo maiorem diligentiam adhibere debeat is, qui animo tranquillo eſſe vult, quam in *ſpe* ac *metu*. Ac *ſpe* quidem tolli tranquillitatem, praeſertim ſi bonum, quod exſpectamus, ſitienter expetatur, et adimetus ſit quidam metus, nemo non videt. Atqui ſpes plurimae et fallaciſſimae excitantur, ſi verum fateri volumus, rebus leviſſimis. Promus enim eſt animus ad exſpectationem eorum, quae vehementius optat. Arripit itaque cupide, quidquid ſpem aliquam facere videtur, rebusque minimis, modo faveant excitatae libidini, vim tribuit maximam. Nec poſſent profecto toties faili ſpes noſtrae, niſi nimis credulae eſſent, et opinionibus niterentur longe falſiſſimis. Commotionem igitur moleſtam, quae cum quavis ſpe ſollicita ſolet eſſe coniuncta, et aegritudinem, quae nos affligit, cum ſpes inanes evanescunt, tum demum vitabimus, cum diligentius obſervare coeperimus vim rerum multarum levium, quibus interdum paene inſcii in ſpem quandam adducimur. Videndum igitur eſt, cum animus ſic erigitur, unde ſit orta, quam con-

182) Conf. *Maximes et reflexions morales du Duc de la Rochefoucauld*, n. 512.

cepimus, exſpectatio, et qualia ſint, quae deſideriis noſtris blandiantur, et confidentiam afferant. Etenim quo diligentiores fuerimus in examinandis ac ponderandis iis, quae in ſpem quandam nos inducunt: eo magis patebit, ſpes noſtras plurimas eſſe vanas, et effici ſaepe rebus leviſſimis, quas contemnere incipit animus ipſe, cum propius inſpectae et curioſius exploratae ſunt. — In *metu* autem plurimum valere minima quaevis, quis ignorat? Eos, qui natura timidi ſunt, re quavis parva commoveri, ſatis conſtat. Idem accidit tum, cum bonum aliquod vehementer amamus. Metuit enim, qui ita affectus animo eſt, fere ſemper, ne quid accidat, quod rem, tantopere dilectam, ipſi eripiat; quare ſaepe ſine cauſa trepidat, leviſſima ſuſpicione, et vana quavis periculi ſpecie perturbatus. Plurimas autem et vaniſſimas formidines *ſuperſtitio* effingit. Haec enim cum occupavit animum atque oppreſſit, nihil eſt tam parvum ac leve in univerſa rerum natura, quod non poſſit ſollicitudinem afferre, et curis angoribusque diurnis et nocturnis miſeros premere. Egregie tractavit hoc argumentum *Plutarchus* in libello *de ſuperſtitione* [183]), et eſt hoc, ut facile docere poſſemus, ſi id iam ageremus, omnibus ſuperſtitionis generibus commune, ut ad mi-

183) *Opp.* Tom. II. p. 164 ſqq. ed. *Francof.* ſeu Tom. I. pag. 627. ed. *Reiske.*

nima quaevis obſervanda, exploranda et interpretanda convertant animum, atque ſic inani metu impleant et discrucient. Haec vero peſtis eo diligentius vitanda eſt, quo facilius nos afficit, et nonnunquam imprudentibus nocet. Nam, bone Deus, quot opiniones ridiculas, quot commenta ſuperſtitioſa ſuscepimus collegimusque mature, cum per aetatem nondum recte poſſemus iudicare! Has opiniones, diuturnitate temporis confirmatas, homines plurimi, cum adolevere, ne animadvertunt quidem; multos vero, qui eas evellere conantur, ſuccellus delituit, quod nonnunquam ipſa ratio parum eſficit adverſus ea, quae animus puerilis vehementius arripuit. Mirum igitur non eſt, maximam hominum multitudinem fere penitus carere vera animi tranquillitate; cum alii omnia cum ſuperſtitioſa ſollicitudine et miſeria credant, et ubique metuendi cauſas inveniant; alii, quamquam nonnulla ſuperſtitionis genera contemnant et rideant, tamen dediti ſint aliis, ſaepe non minus ridiculis ac perniciosis. In quo quantopere lapſi ſint omni tempore vel eruditiſſimi viri, ſatis docet hiſtoria. Quot autem moleſtiae, quot angores et cruciatus inanes ab hoc uno fonte dimanent, et magnos etiam, nec illiteratos viros per omnem vitam miſeros reddere poſſint, vel una docet, ut iam alia teſtimonia praetermittam, vita *Cardani*, Mediolanenſis, et quae is de ſe ipſe pro-

ſellus eſt. Rebus parvis ac levibus augeri ſolent inprimis angores eorum, qui morbo hypochondriaco laborant; horum metus ac triſtitia alimenta capiunt e re qualibet, ac mirifice nutriuntur minutiis ac nugis. Exemplum notabile *Bernidius* [184]) eſt.

L.

Atque hic non alienum erit, paucis attingere rem, quam olim ipſi ſumus experti, et quae, niſi nos omnia fallunt, etiam alios, inprimis autem hos, qui fuerint natura ἐυφαντάστοι, ſaepe vel falſa formidine anget, vel vana ſpe ludet. Ducimur itaque naturali quadam cupiditate, in rebus iis, quarum eventus incertus eſſe videtur, *captandi ſigna quaedam et omina*, e quibus futura cognoſci, et, quid vel metuendum, vel ſperandum ſit, probabiliter poſſit coniici. Vim autem maximam exſerit haec futura praecipiendi libido in iis hominibus, qui ob imbecillitatem non tam id ſequuntur, quod ratio in quavis re ſuadet, quam obſcuro quodam ſenſu regi malunt et impelli. Hi enim cum aliquid agitant, cum deliberant, cum ſunt ſolliciti de ſucceſſu eorum, quae decreverunt et inſtituunt, arripere ſolent mira cupiditate res quasque leviſſimas, quas vel caſus obtulerit, vel locus et tempus ſuppeditaverint, hasque revocant interpretatione quadam ad coniecturam de iis,

184) Vid. *eius vita* p. 741 ſqq.

quae ipſis ſint eventura. Sic orta eſt univerſa *divinatio*, inprimis autem genus id, quod *artificioſum* appellabant veteres, totum illud in coniectura poſitum, atque in obſervatione diuturna. Sic etiam in hominibus ſingulis facile exſiſtit inepta quaedam divinandi libido, quae, quamquam res leviſſimas conſectetur, et ſtultiſſime coniectet, tamen vitam ſaepe reddit ſatis acerbam, quod partim vanas formidines, partim ſpes excitat longe fallaciſſimas. Equidem bene memini, me, in aetate puerili conſtitutum, hoc divinationis genere diu ante uti, quam, quid ſit divinatio, e ſcriptoribus vetuſtis didiciſſem. Nihil tum agitare ſolebam, nihil ſuscipere, nihil exſpectare, in quo non omina quaedam caperem, et, quidquid in promtu eſſet, vel accideret, ad eventus futuri ſignificationem varie traherem. Vidi poſtea, cum adoleviſſet ratio, eiusque conſuetudinis vanitatem intelligere coepiſſem, ad animum falſis terroribus, et inani formidine vexandum, nihil efficacius eſſe hoc errore, et ab hac parva re, tanquam a fonte, dimanare magna mala. Nec dubito, eſſe multos, ſemperque fuiſſe, quos idem error deciperet. Mirabar, cum in iis, quae de vita ſua reliquerunt et confeſſi ſunt *Auguſtinus* [185]),

185) Multa ex hoc genere paſſim reperiuntur in *Confeſſionibus* viri; locus vero inprimis notabilis eſt lib. VIII. cap. 11 et 12.

Cardanus[186]), *Ruſſovius*[187]), alii, ſimilia legerem; quorum ſimplicitatem et candorem in ſcribendo ſi plures imitarentur, facilius poſſet intelligi, quam late pateat hoc malum, et quantam vim habeat ad perturbandos hominum animos. Nec errabimus, ſi multos eorum, qui perperam ſentire putabant inſtinctum aliquem et inflatum divinum, hac potiſſimum via ad eum furorem perveniſſe credamus. Nam quid impedit, quominus is, qui a pueris captavit omina, praeſertim ſi vehementior in eo fuerit vis phantaſiae, et eventus coniecturam, ut ſit, interdum confirmaverit, tandem credere incipiat, agi ſe et moneri divino quodam ſpiritu; qua in re ſibi vehementer placet ad vanitatem proclivis mens humana[188]). Sed etſi non ſemper eo progreditur haec tacita privataque divinandi libido, ut ſuperſtitionem fanaticam effi-

---

186) Conf. *Vita* eius, quam ſupra iam laudavimus, et quae plena eſt iſtius ſuperſtitionis veſtigiis. Cognoſcenda ſunt inprimis ea, quae Cap. XLI. XLIII et XLVIII de ſe narrat *Cardanus*.

187) In *Confeſſionibus*, Part. II. p. 164 ſqq. verſ. Germ., qui locus, cum in eum incidiſſem, dici non poteſt, quantopere me commoverit, quod puer modo prorſus ſimili ſaepe deſipueram.

188) Legat, qui mentis humanae imbecillitatem accuratius noſſe cupiat, opus eruditum, cuius auctor eſſe fertur *Adelung*, et cuius iam ſeptima pars prodiit: *Geſchichte der menſchlichen Narrheit*. Continet is liber vitas multorum, qui hoc modo lapſi ſunt, et refertus eſt non modo doctrina varia et copioſa, ſed monitis etiam praeceptisque longe utiliſſimis.

ciat: tamen monendi ſunt omnes, ut has ineptias, quae, dici non poteſt, quam facile in conſuetudinem abeant, diligenter vitent. Acerbam profecto et inani metu plenam haec parva res facit vitam eorum, qui, quam vanum ſit hoc totum, rationis beneficio nunquam perſpicere discunt. Alii vero, quamquam iudicare coeperint rectius, tamen non ſemper poterunt impedire, quominus interdum ſentiant infractionem quamdam animi ac demiſſionem, quae ab illa priſtina conſuetudine proficiscitur. Sed haec hactenus; revertamur in viam.

LI.

Res igitur parvae, quae fugiendae ſunt propterea, quod turbare ſolent animi tranquillitatem, non modo *excitant*, ut hactenus oſtenſum eſt, commotiones, a recta ratione averſas: ſed excitatas *alunt etiam et augent*; quod qui vel ignoraverit, vel neglexerit, perperam laborabit in ſedandis perturbationibus, et efficienda placida quietaque animi conſtantia. Inprimis autem commotiones eae, quae dicuntur *tabificae*, undique ſolent arripere nonnulla, quae vim mali augeant, et graviorem morbum conficiant. Cum enim ſua natura non agant, ut perturbationes hilariores, cum impetu et celeritate quadam, ſed tardiores ſint: nihil fere ſolent praetermittere, quo poſſint nutriri, ſed minima quaeque conſectantur. Exemplo eſſe

poteſt *aegritudo*. Quid enim eſt tam parvum ac leve, quo animus aeger et affectus non offendatur, quo non aboti ſoleat ad augendum dolorem? Quid non conquirunt ii, qui ſunt in luctu? Nonne, quod ſua voluntate moerent, ſtudioſe colligunt omnia, quae dolorem augeant et foveant? Hinc fit, ut ſolitudine delectentur, et recellus petant. Ibi redeunt in memoriam eorum omnium, quae pertinent ad mores et vitam eius, cuius obitum lugent; ibi minima quaevis repetunt, quae ille dixit, fecit, paſſus eſt; ibi ſaepe magnam noctis vel diei partem in eius imagine exigunt; ibi congerunt omnia, vilia quoque et parva, quae is reliquit, quibus olim uſus eſt, quae contrectavit, et his fomentis paulisper acquiescunt. Sed quis non intelligit, haec omnia non extenuare moleſtiam, non diluere, ſed, quamquam ſint levia, tamen alere dolorem et identidem renovare. Efficaciſſimae ſunt, ut *Seneca* recte monuit [169]), ad vexandos lugentium animos recentis converſationis notae; vigebit igitur dolor et habebit quandam viriditatem, quamdiu haec parva conſectatus fuerit, et ſtudioſe congregaverit. Similis ratio eſt ceterarum perturbationum, quibus tabescit animus, et quae cum aegritudine quadam ſunt coniunctae. Metum enim, ſollicitudinem, amorem, zelotypiam, in-

169) In *Conſol. ad Helv.* cap. 15. Add. *Eſſais de Montaigne* Tom. VII. p. 89. 90.

videntiam, aliasque commotiones, quae, quod sunt quietiores, insidunt quasi in venis ac medullis, et pertinaciter haerent, infinita paene rerum minutarum vi ali et confirmari, sciunt omnes, qui cum se, cum alios paullo curiosius observarunt. Discant itaque, qui animi tranquillitatem conservare voluerint, circumspicere omnia, quae motus turbidos et inimicos rationi possint efficere, semperque meminerint, in his esse etiam parva multa, quae eo diligentius vitanda sint, quo facilius lateant, et incautos decipiant.

I. II.

Cum autem indolentia, quae nihil sentiat, nec ulla re vehementius commoveatur, non cadat in naturam humanam, sed sit in animis nostris tenerum quiddam et molle, quod rebus externis patet, earumque vi et impetu facile quatitur: *colligenda quoque sunt omnia, prudenterque adhibenda, quae commotum animum ad quietem reducere, et efficere possunt, ut moderatum servare discamus constantiam.* Atque in his perturbationum remediis etiam parva multa sunt, quorum vis ad commutandos hominum animos saepe longe maxima est. Non neglexerunt hoc rhetores vetusti, qui in praeceptis de *insinuatione* omnia retulerunt ad hoc, ut auditores, quibus ab adversario aut fides sit facta, aut qui audiendo defessi sint, a defensore re quadam, parva quidem illa, sed nova, et quae

audiendi studium iterum incendant, reddantur benivoli, attenti ac dociles [190]). Recte enim viderunt, saepe re parva, si praeter exspectationem accidat, repente in contrarias partes rapi hominum animos, et motus suscipere plane diversos. Hoc etiam iis interdum proderit, qui in compescendis ac sedandis animi sui commotionibus laborant. Interdum enim *casu* nonnulla eveniunt, quae, si prudenter usurpantur, affecto animo opem ferunt, eumque subito tranquillant. Magna fuit Romanorum ἀθυμία, cum a Gallis capta et vastata urbs instauranda esset, partim quod laborabant summa rerum omnium inopia, partim quod multi, obsidione et calamitatibus aliis fracti, ne corpore quidem ipso satis valebant. Accedebat vox tribunorum, qui, relictis ruinis, in urbem paratam *Veios* transmigrandum censebant. Nec dissipasset civium tristitiam oratio *Camilli*, vehementer dissuadentis tribunorum consilium, nisi parva res, vox opportune emissa, dubitantes subito confirmasset. Cum enim senatus hisce de rebus haberetur in curia Hostilia, et revertentes ex praesidiis cohortes, forte agmine forum transirent, centurio, ut *Livius* rem narrat [191]), in comitio exclamavit: *signifer, statue signum; hic*

---

190) Vid. v. c. quae auctor librorum *ad Herenn.* hac de re praecipit l. I. c. 6, 5. 10.

191) *Hist.* l. V. c. 55. add. *Plutarchus* in *Camill.* c. 32.

manebimus optime. Qua voce audita, et ſenatus, *accipere ſe omen*, e curia egreſſus conclamavit, et plebes circumfuſa approbavit. Sic igitur omnes, aegritudine depulſa, ad excitandam urbem alacri animo acceſſerunt. *Plutarchus Diogenem Sinopenſem*, auctor eſt [192]), cum aliquando in magnam triſtitiam incidiſſet, et iam eſſet in eo, ut philoſophandi conſilium abiiceret, ac reverteretur ad luxuriam mollitiemque Athenienſium, ſubito confirmatum eſſe, et animum iterum erexiſſe, cum adrepere vidiſſet murem, et colligere cum voluptate micas mazae, quae ſupererant de tenui philoſophi coena. Parvum hoc erat, quis neget; ſed extenuavit moleſtiam, quod praeter exſpectationem contigerat, ac repente ſenſus excitavit dignos homine libero, qui praeſtare continentia ceteris animalibus debet. Sic vel occurſus et adſpectus magnorum virorum, qui diligentia, virtute, conſtantia e miſeris et obſcuris beati ac nobiles facti ſunt, ſaepe animum addidit adoleſcentibus ingenuis, conflictantibus cum adverſa fortuna, eosque nova ſpe exhilaravit. *Nunquam inutilis eſt*, inquit *Seneca*, *opera civis boni; auditu enim, viſu, vultu, nutu, obſtinatione tacita, inceſſuque ipſo prodeſt.* Pauca fuerunt *Scipionis Africani* verba, quae *Marium*, hominem obſcurum et pauperem,

192) *De prof. virtut. ſent.* pag. 77. 78. Conſ. *Aelianus Var. Hiſt.* l. XIII. c. 26.

erexisse dicuntur in spem longe maximam, et ad capessendam rem publicam impulisse. Cum enim aliquando inter coenandum e convivis aliquis Scipionem interrogasset, quemnam post ipsum populus Romanus talem ducem ac principem habiturus esset, fertur *Scipio*, manu Marii humero leniter percusso, respondisse: *hunc forte*. Haec vero vox, quasi divinum quoddam oraculum tantopere confirmavit hominem opibus omnibus destitutum, ut ex illo tempore ad honores summos studiose contenderet [193]). Quantum vero valeant levissima quaeque ad *comprimendos* quoque motus vehementiores, bene intellexit *Hypatia*, *Alexandrina*, mulier in philosophicis et mathematicis versatissima. Haec, auctore *Suida*, cum de auditoribus quidam eam deperiret, pannos, mensibus foedatos, ei ostendit, et dixit: *hoc quidem amas, o iuvenis;* eumque hoc modo sanasse fertur [194]). Sed infinitum esset, omnia persequi, quae in vita quotidiana solent accidere, et, quamquam videri queant levia, tamen, si diligentiam adhibuerimus et curam, ad tranquillandos animi motus commode possunt transferri. — Nec exspectandum semper est, donec casus nobis opem ferat. *Consulto possunt conquiri parva quidem,*

---

193) Conf. *Plutarchus in Mario* c. 3 et 4.

194) Conf. quae in *Historia mulierum philosopharum* de hac femina congessit *Menagius* p. 494 sqq.

sed non contemnenda perturbationum remedia. Dominus, ut iam supra monuimus, curas et angores animi levare nos iubet contemplatione naturae, et spectare volucres, flores, gramina. Si tristitia vehementior occupaverit animum, quod aut spe quadam decidimus, aut damnum aliquod passi sumus: invabit, commoda ea, quibus adhuc fruimur, diligenter et numerando quasi percensere, ne minimis quidem praetermissis. Nam ut taceam, averti sic animum et revocari a cogitatione mali, quod tristitiam efficit: ir ista copia bonorum, quibus cumulati nobis videbimur, si omnia diligenter fuerimus complexi, non pauca erunt, quae animum vehementius moveant, nosque paullatim ad hilaritatem reducant. Quid levius videri potest garrulitate ac blanditiis infantum? Sed quoties haec parva res aegritudinem maximam leniit? Quis non ipse expertus eli, quam vere ac sapienter hoc genus solatii *Helviae* matri commendet *Seneca* [195]). Temperare mihi non possum, quin locum elegantissimum adscribam: *respice*, inquit, *Marcum, blandissimum puerum, ad cuius conspectum nulla potest durare tristitia: nihil tam magnum, nihil tam recens in cuiusquam pectore fuerit, quod non circumfusus ille permulceat. Cuius non lacrimas illius hila-*

195) In *Consol. ad Helv.* c. 16. p. 98

vitas supprimat? cuius non contractum sollicitudine animum illius argutiae solvant? quem non in locos revocabit illa lascivia? quem non in se convertet, et abducet infixum cogitationibus illa nemini fatiatura garrulitas? Atque omnino non facile quisquam erit, quem non res quaedam, leves in se ac tenues, ita soleant allicere et commovere, ut libenter in ipsis haereant, earumque cogitatione avocetur a contendis rebus aliis. Observet mihi diligenter et curiose colligat is, qui in sedandis animi perturbationibus feliciter versari vult, minuta illa solatia et avocamenta omnia, ut habeat, quibus utatur, cum abstrahenda mens est et abducenda vel ab acerbis cogitationibus, vel a rebus aliis, quarum contemplatio nocet. Fere semper sui compos erit, facilique negotio avertet se ab his, quae displicent, qui adhibuerit hoc artificium. Etenim animus, vehementiori motu agitatus et concussus, plerumque in nulla re alia libentius conquiescit, quam in parva et levi, quae cum suavitate quadam affluat, fessumque recreet.

LIII.

Vera autem ac perpetua animi tranquillitate is demum utetur, *qui ipsum felicitatis fastum ita et acuerit, et auxerit, ut semper possit e bonarum rerum usu voluptatem capere longe maximam.* Hoc autem aliter fieri non potest, nisi sic, ut exercitatione diuturna facultatem sibi comparet videndi

minima quaeque, et cum celeritate quadam percipiendi. Etenim *frui* re aliqua, quid quaeso aliud eſt, quam ſe penitus in eam inſinuare, eiusque partes omnes et bona cum perſpecta habere et cognita, tum admovere ad ſenſum, iisque prudenter uti? Quo magis autem rem, quae bona videtur eſſe et optabilis, cogitatione pertractat animus; quo magis, quae inſunt, omnia ſigillatim pertentat, ne minimis quidem praetermiſſis: eo magis animadvertit, quae placere poſſint, eo maiora gaudia colligit. Falluntur enim, qui in perfruendis rebus nolunt ſe demittere ad ſingula et parva, ſed ſatis habent, rem quamque obiter et univerſam arripuiſſe. Non cadit in imbecillitatem humanam, bona multa, quae fere ſolent cuivis rei paullo praeſtantiori eſſe propria, complecti breviter, eodemque tempore frui partibus eius omnibus. Sed qui quaerere volet, quid in rebus iis, e quibus maximam voluptatem cepiſſe ſe putat, eam delectationem ſibi attulerit: is facile animadvertet, diligentiam quandam et curam, quae in re propoſita nihil praetermitteret intactum, ſed omnia veluti numerando percenſeret, uberrima voluptate foviſſe ſenſus, et animum deliniviſſe. Divites et opulenti etſi bonis omnibus affluere videntur, raro ſunt, ut inter omnes conſtat, vere beati, ſuaque ſorte contenti. Hoc inde fit, quod iis, quae poſſident, non recte utuntur. Nam quod in omnium bono-

rum abundantia vivunt, maximisque copiis circumfluunt: ipsa multitudine ita distrungi solent ac distineri, ut omnia percipiant negligentius, in nulla re haereant, ad singula vero, quae cuivis insunt, minoraque nunquam perveniant. Plerumque igitur parva beatior is est, qui didicit frui rebus, et minima quaeque in suos usus commode convertere. Contineri autem felicitatis sensum observatione et usu multarum rerum, quae vulgo putantur leves, etiam illud docet, quod ad magnum fructum liquidamque laetitiam requiritur tranquillitas quaedam, et placida quietaque constantia. Tum enim iucunditate perfundimur maxima, cum pollimus rem, quae placet, acerrima et attentissima contemplatione contueri, hoc est, minima quaeque animadvertere et persequi. Iccirco molestе ferimus, si quis tum, cum aliqua re perfrui nobiscum constituimus, suo nos adventu, vel alloqui, vel importuna sedulitate conturbat. Impedimur enim illa avocatione, quominus possimus acri contemplatione totaque mente omnia complecti, quae latent in re bona, atque sic variam uberrimamque voluptatem capere. Quare non raro secessum ac silentium quaerimus, cum decerpere fructus uberes ex aliqua re volumus, quod in solitudine licet levissima quaeque percontari. Quid dicam de mirabili illa voluptatis ad dolorem ratione, qua fit, ut, quamquam videantur natura longe

diversissima, tamen finis sit aliquis certus, ubi se proxime contingant, et facillime possit e voluptate dolor, et vicissim oriri? Sunt enim haec duo, ut est apud *Platonem* in *Phaedone*[196], ὥσπερ ἐκ μιᾶς κορυφῆς ἠμμένω, seu, ut *Gellii* translatione huius loci utar, *alterum ex altero verticibus inter se contrariis deligatum est*[197]. Unde consequitur, ut in nulla re cautius et moderatius versandum sit, quam in capienda voluptate, a qua, si quis nimium sibi indulserit, molestiae manare solent maximae. Sed hoc totum curiosa observatione minimarum rerum continetur; has enim qui vel ignorat, vel negligit, is nunquam tenebit modum, nunquam incorruptum habebit suavitatis sensum, sed, quod bacchatur in voluptate, opinione citius e iucundissimo motu in dolores incidet. In rebus omnibus, ut recte observavit *Cicero*, *voluptatibus maximis fastidium finitimum est*[198]. — Constat porro, voluptate permulceri animum, si obiecta fuerit eximia *pulcritudinis* species. Sed hac is demum afficietur suavissime, qui sensum habuerit acrem, et idoneum ad comprehendendas res levissimas. Etenim universa pulcritudinis natura est in

196) Cap. 3. Add. *Maximus Tyrius* Dissert XXXI. p. 330. ed. *Davis.* et *Simplicius* in *Commentario in Epist. Enchir.* p. 14. edit. *Salmas.*

197) In *Noct. Attic.* l. IV. c. 1.

198) *De Orator.* l. III. c. 25. §. 100.

apta compositione partium, quae lepore quodam inter se consentiunt. Is autem consensus nonne efficitur mirabili quadam minimarum partium coagmentatione, quae in tota re nihil relinquat, quod vel asperum sit, vel hiulcum, vel rigidum, vel distortum? Sed hoc nec videre potest, nec ad animi delectationem transferre, cuius fuerit obtusior acies, et sensus hebetior. Intellectus quidam artis, et diuturna exercitatione comparata iudicii subtilitas et elegantia, quae vel minima animadvertat, esse debet, ut fatentur omnes harum rerum periti, in eo, qui, quid pulcrum, aptum, elaboratum, venustum sit in operibus artificum, recte voluerit sentire. Sic teretes requiruntur aures, ut, quid in cantu, quid in modis et numeris, vel certum sit, severum et iucundum, vel mollioribus flexionibus, voculisque falsis corruptum et fractum, subtiliter possimus iudicare. Similis est ratio in tabulis et signis. Nam id quod peritum artis et exercitatum in his operibus maxime tenet et delectat, fere semper tam parvum est, ut vix verbis possit exprimi. In oratione denique, in carminibus poetarum quod politum dicimus et suave, quod floridum et ornatum, quod aptum et moratum, id prope totum conflatum est e rebus parvis, et partim in articulis singulis spectatur, partim in toto corpore. Maxima se dele-

ctatione privat, qui haec negligit, vel ſenſum ad ea, quae cum gratia quadam dicta ſunt, nolnit acuere. Hanc ipſam *gratiam* ſeu *venerem*, quam Graeci vocant χάριν, et quae una facit, ut artis opera dici poſſint perfecta, et numeris omnibus abſoluta [199]), magis ſentire poteſt animus, quam verbis eloqui. Sed id argumento eſt, eam rebus minimis conſtare, nec recte poſſe percipi, niſi ab eo, qui fuerit acri et delicatiori ſenſu praeditus.— Atque ut omnia paucis complectar, is, qui fuerit exercitatus ad videnda parva quaeque, in univerſo terrarum orbe incredibilem rerum multitudinem inveniet, quae, quamquam ab imperitis negligantur, tamen vel pulcritudine et venuſtate, vel varietate infatiabili, vel veneribus aliis, occultioribus interdum et reconditis, animum exhilarent. Quid enim eſt in univerſo mundo, quod non ſit mirifico artificio confectum, et innumera contineat venuſtatis, ordinis ſollertiaeque veſtigia? Qui igitur memmerit, hominem a Deo non ſine cauſa excitatum et erectum eſſe conſtitutum; qui intellexerit, ſe non temere inſtructum eſſe ſenſibus, qui ſint rerum extrariarum interpretes et nuntii; ſed ad ſe pertinere ſpectaculum eorum omnium, quae hoc terrarum orbe continentur:

---

199) Conf. *Aelianus Var. Hiſt.* l. XII. c. 41.

is undiquaque decerpet et colliget, quae delectent, ei nunquam deerit lactandi materia, is vel in minimis rebus, quas imperiti non curant, reperiet non panca, quae miratiouem faciant, et voluptatem allerant multiplicem. —

Sed haec sufficiant. Metuendum enim est, ne, si in confectandis his minutiis, earumque vi explicanda, progrediamur longius, putidam inutilemque diligentiam adhibere videamur. Liceat igitur hoc totum, quod *de vi, qua res parvae efficiant animum, in doctrina de moribus diligentius explicanda*, hacteuus disputavimus, verbis finire poetae:

Non sitam haec aliquis, nam sunt quoque, parva vocabit:

Sed quae non prosunt singula, multa iuvant.

Parva necat morsu spatiosum vipera taurum;

A cane non magno saepe tenetur aper.

Tu tantum numero *pugna; praeceptaque in unum*

Contrahe; de multis grandis acervus erit.

17.

De praestantia religionis Christianae in consolandis miseris.

Praefatio.

Inverunt prolusiones de praestantia religionis Christianae in consolandis miseris, quae nunc, in libelli formam redactae, iterum prodeunt, tum tum, cum primum ederentur a me in academia Vitebergensi, interpretem, qui eas converteret in linguam Germanicam. Fuit is Fenus, apud Haynenses prope Lipsiam parochus, et cum de religione universa, tum de miseris et afflictis optime meritus. Is translationem a se confectam primo quidem Symbolis inseruit, quae ad erudiendos et consolandos miseros edidit per aliquot annos: deinde vero, me et suadente et adiuvante, novis curis emendatam, et variis ornamentis auctam, recudi curavit Lipsiae, anno cIↃIↃCCXCII. *Ne autem sine nova quadam dote emitteretur hic libellus, diligenter eum recognovi, passim emendavi et auxi, atque sic efficere conatus sum, ut iis quoque, qui versione Germanica utuntur, afferret nonnulla, quae ibi frustra quaerant. Ceterum refingere totum, et ipsam eius dispositionem mutare, nunc nec placebat, nec vacabat. Ipse enim bene scio, libelli descriptionem vitiis non carere, et multa cum melius, tum subtilius hoc de re posse disputari: tamen cum nec sic inutilis esset haec commentatio, et multis iam profuisset, eius summam intactam relinqui posse existimabam. Ser. Dresdae d.* 19. *Oct.* cIↃIↃCCXCVIII.

Religionem Christianam esse optimum adversorum solatium demonstratur ex ipsa consolationis natura.

Proœmium.

In magna varietate laudum, quibus Christiana religio cumulatur ab his, qui eius praestantiam defendunt, hominibusque commendant, celebrari solet imprimis vis excellens ac plane divina, qua consolatur afflictos, et omnes acerbitates vitae mollit ac mitigat. Et esi profecto ista laudatione nihil verius, nihilque certius. Nam etsi malorum, quibus undequaque circumfusi sunt homines et obsessi, ingens multitudo est, et infinita paene varietas: tamen Christiana religio tantam afferre potest, tamque multiplicem consolationem, ut hos, qui eius praeceptis recte utantur, aut non attingat omnino, aut perleviter pungat animi dolor. Hoc cum ipsa docet religionis indoles, quae, quidquid fractos hominum animos erigere potest et recreare spe laetissima, continet et suppeditat; tum exempla confirmant eorum, quos, maximis iactatos tempestatibus, ad hunc confugisse portum, et in eo tranquillitatem vitae, omnisque aegritudinis levationem invenisse, constat. Iam olim in ipsis apostolis vis illa, dissipandi tristitiam, omnemque vitae mo-

leſtiam abſtergendi, qua Chriſtiana religio ceteris antecellit, miriſice ſe exſeruit. Quis enim nescit, quot caſus, quot aerumnas et calamitates aequo animo tulerint et ipſi apoſtoli, et ii, qui in propaganda Evangelii doctrina ipſos adiuvabant? In his nemo fuit, quem caſibus adverſis vehementius exerceret fortuna, et in quem maiori ſaeviret acerbitate, *Paullo*. Sed is divina ſolatia, quibus vel maximas moleſtias diluit religio et extenuat, ita ſenſit, ut nihil a dignitate viri fortis ac ſapientis discederet, et in praeſentiſſimis periculis animo conſtanti eſſet et imperterrito. Legant, qui ſcire voluerint, quid hunc virum, omnis generis aerumnas diu perpeſſum, confirmaverit, alteram eius ad *Corinthios* datam epiſtolam. Haud exigua iſtius epiſtolae pars habet longam commemorationem malorum, quae expertus eſt Paullus, et quae tanta fuerunt, ac tam varia, ut iis ferendis vix pares eſſe viderentur unius hominis vires. Sed in hoc perpetuo certamine tantum abfuit, ut animo ſummiſſo eſſet apoſtolus, vel dolori ſuccumberet; ut religionis Chriſtianae beneficio abundaret ſolatiis, et alios quoque recreare poſſet. Appellat igitur, ſtatim ab initio eius epiſtolae, Deum, cuius infinita benignitas hominibus innotuerit per Chriſtum, *θεὸν πάσης παρακλήσεως, omnis verae conſolationis auctorem*, ſibique ab eo ſuppeditari, ait, tanta calamitatum ſolatia, ut et ipſe, quicquid

accidisset, moderate ferre, et afflictis reliquis Christianis consulere possit. Haec ibi persequitur latius, et profitetur, quo graviora sint mala, quae sibi sint propter Christum eiusque doctrinam subeunda, eo maiori solatio affici se per eundem Christum, idque habere debere hanc vim, ut suo exemplo confirmentur etiam alii, et impellantur, ad asperrima quaeque fortiter perferenda. Praedicat autem Paullus religionis Christianae vim et efficaciam in consolandis afflictorum animis etiam alibi saepe, idque facit non tantum *universe*, sed docet etiam passim, quomodo singularum calamitatum *propria* quaedam solatia a religione peti possint. Idem fieri a reliquis scriptoribus sacris, eorumque libros refertos esse locis, qui miseros reficere, et levare possint maerentium aegritudinem, inter omnes constat.

II. Sed videntur homines vim illam plane divinam, qua Christiana religio lenit aegritudinem, et vitae molestias minuit, omni tempore maluisse *sentire*, quam *de eius natura accuratius quaerere*. Nam etsi fatentur omnes, religionem universam esse plenam solatii, multi etiam ea, quae ex hoc genere sparsim reperiuntur in libris sacris, congregarunt diligentius, et latius exposuerunt: nemo tamen fuit, qui *rationem et viam*, qua in levando dolore utitur Christiana religio, subtilius indagaret, et ostenderet, cur eius in hac re tanta sit et

esse possit efficacia. Videtur autem haec disputatio fere penitus praetermissa esse duabus de causis. Primo quidem multi fuerunt, et sunt hodieque in ea sententia, quae Christianae religionis beneficio fiant in mentibus hominum, *ea geri occulta quadam et ineffabili ipsius Dei et Spiritus sancti vi*, et vanum esse, ac paene impium, *explicare rationem velle*, quam Deus adhibeat in afficiendis animis, eamque revocare ad leges naturae, vulgaremque agendi consuetudinem. Qui ita sentiunt, ii vehementer quidem praedicabunt solatia, quibus mederi soleat aegris hominum mentibus Christiana religio, sed de causis, a quibus vis tanta proficiscatur, parum erunt solliciti. Accedit, *in illustranda ipsa consolationis natura negligentiores fuisse et philosophos; et theologos fere omnes.* Quamvis enim undique collegerint non pauca, ad levandos maerentium dolores apta, et consolandi causa libros confecerint multos et copiosos; hoc ipsum tamen, *quid sit consolari*, et unde fiat, ut animus aeger in cogitatione quarumdam rerum placide conquiescat, et incommoda tolerabilius ferre incipiat, aut prorsus intactum reliquerunt, aut satis perfunctorie tractarunt. Vera vis et natura solatii non potest intelligi, nisi perspicue fuerit expositum, quid mutetur in animo et fiat, cum minuitur malorum sensus, et quibus legibus adstricta sit ista mutatio. Quod quia nondum satis

illustrarunt ii, qui de consolatione scripserunt: nemini mirum videbitur, nec de ea consolandi ratione, qua religio Christiana tollit aegritudinem, eamque dolentibus eripit, quemquam subtilius praecepisse.

III. *Veteres* quidem, qui consolandi causa aliquid scripsere, non ipsam exposuerunt *consolationis naturam*, neque *viam et modum adhibendi solatii* subtiliter tradiderunt; sed libros confecere consolatorios, et *aegritudinis remedia* collegere. Ex hoc genere sunt consolationes *Plutarchi ad Apollonium*, et *ad uxorem*, libellus etiam *de exsilio; Senecae ad Helviam matrem*, *ad Polybium* et *ad Marciam*; quae autem nunc sub *Ciceronis* nomine circumfertur *consolatio*, ea est, ut omnes fatentur, spuria. Iam dudum ante, testante quidem scriptore libri *de vitis decem oratorum*, quem vulgo tribuunt *Plutarcho*, *scholam consolationis* Corinthi aperuerat *Antiphon*, eratque pollicitus, velle se maerentes et miseros, audita aegritudinis causa, levare verbis [1]). Sed nec hic explicavit consolationis naturam, vel eius adhibendae modum descripsit; versatus est potius, ut reliqui omnes, in *exercenda* consolandi arte, de eius *praeceptis* parum sollicitus. *Boethii consolatio philosophiae* quamquam est satis copiosa, et multa con-

1) Conf. *Vitae X. Oratorum* in Operibus *Plutarchi* p. 312. Ed. Reisk.

tinet bene ac subtiliter disputata, tamen ipsam solatii naturam non explicat, et erat hoc etiam alienum ab auctoris consilio. Si igitur discesserimus a *Cicerone*, qui in *Quaestionibus Tusculanis* [2]) locum de natura solatii paucis attigit, nemo philosophorum veterum, quorum quidem scripta ad nos pervenere, hac de re accurate praecepit. Est autem ipsa illa *Ciceronis* schola de *leniendo aegritudine* non ita comparata, ut *omnem* solatii indolem subtiliter explicet, et universam consolandi rationem complectatur; differit enim *Cicero* in eo libro, ut et in reliquis quaestionibus Tusculanis, paullo liberius, et ad artis subtilitatem parum accommodate. Ceterum placita, quae affert ibi e reliquorum philosophorum scriptis, nunc deperditis, argumento esse possunt, veteres locum de natura consolationis, nec satis subtiliter, nec totum et plene perscripsisse. Etiam *rhetores*, etsi genera causarum, et proprios cuique causae locos diligenter persequi solebant, consolandi tamen artem fere penitus praetermiserunt. *Cicero* hoc diserte admonet et reprehendit. *In eodem silentio*, inquit, (nam antea iam questus erat, res gravissimas a rhetoribus praetermitti) *multa alia oratorum officia iacuerunt, cohortationes*, consolationes, *praecepta, admonita, quae tractanda*

2) Lib. I. II. et III.

sunt omnia disertissime, sed locum suum in iis artibus, quae traditae sunt, habent nullum [3]). Id etiam neglectum est a *patribus*, quos dicunt, *ecclesiae*. Hi saepe quidem cum iis malorum solatiis utuntur, quae iam antea proposuerant philosophi, tum adiungunt reliqua, religioni Christianae propria; qua in re nonnulli, nominatim *Basilius* [4]) et *Chrysostomus* [5]), praeclare versati sunt. Sed viam, quam sequi consolantes debeant, et universam solatii vim atque naturam, ne tetigere quidem. Atque hoc fere modo ii quoque disputarunt, qui *recentiori tempore* scripta consolatoria ediderunt. Est quidem hoc genus admodum copiosum; vulgo enim putant, nihil esse facilius, quam consolatorem agere, et proferre nonnulla, quae ad levandum maerentium dolorem pertineant. Sed in tanta copia librorum vix unus et alter est, qui, quid sit consolari, et qua in re posita sit solatii natura, paucis explicet. Veteres quidem *philosophos* in conscribendis consolationibus imitati sunt, ut constat, *Cardanus* [6]),

---

3) *De Orator.* l. II. c 15. § 64.

4) Conf. Sermones *de morte, de tristitia et animi dejectione, de patientia et longanimitate;* inprimis vero *tractatum de consolatione in adversis.* Opp. tom. II. p. 637. ed. *Gaen*

5) In homiliis saepe; vid. v. c. *Florileg. Chrysost. hom.* I. XIX et XXXI.

6) In libris *de consolatione, et de utilitate ex adversis capienda.*

Petrarcha [7]), *Lipſius* [8]), et alii. Sed hi remedia dolorum propoſuere; artem inveniendi, quae proſint, et commode tradendi, ne delibarunt quidem. Exſtant etiam *Philippi* cuiusdam *primae lineae ſyſtematis philoſophiae paracleticae*, quas autem videre, nobis nondum contigit [9]). *Theologi* in colligendis et proponendis iis ſolatiis, quae peti poſſunt e ſcriptura ſacra, ſatis diligentes fuerunt; ſed parum ſolliciti de eorum natura ac de ratione univerſa, qua Chriſtiana religio miſeros recreat; quae eſt, ut infra videbimus, plane ſingularis ac divina. *Lutheri ſcripta conſolatoria*, quorum nonnulla multa continent bonae frugis [10]), afferunt aegritudinis remedia varii generis, conſolandi rationem et modum non explicant. *Melanchthon* vero in *locis theologicis* ſigillatim nonnulla disputavit *de calamitatibus et cruce, et de veris conſolationibus* [11]). In quo quamquam brevior fuit, tamen longe ſuperavit eos, qui ante ipſum de natura ſolationum, ac de fontibus, a quibus derivanda ſint, dicere quaedam inſtituerant. Recenſet enim *quinque locos* conſolationum, ab ipſo Deo traditos, quos meminiſſe neceſſe ſit; et

---

7) *De remediis utriusque fortunae.*

8) In libro *de conſtantia.*

9) Prodiit is liber Lipſiae, 1723.

10) Conf. *Opera Lutheri tom.* X. p. 2013—2574. ed. *Walch.*

11) Pag. 527—558.

allatis scripturae testimoniis illustrat omnia et confirmat. Sed artem consolandi, delineatam ibi a *Melanchthone*, et leviter tantum, pro instituti ratione, adumbratam, non perfecerunt scriptores, qui secuti sunt. Nam superiori et hoc ipso seculo prodiit quidem ingens multitudo librorum varii generis, qui consolandi causa scripti sunt, et quos sigillatim commemorare, non est necesse. Sed scriptoribus plurimis non hoc fuit propositum, ut consolatorem subtiliter instituerent, sed ut miseris sippeditarent dolorum fomenta quaedam, et maerentium aegritudinem utcunque mitigarent [12]). Ipse *Sarepta*, auctor *artis semper gaudendi* [13]), in spisso opere, a quo diligentior huius loci tractatio commode abesse non poterat, nihil dixit, quod magnopere commendandum esset. Denique nostro tempore instituerunt nonnulli, qui libros consolatorios ederent, etiam de universa solatiorum indole, ac de modo, quo animus afficitur, cum sentit consolationis vim, quaedam praecipere diligentius. Nota sunt, quae *Weitenkampf*, *Alber*,

12) In iis libris, qui *de prudentia pastorali* agunt, et muneris sacri bene administrandi rationem tradunt, solebant quidem theologi nostri etiam *de officio paracletico* praecipere; id autem vulgo ita fiebat, ut de natura consolationis ipsius nihil dicerent; conf. *Buddei Instit. theolog. moral.* Part. III. c. 3. §. 9 sqq.

13) Editum est hoc opus aliquoties. Editionem novissimam curavit *Io. Christ. Fischer*, eique praefatus est *Reuschius*, Ien. 1740.

Matheſius, *Niemeyer*, *Feſt*, *Weishaupt*, et alii, de utilitate malorum ad recreandos eos, qui fracti ſunt calamitatibus, ſcripſerunt, in quorum libris ſparſim non pauca reperiuntur, quae ad artem conſolandi pertinent [14]). Nemo tamen fuit, qui univerſum hunc locum ita illuſtraret, ut intelligi poſſet, a quibus initiis omnia proficiscantur repetenda ſint, et quot tanquam aditus ad animum conſolantibus pateant.

IV. Neque vero eſt, quod quis dicat, *ſupervacuum eſſe*, hac de re ſubtilius quaerere, cum vis, qua chriſtiana religio miſeros recreet, percipi poſſit commode, quamquam obſcurum ſit, *quomodo* mentes afficiat, et in eas tamquam influat. Id enim etſi ita eſſe, libenter concedimus, tamen cauſae commemorari poſſunt ſatis idoneae, propter quas hunc locum diligentius perpurgandum eſſe putamus. Ac primo quidem *iucundum eſt*,

14) Conf. *Weitenkampf Troſtgründe bei den traurigen Schickſalen der Menſchen*, maxime Part. II. Cap. I. — *Alber Beurtheilung der Klagen über die gegenwärtigen ſchlechten Zeiten*, Sect. IV, quae artem conſolandi exponit, ſed ſatis icinne. — *Matheſius Vernunft- und ſchriftmäſſige Betrachtungen über die Nutzbarkeit der Trubſale.* — *Niemeyer* in *Philota* part. II. p. 91 ſqq. ubi nonnulla praeclare monentur. — *Feſt* in opere, quod nuper edere coepit: *Beiträge zur Beruhigung und Aufklärung über diejenigen Dinge, die dem Menſchen unangenehm ſind oder ſeyn können*, ubi part. I. p. 12 ſqq copioſa doctaque commentatio eſt de conſolandi rationibus, quibus homines vulgo utuntur. — *Weishaupt* denique *Apologie des Misvergnügens und Uebels.*

et ad perſpiciendam interiorem mentis humanae indolem, ad perdiscendos ſenſus et motus eius omnes, ad cognoscendam actionem eius univerſam, utile ac paene neceſſarium, videre, quid ſit, quod leniat dolorem, et abſtergat moleſtias; qua via conſolatio ad animum perveniat, et quomodo ſenſim admittatur; qua denique in re poſita ſit mutatio ipſa, quam ſentimus, cum aegritudo ſublata eſt. Deinde *conſolantium officia* ducenda ſunt ab hac re plenius explicata et conſtituta. Nam quod ii, qui aliis mederi volunt, et adhibere ſolatia, ſaepe fruſtra laborant, vel augent adeo dolorem, id inde fit, quod nunquam cogitare didicerunt de conſolationis natura, quod non omnia norunt ſolatii genera, quod denique non ſatis obſervant, quam quisque curationem poſſit recipere. Ut enim corporis tuendi cauſa ars quaedam inventa eſt et exculta, cuius praecepta ſequi debent, qui corpora curant; ſic nec is, qui animo medicinam facere vult, ferri debet inconſiderato ac temerario impetu; ſed eſt conſolandi quoque ratio quaedam ac via, quae eo ſtudioſius exploranda eſt, quo magis nocent animi aegrotationes, et quo difficilius depellantur. Nec praetermittendum illud eſt, *omnem Chriſtianae religionis praeſtantiam percipi non poſſe*, niſi evidenter paulloque ſubtilius, quam vulgo fieri ſolet, demonſtretur, quanta ſit eius vis in conſo-

laudo, et quam accommodata naturae mentis humanae. Multa ſunt argumenta, quibus elicitur, divino quodam munere conceſſam eſſe generi humano religionem, quam Chriſtus docuit; ſed in his non poſtremum illud eſt, quod duci poteſt a modo, quo ſuccurrit afflictis, animosque feſſos recreat et confirmat. Nam conſolandi ratio, quam tenet Chriſtiana religio, longe ſuperat ea, quae ſapientiſſimis viris hac de re viſa ſunt, ut planum fiet, cum ad eum locum pervenerimus.

V. Placet enim ſuscipere neglectam fere ab aliis disputationem, et *ex ipſa conſolationis natura oſtendere, religionem Chriſtianam eſſe optimam adverſorum ſolatium.* Sed hoc demonſtrari poteſt duplici modo. Primo quidem ſic, ut de omni caſu, in quo nomen poni ſolet calamitatis, *ſingulatim* dicatur; ſunt enim certa, quae Chriſtiana religio praecipiat de paupertate, de ignominia, de morbis, de orbitate, de morte, et hae propriae ſingularum rerum conſolationes ſeparatim poſſunt exponi. Sed hunc locum ante nos occuparunt multi, eumque diligenter et bene perſcripſerunt; eſt etiam iſta disputatio, cum pateat latiſſime, a noſtro conſilio, et ab hac brevitate alienior. Deinde *generatim* quaeri poteſt de eo, quid ad leniendam aegritudinem, quaecumque demum mala eam effecerint, afferrat Chriſtiana religio. In quo inprimis oſtendi debet univerſe ratio et modus con-

solationis, quam adhibet religio, ut intelligatur, eam ita consulere maerentibus, ut nihil excogitari possit, quod vel efficacius sit, vel indoli mentis humanae magis consentaneum. Atque hanc quaestionem iam diligentius explicabimus. Eius autem erit nobis *bipartita* disputatio. Primo quidem *ipsam consolationis notionem illustrabimus*; hoc enim fieri debet partim propterea, quod religionis Christianae vis, quae prodest miseris, intelligi satis non potest, nisi omnis consolationis natura plane perspecta fuerit atque cognita; partim quod plurimi, decepti falsa perspicuitate rei, quam in vulgus notam esse putant, hanc veluti patefactionem solent negligere. Consolationis autem natura diligenter exposita, facile poterimus demonstrare, *ad levandum dolorem, et tollendam aegritudinem omnem nihil aptius esse, nihilque efficacius remediis iis, quae suppeditet Christiana religio, verissimisque solatiis instructos omnes esse, qui eius praeceptis obtemperent.* De utroque igitur deinceps paullo conquisitius agamus.

Pars prima.

De natura consolationis eiusque generibus ac fontibus.

VI. Iam primum in promtu est, et ab omnibus facile conceditur, *solari* nihil aliud esse, quam

lenire aegritudinem, ſusceptum ex aliqua re dolorem quocunque demum modo minuere. Vis enim huius verbi late patet apud Latinos, nec tantum dicitur de *exhilarandis* iis, qui triſtes ſunt, ſed omnino *de abſtergenda quavis moleſtia. Virgilius* quidem *ſolari famem* [15]), *ſolari cantu laborem* [16]), *ſolari amorem aegrum teſtudine* [17]), dixit, ſecutus, ut videtur, conſuetudinem loquendi veterem; nam apud *Plautum* quoque eſt, *ſolari ſpem* [18]). In his formulis poteſtatem verbi hanc eſſe, ut ſignificet, *extenuare moleſtiam, mitigare acerbitatem*, quae ſit coniuncta cum fame, labore, amore, ſpe, res ipſa loquitur. Noſtri utuntur ſimilibus formulis. Hunc autem uſum ſi ſequimur, *ſolatium* appellari poteſt, *quidquid aptum eſt ad minuendum ſenſum moleſtiae*; et *conſolationis* natura erit in eo, *ut ei, qui ex aliqua re dolet, adhibeatur aliquid, quod aegritudinem leniat.* Hoc autem qua ratione fieri debeat, ante intelligi non poteſt, quam, *quid ſit aegritudo ipſa*, viderimus.

VII. Atque hic liceat verbum *aegritudinis* alio modo accipere, quam eſt apud *Ciceronem*, qui

---

15) *Georg.* l. I. v. 459.

16) Ibid. v. 293.

17) *Georg.* l. IV. v. 464. Add. *Horatius Odar.* l. I. od. 6. v. 6. 7. *Sterm.* l. II. ſat. 6. v. 116.

18) *Aſinar.* Act. III. ſc. 1.

eo inter veteres in hac cauſa potiſſimum uſus eſt. Neque enim eam ſolum affectionem hoc nomine appellamus, quae eſt *animi averſa a recta ratione contra naturam contractio;* nam qui hoc verbum ita adhibent, iis probanda Stoicorum ratio eſt, quibus vitioſae videbantur animi perturbationes omnes, et alienae a ſapientis conſtantia, quod ſint ex opinatis bonis et malis. Nos vero *omnem moleſtiam, e cogitatione et ſenſu mali ortam*, aegritudinem hic dicimus, ſive opinatum ſit illud malum, ſive verum; ipſa autem moleſtia ſive levior ſit, ſive acerbior, et coniuncta cum angoribus. Nec excludimus hic *metum*, qui moleſtiam affert ob mala *futura*. In quo minime discedimus a conſuetudine ſermonis. Nam et olim fuiſſe, qui metum aegritudinis quamdam partem dicerent, ipſe *Cicero* fatetur [19]). *Aegritudo* igitur, in qua lenienda ac tollenda omnis conſolatio verſari debet, ſi eam velimus accuratius definire, *animi affectio eſt, quae cernitur in dolore e cogitatione mali, quod ad nos pertinere putamus, perpetua.* Iam cum *malum* ſit, quidquid aliqua praeſtantiae ſeu perfectionis noſtrae parte nos privat, ſive *moralis* ſit iſta perfectio, ſive *phyſica;* facile intelligitur, *dolorem*, quo cogitatio mali afficiat animum, eſſe *in ſenſu aut*

19) *Quaeſt. Tuſc.* l. IV. c. 30. §. 64.

violatae iam, aut minuendae inpoſterum perfectionis noſtrae: qui quo acrior eſt, quo gravius nobis eſſe videtur detrimentum, quod vel paſſi ſumus, vel capiemus, eo magis angitur animus et cruciatur, ut propemodum infiniti ſint et cogitari poſſint aegritudinis *gradus.* Eſt autem id, quod *praeſtantiam* hominis eiusque *perfectionem* dicimus, multorum bonorum complexio quaedam, et e multis rebus conflatum. Inde fit, ut et *malorum multa ſint genera*, quorum quodvis poſſit animum implere ſingulari quodam aegritudinis ſenſu. Sed has tamquam ſtirpes aegritudinis curioſius perſequi, nunc non vacat. Accurate hac de re iam *Cicero* praecepit in *quaeſtionibus Tuſculanis* [20]), ut taceamus recentiores multos, qui hunc locum ſaepe pertractarunt [21]). Illud vero praetermitti non debet, quod paucis indicavimus iam ſupra, dolorem eum, qui aegritudinem efficiat, aut a cogitatione mali *praeſentis* proficisci, aut eſſe quamdam veluti *praemole-*

---

20) Lib. IV. c. 7. §. 16 ſqq.

21) Inprimis laudandi ſunt *Carteſius de paſſionibus animi*; *Watt*, qui de eadem re ſcripſit; *Meier* in libro *de perturbationibus animi*; *Zuckert*, qui idem argumentum expoſuit; *Balguy* in appendice libri *de benignitate divina*; *Feder* denique, qui in *quaeſtionibus de voluntate humana* Part. I. copioſe et erudite egit de perturbationibus animi humani omnibus.

stiam e cogitatione *futuri* mali natam. Quare non alienum erit, duas aegritudinis partes constituere, *tristitiam* et *metum*. Tristitiam, perspicuum est, aegritudinis genus illud esse, quod exsistat, cum inevitabile malum *adesse et urgere* videatur; metum vero aegritudinem, quae animum opprimat, cum inevitabile malum *imminere* putetur. Est etiam *taedium* quoddam, et displicentia sui, quae animum interdum occupat, et quam ἀκηδίαν appellant Graeci. Accuratius describit hoc genus *Cassianus* [22]: sed cum animus, nusquam residens, in ista volutatione et aegra otii sui patientia ignoret ipse, quo potissimum malo commoveatur: non tam consolatione diluenda est haec molestia, quam remediis aliis, quorum commemorationem, cum sit a nostro consilio alienior, hic praetermittimus. In omni autem aegritudine, sive ad futura mala pertineat, sive ad praesentia, inprimis notabile illud est, quod ei, qui aegrum animum habet, quotidie *recens* esse solet cogitatio mali, et quod in eius contemplatione ita defixus est, ut abstrahi se ab ea minime patiatur. Inde porro sequitur *infractio quaedam animi ac demissio*, quae efficit, ut maerentes vitent hominum societatem et adspe-

22) *De institut. Coenobior.* l. X. Conf. *Seneca de tranquillitat. animi*, c. 2.

ctum, ut otium quaerant ac ſolitudinem, ut ab occupationibus omnibus abhorreant, nihilque audeant, ut languori ſe deſidiaeque dedant, et quavis invitatione ad dolendum libenter utantur. Eſt autem iſta imbecillitas, et vitium infirmitas omnium non ſoli maerentium animo propria, ſed etiam ad corpus ipſum pertinet, idque exeſt, et conficit.

VIII. Expoſita notione aegritudinis, redeamus ad ea, quae de natura *conſolationis* differere ſupra coepimus. Vidimus igitur, *ſolatium* appellari, quidquid minuat ſenſum moleſtiae, et aegritudinem leniat. Quoniam vero aegritudo in eo eſt, ut ſpecies mali vel inſtantis iam et urgentis, vel venientis ac futuri, obverſetur ante oculos, et ſenſu damni maerentem repleat et angat: facile intelligitur, mitigari dolorem conſolatione non poſſe, niſi effecerimus, *ut mali cogitatio non amplius perturbet animum.* Eſt enim hoc nobis inſitum et innatum, ut commoveamur, cum animadvertimus, aut ereptum nobis eſſe aliquid earum rerum, quibus contineri arbitramur praeſtantiam et felicitatem noſtram, aut periculum eſſe, ne quid detrimenti capiamus, et amittamus, quae amittere nolumus. Nec eſt hoc totum, ut nonnullis viſum eſt, opinionis tantum, non naturae. Etſi enim nemo negaverit, opinionis errore multa videri mala, quae non ſint, alia vero

vehementer et sine causa augeri: hoc ipsum tamen, aversari, quae malorum speciem habent, iisque augi, cum vel adsunt, vel impendent, nobis ita proprium esse, ut dissimulatio, et sentiendi agendique modus alius non sit in nostra potestate. Iam cum eo acrior sit et acerbior aegritudinis sensus, quo clarior est mali, quae menti obversatur, species: manifestum est, unam obtundendae et elevandae aegritudinis viam esse hanc, ut *immutetur cogitatio, quae animum vexat*, ne stimulos suos admovere pergat. Hoc qui facit, medicinam affert aegrae menti; quare consolatio complectitur ea omnia, *quibus notio mali, animo maerentis infixa, ita potest mutari, ut dolorem excitare desinat.*

IX. Haec autem immutatio, in qua posita est universa consolationis natura, fieri potest *dupliciter*. Primo enim *tolli*, quod sentit miser, *malum ipsum* potest, eique reddi pristina vel salus, vel securitas. Qui aegritudinem hoc modo levant, *re ipsa* consolantur et *factis*. Efficiunt enim, ut is, cui contigit hoc adiumentum, calamitatem non amplius ad se pertinere putet; dolendi quidem causa propterea relinquitur nulla, quod vel restituta sunt, quae perdita fuerant, vel depulsum periculum, quod metuebatur. Hoc genere consolationis utimur, cum aegrotis sanitatem reddimus; cum his, qui rei familiaris iactu-

ram fecere, amiſſa bona reſtituimus; cum exſules reducimus in patriam; cum periclitantibus ſuccurrimus; atque omnino tum, cum miſeros auxilio iuvamus, quod dolendi cauſam penitus tollat. Hoc fuit divinum illud dulciſſimumque genus ſolatii, quo luctum apoſtolorum, ceterorumque familiarium ſuorum ſuſtulit redux in vitam *Dominus*. Quem enim amiſerant, quem oppreſſum arbitrabantur hoſtium crudelitate, ſibique penitus ereptum, eum praeter ſpem et exſpectationem ſibi redditum videbant. Atque ſic eveniebat, quod praedixerat ipſe: ἡ λύπη ὑμῶν εἰς χαρὰν γενήσεται. Haec enim commutatio ſemper ſit, cum aegritudini eripitur aliquis eo ſolatii genere, quod vero continetur auxilio. Triſtitiae non poteſt laetitia non ſuccedere, cum hoc modo non ſolum abſtergatur omnis moleſtia, ſed et nova commoda addantur.

X. Neque eſt alienum a conſuetudine dicendi, conſolandi verbum uſurpare de his, *qui opem ferunt*, ipſumque *auxilium* appellare *ſolatium*. In libris ſacris hoc ſaepe fit. *Alexandrini* quidem interpretes verbum חושיה, quod Ieſ. XXVIII, 29. de *auxilio* dicitur, reddiderunt Graeco παράκλησις. Hoc autem quid ibi ſit, optime diſcitur e fragmentis *Aquilae* et *Symmachi*, qui idem nomen Hebraicum eo loco transtulere σωτηρίαν. Ii-

dem interpretes *Alexandrini* Ies. XXXVIII, 16. Ezechiam regem, mortis ereptum periculo, inducunt precantem: Κύριε παρακληθεὶς ἔζησα, quod nihil aliud significat, quam *reddidisti mihi vitam.* Patet hoc ex adiecta formula: ἐξήγειράς μου τὴν πνοήν. Quod autem de *Iobo* dicitur cap. IV, 3. χεῖρας ἀσθενοῦς παρεκάλεσας, non potest de consolatione, quae verbis fit, intelligi, sed de *ope*, de *auxilio* oppressis et imbecillibus lato. Constat autem, παράκλησιν etiam in novo testamento passim legi de solatio tali, quod *sublatis omnibus molestiis tribuat felicitatem.* Sic παράκλησις αἰωνία 2 Thess. II, 16. est *sempiterna felicitas, quae pios manet;* et quod Christus Luc. VI, 24. his, qui divitiis suis abutuntur, minatur: ἀπέχετε τὴν παράκλησιν ὑμῶν, id nullam aliam vim habere potest, nisi hanc, *nulla vobis superest felicitatis spes in vita alia, praecepistis quasi in his terris, quae vobis debebantur.* Idem Lucas verbo παρακαλεῖσθαι sic utitur Cap. XVI, 25. ubi vel ex eo, quod opponitur τῷ ὀδυνᾶσθαι, clarum est, ὧδε παρακαλεῖσαι, scilicet Lazarus, nihil aliud esse, quam *Lazaro nunc bene est, is nunc fruitur voluptate.* Loquuntur autem hoc modo etiam scriptores humani. *Virgilius* quidem liberalitatem *Acestae*, iactatos ubique et egenos Troianos benigne foventis, ita praedicat

— — — *gaza laetus agreſti*
Excipit, ac ſeſſos opibus ſolatur *amicis*[23]).

Tacitus autem de *liberalitate* principum idem verbum adhibet aliquoties. Sic in *Annalibus* de *Agrippae* filia; *Caeſar*, inquit, *quamvis poſt habitam, decies ſeſtertii dote* ſolatus *eſt*[24]); et alio loco: *eladem Lugdunenſem quadragies ſeſtertio* ſolatus *eſt princeps*[25]). *Spartianum* in *Adriano* ſalaria atque alia principis beneficia dixiſſe *ſolatia*, bene docuit ad eum locum *Salmaſius*[26]), eaque verbi poteſtas etiam in *codice Theodoſiano* occurrit[27]). A ſcriptoribus ſeriorис aetatis *adiumenta quaevis*, inprimis autem *copias auxiliares et praeſidia militum* appellari ſolatia, notum eſt, et exempla multa collegit *du Freſne* in *Gloſſario*. Sed de eo conſolandi genere, quo miſeris ita ſuccurritur, *ut malum tollatur ipſum*, copioſius dicere, nihil attinet. Progrediamur potius ad *alterum*, quod maxime eſt in *verbis*, et de quo nobis inſtituta eſt haec tota diſputatio.

XI. Nam horum, qui ſunt in aegritudine, dolor non ſemper ita levari poteſt, ut calamitati,

---

23) *Aen.* l. V. v. 40. 41.
24) *Annal.* l. XVI. c. 13.
25) *Annal.* l. II. c. 86.
26) Cap. IX.
27) Conf. l. VI. tit. XXX. leg. penult. p. 221. ed. *Ritter.* ibique *Gothofredus.*

qua affliguntur, penitus eripiantur; sunt enim et damna irreparabilia, et pericula, quae nulla ratione possint depelli. Adhibendum igitur est saepissime *genus alterum solatii*, quod quamquam malum, quo efficitur aegritudo, relinquit, *eius tamen notionem ita mutat, ut vis frangatur, qua animum pungit et vexat.* Atque hoc genus, quod paene totum verbis continetur, quamquam interdum etiam res aliae accedant, vulgo solum *consolationis* nomine indicant. Recessit enim fere solatii verbum ab ope et auxilio, et remansit proprie in iis rebus, quae cogitationi malorum acerbitatem adimunt. Quare consolatio, si potestatem verbi vulgarem angustioremque sequimur, nihil aliud est, quam *complexio eorum, quibus cogitatio malorum, aegritudinem efficiens, ita mutatur, ut dolorem excitare desinat, quamquam malum ipsum tolli non possit.* Graeci quidem iis verbis quibus solatium exprimunt, nonnisi hanc angustam notionem subiiciunt. Nam παρακαλεῖν, παραμυθεῖσθαι, παρηγορεῖν proprie dicuntur ii, qui *colortantur, admonent, et sermonibus utuntur aptis ad commovendos, impellendos et sedandos alios;* quod quoniam etiam fit ab his, qui verbis leniunt dolentiam aegritudinem, παράκλησις, παραμυθία et παρηγορία transferuntur, ut notum est, etiam ad *consolationem.* Recte igitur *Theophylactus* ad Rom. XII, 12.

παράκλησις, inquit, ἰδικῶς λέγεται, ὅταν τις ψυχὴ τεταραγμένως ἢ λύπῃ, ἢ θυμῷ, κατασολὴν ἐμποιῇ διὰ τοῦ λόγου. Et ad 1 Corinth. IV, 12. παράκλησιν eſſe, ait, πραΰνουσαν διάλεξιν. Noſtrum eſt, ut univerſe deſcripta conſolationis *notione*, nunc latius aliquanto dicamus et diffuſius *de toto genere*, eiusque *partes omnes* diligentius perſequamur.

XII. Cum igitur conſolationi, de qua nunc loquimur, hoc ſit propoſitum, *ut cogitationi malorum, quae maerentes perturbat et aegritudinem efficit, detrahatur omnis acerbitas*, facile intelligitur, conſolationis genera aliter non poſſe conſtitui, niſi ſic, ut quaeramus, qua ratione, et quotuplici modo notio mali, animo dolentis infixa, mutetur et nocendi vim amittat. Hoc autem invenio fieri poſſe *tribus* modis; demitur enim notioni mali omnis acerbitas, cum aut *obſcuratur*, aut *minuitur*, aut *conſutatur*. Etenim quoniam aegritudo tum exſiſtit, cum adeſſe et urgere videtur magnum quoddam malum; ſequitur, ut mitigetur dolor et remittat, ſi *obruatur notio*, a qua proficiſcitur, et mens *ab eius contemplatione avertatur*. Deinde cum is, qui miſerum ſe putat, eo magis aegre ferat, quae acciderunt, quo graviora ipſi videntur: confirmetur neceſſe eſt et excitetur fractus ac deiectus maerentis animus, ſi *minuatur* illa opinio, et oſtendatur,

malum, quo affectus sit, *nequaquam esse tantum, ut omnem salutem evertat.* Extenuatur denique omnis molestia et evanescit, cum opinio mali *tollitur funditus*, ut is, qui dolet, spectare discat id, quod malum esse putat, a parte alia, *et in eo reperiat boni naturam;* haec ultima consolandi ratio non potest non afferre sedationem maerendi, et efficere, ut is, cui fuerit adhibita, dolorem omnem abiiciat. Ad haec tria referri potest, quidquid consolandi vim habet; ab his fontibus petenda sunt omnia. Sed nos de quovis sigillatim paullo copiosius agamus.

XIII. *Primum* igitur consolandi genus est in eo, ut *obscuretur* cogitatio mali, quae maerentem angit, sive iam acciderit quaedam calamitas, sive metuenda sit inposterum. Hoc autem fit, *cum a contuendis malis avocatur animus, et ad contemplanda alia traducitur.* Magnam hoc afferre levationem doloris, iam veteres viderunt. *Epicurus* quidem omnem consolationem in duabus rebus ponere solebat, in avocatione ad cogitanda molestia, et in revocatione ad contemplandas voluptates. Qui quamquam erravit in eo, quod his duobus *omnia* contineri putavit, ad leniendam aegritudinem apta: tamen male reprehensus est a *Cicerone* in *Quaestionibus Tusculanis* [28]),

---

28) Lib. III, c. 16. §. 35.

qui istam animi revocationem nullam esse censet. Nam inique interpretatus est *Cicero* Epicuri verba, quod facere solet etiam alibi. Non *oblivionem* earum rerum, quas malas esse putamus, suasit Epicurus, ut *Ciceroni* visum est; istam oblivionem, praesertim fodicantibus malis recentibus, non esse in nostra potestate, facile dabunt omnes; sed impediendum omni modo esse censuit Epicurus, quo minus aegra mens in contuendis malis vel urgentibus iam, vel imminentibus, maneat defixa, et elaborandum in eo, ut alia cogitare incipiat. Ita autem traducere mentem ad alia datum cuivis esse, qui sit sui compos, quis quaeso negaverit? Dementes quidem ac furiosi in eo differunt a reliquis hominibus, quod a cogitatione erroris, quo ducuntur, avocari non possunt, sed in eo torpentes haerent. Quo magis autem mens constat, eo magis liberum ei erit, quo se velit convertere; eo magis in quavis re sequetur rationem.

XIV. Haec autem consolatio, qua notio mali, vexans animum et lacerans, obruitur cogitationibus aliis, adhiberi potest *tripliciter*; nam is, qui est in aegritudine, *vel ipse se avocat*; vel *aliorum consilio* ab acerbis cogitationibus abstrahitur; vel *casu quodam et longinquitate temporis* ab iis depellitur. Ac *primo* quidem *mens ipsa* potest, si suis viribus bene utatur, avertere

se a cogitationibus iis, quae displicent, et complecti ac percurrere alia. Docet enim suus quemque sensus, iam inductione quadam animi et voluntate interdum hoc fieri, ut negligamus, quae molesta sint, et incitemur ad conspiciendas res alias. Qua in re facilitatem paene incredibilem comparare sibi potest animus, si accesserit usus quidam et diuturna exercitatio [29]). Is ipse *Epicurus*, qui maximum solatium in hac avocatione ponere solebat, tantopere in ea profecerat, ut moribundus, et vexatus cruciatibus maximis, scriberet amico: *compensabatur tamen cum his doloribus, ad quorum magnitudinem nihil poterat accedere, animi laetitia, quam capiebam ex memoria rationum inventorumque nostrorum* [30]). Ac fuerunt omni tempore alii multi, qui ipsos dolores *corporis* hoc modo vincerent et mitigarent. Iam si istius avocationis veluti fomentis leniri vel hi dolores possunt, quorum est acerrimus morsus: quis non intelligit, etiam in minuenda aegritudine, et in extenuandis reliquis molestiis longe maximam fore eius vim [31]). Ut

---

29) Memorabile exemplum huius generis commemorat *Forster* in opere: *Ansichten vom Niederrhein*, Th. II. pag. 198—202.

30) Conf. *Diogenes Laertius* lib. X, 22. *Cicero de Finib.* lib. II. c. 30. et *Seneca* Epist. XXIX.

31) Vid. *Plutarchus in Consol. ad uxor.* p. 408. 409.

autem animus, opinione recentis mali perturbatus, eo facilius ab acerbis cogitationibus avellatur: haud alienum erit, *interdum uti rebus externis*, et per sensus haurire earum imagines. Quae si convertendi in se animum ac tenendi vim habuerint, hoc est, si fuerint graves, et effecerint, ut consistat mens, seque det ad contemplandum, mirifice dissipabunt tristitiam. Inde fit, ut saepenumero adspectus locorum, rerum, hominum, praesertim si quid in iis fuerit, quod attentionem facile excitet, aegritudinis non contemnendam levationem afferat, quod nos adiuvat in reprimenda vi, qua insidens in mente notio mali nos angit [32]). Ipse *Dominus*, cum ea nocte, qua proderetur hostibus, in monte oppressum se

---

32) Iuvat hic illustrationis causa locum adscribere ex *Hemsterhusii* vita, quam *Ruhnkenius* edidit. In ea pag. 52. ed. Hal. leguntur haec: *venerant ad eum*, nempe Hemsterhusium, *Francquerum nobilissimi e primaria gente Wassenaria hospitet, biduum hilariter sumturi. Cum omnes accubuissent, animis ad laetitiam remissis, ecce litteris sit certior, filium summae spei, Iacobum, qui sibi decus ex militia navali petebat, procul a patria, immatura morte periisse. Quid ille? Vultu nihil mutato seponit litteras, simulat hilaritatem, acerbissimumque dolorem per biduum pectore premit, quod hospitum iucunditatem muliebri et nihil profutura eiulatione contaminari nolebat. Tali constantia germanus ille Socraticae disciplinae alumnus, Xenophon, nuntiata inter sacrificandum filii Grylli morte, luctum distulit, dum solemne sacrificium peregisset.* Hactenus ille.

sentiret maerore maximo, levandi angoris causa aliquoties rediit ad apostolos, a quibus secesserat preces facturus, eorumque adspectu recreavit mentem atque refecit; Matth. XXVI, 36—46. Marc. XIV, 32—42. Sic occupationes quoque, labores, negotia, peregrinationes maerentibus saepe prosunt [83]). Abstrahunt enim vel invitos a notione mali, in qua solent haerere, qui sunt in aegritudine, et cogitandi de rebus aliis necessitatem quamdam afferunt, quo nihil utilius esse potest, nihil ad leniendum dolorem efficacius. Consolatur igitur se ipse, suumque animum quasi fallit, qui eum hoc vel alio modo ab acerbis cogitationibus abducit.

XV. Sed interdum tam gravis est aegritudinis perturbatio, ut mens attonita torpeat, nec ipsa possit suo motu a contuendis malis aciem avertere. Quare hoc genere solatii, quod est in avocatione a cogitanda molestia, *miseris consulere saepe debent alii*, eosque sensim ad meliora traducere. In quo vehementer cavendum est, ne hi, quorum dolorem sic fallere instituimus, *sentiant*, quid

83) Negare quidem peregrinationum vim in mitiganda tristitia videtur *Lipsius de Constantia* l. I. c. 2. Sed quod de elevando per itinera dolore dicimus, id eo loco confirmat ipse. Fatetur enim *levia animorum taedia ac veluti nauseas* sic tolli posse, ipsamque motionem corporis et quotidianam novitatem rerum et locorum iacentem animum attollere et recreare.

agatur, et quorsum ea, quae ipsorum causa vel dicimus, vel facimus, pertineant. Nolunt enim hi, quos magna calamitas oppressit, statim ponere dolorem, solentque fugere eos, quos vident solatia adhibere velle. Hi sit imprimis tum, cum *rectum esse* videtur, et ad alterum pertinere, aegre ferre aliquid, ac dolori diutius indulgere. Leniter igitur et caute avocandi sunt ii, apud quos dolor recens est, et quamdam viriditatem habet; nihil tale opinantes a malorum cogitatione deduci aut averti. Hoc autem vel *verbis* fieri potest, vel *aliis rebus*. Saepe enim laudo benignoque alloquio ita capiuntur miseri, ut sermonem conferre incipiant, a quo vulgo solent abhorrere. Quod cum accidit, non tarde et inviti ad alias trahendi sunt; nulla enim re alia magis abalienantur maerentes, quam orationis importunitate, in qua signum est animi, ipsorum calamitate parum commoti. Allentandum potius aliquamdiu miserorum imbecillitati est, et mollitudini indulgendum, donec sensim et commode perveniri possit ad alia, ipsaque sermonis ratio ad res alienas deflectat. Magnam autem tulerit coll equiis maerendi sedationem afferet, qui commode mentionem iniecerit earum rerum, quas vehementer diligere solet, qui consolandus est, vel quorum gravitate facile commovetur. Etenim cum talia libenter arripiat animus, et ad ea facile adhaeres-

cat: ista commemoratio habebit hanc vim, ut cogitationibus aliis occupetur miser, et interim paene obliviscatur omnem doloris causam. Sic autem obrui et quasi decipi dolor non tantum verbis et sermone potest, sed et factis rebusque aliis, quae maerentes alliciant, eorumque attentionem alio convertant. De quo, quoniam maxime habenda ratio est earum rerum, quibus quisque facillime afficitur, universe copiosius dici non potest.

XVI. Ceterum saepe *casu* quoque et *longinquitate temporis* ab acerbis cogitationibus depellitur animus, et hoc primo consolationis genere reficitur. Ac *temporis* tardam quidem illam, sed tamen magnam et certam medicinam esse, satis constat. Sensim enim progrediens minuitur dolor, partim quod interim multa alia occupant animum, eumque afficiunt alio modo; partim quod adsuescit malo, ac diuturna cogitatio callum vetustatis obducit; partim denique quod usu ipso discimus, quae olim intolerabilia visa sint, ea moderate ferri posse. Quod autem saepe nec miseri ipsius contentio, nec aliorum cura efficere potest, ut aegra mens ab acerbis cogitationibus avellatur: in eo non raro multum valere solet *casus*, et repentina quaedam mutatio. Nam quae subito accidunt, iis vulgo tantopere percelluntur hominum animi, ut rapiantur in partes plane

alias, et motus contrarios suscipiant. Hoc in maerentibus saepe animadvertitur, ac dici non potest, quanta sit interdum vel parvae rei vis ad dissipandam tristitiam, modo celeriter ac praeter opinionem avocet animum a cogitanda molestia, et aliarum rerum notionibus impleat [34]). Sic

---

34) Temperare mihi non possum, quin ex oratione *Winterniti*, medici Vitebergensis, in funere *Philippi Melanthonis* habita, hic exempli causa nonnulla adscribam: *Erat*, inquit, *iussu principum Torgae in domo parochi instituta inter doctores nostrarum ecclesiarum primarios deliberatio difficillima. — Sedet igitur pauper et paucorum senatus, a solo deo auxilium orans, sperans et exspectans. Tandem post preces et satis longum colloquium* Philippus *defatigatus et moestus surgit, erat enim paullum evocatus nuntio quodam interpellante; quo dimisso, in reditu ingreditur conclave, in quo una erant miserae mulierculae, parochi et duorum diaconorum coniuges, ac parvuli liberi, quorum alii iam mammam sugebant, alii a matribus preces recitantes audiebantur. Adstat et audit* Philippus *cum admiratione et magna delectatione, sicut solebat, puerorum balbutientes preces, memor dicti:* ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. *Et quod praecipue ipsum movebat, videt ex diaconorum uxoribus unam lactantem filiolam, et simul pastinacam in prandium marito incidentem atque audientem alterum parvulum recitantem usitatas preces et invocantem Deum. Exclamat,* o tres sanctos et Deo gratos labores! *Ab hoc spectaculo confirmatus animo, et iam laetus et alacris in senatum redit hilari vultu. Excipit eum* Lutherus: quid tibi, Philippe, accidit, *inquit*, quod ita hilaris ad nos redis, qui paullo ante tristior hinc exibas? *Respondet ille:* ne simus animo pusillo, Domini, iam enim vidi eos, qui pro nobis pugnaturi sunt, quique contra vim omnem invicti

timor et periculum, praesertim si improvisum fuerit, repellere solet tristitiam e malo praesenti natam, quoniam et alia cogitare cogit, quam quae antea menti infixa erant, et subito excutit languorem et inertiam, cui maerentes se dedunt. Exemplum *Cicero* commemorat in *Quaestionibus Tusculanis* [35]), ac videmus etiam quotidie hos, qui sunt in aegritudine, ponere curas, ac differre lucrum, si repentino periculo fuerint oppressi, vel inciderint alia, quibus vehementer commoveantur. *Parvis* autem rebus confirmari saepe labantes et erigi, iam alio loco docuimus [36]), et exemplis referta est omnis rerum gestarum memoria.

XVII. Sed hoc totum consolationis genus, quod obscuranda mali notione continetur, *non tollit aegritudinem penitus*; hoc tantum efficit, ut *respirare* paullo liberius possit miser, et *ad tempus doloris levationem sentiat*. Etenim cogitatio, a

---

erunt et manebunt. *Quaerit Lutherus*: quinam sunt hi tam fortes duces ac milites? Parochorum nostrorum et diaconorum uxores, *inquit Philippus*, et parvuli liberi, quorum preces iam audivi, quas Deus non est surdis auribus auditurus. Conf. *Melanthonis declamat*, tom. V. p. 280 sqq. Huc etiam pertinent, quae *Berndius in Vita* de se narrat ipse p. 99 et 100.

35) Lib. III. c. 27. §. 66.

36) Conf. *Commentationem de vi, qua res parvae afficiunt animum, in praeceptis de moribus diligentius explicanda*, § XLIX.

qua proficiſcitur aegritudinis perturbatio, facile recurrit, ſaepeque res leviſſimae, ſi cum ea quodammodo coniunctae fuerint, animum ad eam reducunt. Interdum etiam dolor, hoc modo deluſus, ipſa quiete vires colligit, et maiori cum impetu redit. Fuerunt igitur, qui iſtud aegritudinis non tam remedium, quam impedimentum, improbarent, putarentque, melius eſſe vincere dolorem, quam fallere [37]). Sed quamquam libenter concedimus, praeter levationem aegritudinis, eamque interdum ſatis brevem, hac medicina nihil effici: ea tamen minime carere poteſt, qui in ſananda aegra mente feliciter verſari vult. Primo enim *alia medicamenta recens dolor non admittit.* Cum viget malum, et habet viriditatem quamdam, altior eius ſenſus miſerum impedit, quominus audiat conſolantium praecepta, eaque pati poſſit. Non igitur ad recentes quali tumores animi remedium adhibendum [38]), ſed ſequenda medicorum prudentia eſt, qui, ut eſt apud *Plutarchum* [39]), ἐῶσι τὸ βαρύνον τῆς φλεγμονῆς διὰ τῆς τῶν ἔξωθεν ἐπιχρίσεων ἐπιθέσεως αὐτὸ δι' αὑτοῦ λαβεῖν πέψιν. Tale extrinſecus illitum remedium, quo, quae induruerunt ad vim medicaminis recipiendam, mol-

37) Vid. *Seneca de Conſol. ad Helv.* c. 16. p. 93.

38) Conf. *Cicero Quaeſt. Tuſc.* l. IV. c. 29. §. 63.

39) In *Conſolat. ad Apoll.* p. 387. edit. *Reiske.* Addi poſſunt, quae *Boetius* diſſerit *de Conſolat. Philoſ.* lib. I. pag. 17.

lescant sensim, est illa avocatio mentis a cogitatione mali. Quamdiu enim ne abduci quidem ab illa notione possunt miseri: tamdiu consolationi ne aditus quidem patet, nec ulla locum habet doloris remissio. Deinde eo ipso mentis a contemplatione sensuque mali quasi receptu *redintegrantur sensim vires*, quas dolor fregerat. Discit hoc modo animus iterum parere rationi, et sequi, quo illa ducat. Restituitur enim nobis libertas, quae praesse debet motibus internis, si notiones eae, a quibus avertere se non poterat attentio, vim suam amittunt, ut possimus cogitationem ad alia transferre. Quaecunque autem notio aliquoties recessit in umbram, et locum fecit aliis, ea menti non amplius imperat; quare iam aliquid effecisse putandus est, qui dolorem maerentium decipere, eiusque cogitationem interim potuit obruere.

XVIII. Primum igitur consolationis genus, de quo hactenus diximus, sanationis quaedam quasi praeparatio est, et eo pertinet, ut dolentes alia remedia admittere discant. Cum igitur paulisper conquievit prima agitatio, cum ita resedit impetus, ut doloribus inferi possint cogitationes aliae, et miseri incipiant omnia diligentius considerare: tum vero opinio ipsa, quae animum vexat, aggredienda, et *alterum consolandi genus* adhibendum est, quod cernitur in *minuenda mali notione*. Est autem *minuere* opinionem mali nihil aliud, quam

ostendere, *calamitatem, quam vel sentit maerens, vel metuit, tantam non esse, quanta videatur.* Afferri hoc modo consolationem, ex eo patet, quod aegritudo tota pendet e cogitatione mali, cui si quid detractum fuerit, ut contemnere discat miser, quae acciderunt, audeatque resistere, aegritudo ipsa sensim levabitur, dolorque remittet. Ac debent profecto hi, qui consolationem adhibere maestis volunt, eo diligentius cogitare de minuenda mali notione, quo procliviores sunt miseri ad fingenda mala, quae non adsunt; maeroris enim fons saepe non est id, quod accidit, sed opinio quaedam temere suscepta. Minuendae autem istius opinionis non una ratio est. Labefactatur enim et convellitur, si demonstratur, *malum ipsum non esse tantum, quantum videatur*; si ostenditur, *id facile posse tolerari*; *si culpa detrahitur*; *si tollitur error, ad officium pertinere, aegre ferre aliquid*; si denique docetur, *a necessitate quadam proficisci calamitatem, quam dolet miser, nec ullo modo potuisse vitari.* Sed de his locis, a quibus petenda sunt, quae ad minuendam opinionem mali pertinent, iam deinceps est sigillatim dicendum.

XIX. Qui igitur demonstrare voluerit, *malum ipsum non esse tantum, quantum videatur*: is ante omnia quaerere debet et explorare, *quam istius mali opinionem conceperit sua mente et com-*

prehenderit miser ipse. Nam animadvertitur saepe, eos, qui sint in aegritudine, ne satis quidem scire, quid passi sint, et errore quodam deceptos, atrocitatem mali vehementer augere. Verissimum est illud *Plutarchi* [40]): ἡ ψυχὴ τοῖς πράγμασι πολλάκις τὸ βάρος ἐξ αὑτῆς προστίθησιν. Is error, quem plerumque rei novitas attulit, studiose depellendus est. Non parum extenuatur molestia, si planum factum fuerit, multo minora esse, quae acciderint, quam quanta sint existimata. Excitatur enim in misero gaudii quidam sensus, si viderit, non omnia periisse; hoc autem dici non potest, quantopere leniat dolorem animumque placet. Deinde in casibus adversis *incertum* saepe est, utrum bonum, an malum acciderit. Ista ambiguitas non raro locum habet in luctu, cum aegritudo concipitur ex obitu eorum, qui nobis cari fuerant, praesertim si praematura morte exstinguantur [41]); etiam in eo doloris genere, quo vexantur, qui magna spe deciderunt; atque omnino saepe ambigitur, utrum id, quod aegre ferunt miseri, vel metuunt, mali naturam habeat, an sit e genere alio. Hoc non negliget, qui minuere mali notionem voluerit. Nam vehementer frangitur vis mali, si dubitatio iniecta fuerit, utrum adsit idonea maerendi causa; ipsaque deli-

40) *De exsilio*, p. 605.
41) Cont. *Plutarchus ad Apollon.* p. 440 et 446.

beratio, quomodo sit de eo, quod accidit, iudicandum, iam aliquam affert molestiae levationem. Nec praetermittendum illud est, mala miseris saepe propterea videri graviora, quam sint, quod metuunt, *ne ex iis nascantur alia, et nova.* Consolantis igitur est, istum metum amovere, praesertim si vanus fuerit. Hoc enim depulso, saepe admodum tolerabilia videntur, quae olim animum vehementer perturbaverant. Interdum ostendi potest, *bonum*, cuius iacturam dolet maerens, aut *opinatum* esse, aut tanta aestimatione *non satis dignum.* Hoc si effectum fuerit, facile intelligitur, damni, quod accepisse sibi videtur miser, sensum vel plane sublatum, vel vehementer imminutum iri. Denique quod maerentes magnitudine malorum interdum vehementius commoventur, quam par est, id etiam inde fit, quod haerentes in contemplatione eorum, quae fortuna ipsis eripuit, obliviscuntur bonorum, quae supersunt et intacta manserunt. Demonstrandum igitur est, *quot et quanta praesidia ad bene beateque vivendum fortuna reliquerit*, sive sint in hominibus illa praesidia, sive in bonis aliis et in opportunitate quadam. Quorum enumeratio quo diligentior fuerit, et quo verior, eo magis recentis mali notionem obscurabit. Nam ipsa bonorum, quae adhuc sunt in potestate marentis, comparatio cum malis, quae animum vexant, sidu-

ciam quamdam excitabit, ac vehementer officiet magnitudini damni, quo se sentit affectum [42]).

XX. Sed dolor etiam tum minuitur, cum ostenditur, *id, a quo proficiscatur, facile tolerari posse.* Interdum enim notioni mali ipsius nihil potest detrahi, fatendum potius non raro est, damnum, quod aegre ferat maerens, esse tantum, quantum ipsi videatur. Hoc ubi acciderit, derivanda solatia sunt a fonte alio. Recreatur enim animus, si videt, se ferendae calamitati haud imparem fore. Id autem planum fieri multis modis potest. Primum hac in re vis longe maxima est *exemplorum.* Commemorandi sunt alii, *qui idem passi sunt, et commode tulerunt.* Eo pertinet tritum illud, *solamen miseris esse, socios habuisse malorum.* Eorum enim cogitatio, qui vel sunt, vel fuerunt eodem malo affecti, et nihilo minus aequam mentem servare potuerunt, vel certe non succubuere dolori, magnopere luctum levat; partim quod intelligit, qui aliena mala considerat, se non *solum* affligi, vel inaudita pati; partim, et maxime quidem, quod videt, superari vincique posse dolorem. Nec audiendus est *Carneades*, qui, teste

42) Conf. *Plutarchus* in *Consol. ad uxor.* p. 410. Omnino, quae hic dicta sunt, optime poterit illustrare praeclara illa *Sulpicii ad Ciceronem de obitu Tulliae* scripta epistola, in qua his locis prene omnibus usus est Sulpicius. Cf. *Ciceronis Epist. ad Famil.* l. IV. ep. 5.

quidem *Cicerone* [41]), orationem ex commemoratione alienorum malorum *ad malivolos consolandos accommodatam esse* putabat. Nam etsi negandum non est, malivolos ex aliorum miseria voluptatem capere solere: tamen, cum consolandi causa commemoratur aliena calamitas, id non eo pertinet, ut gaudere de iis malis discat, qui ipse dolet; sed ut videat, et posse se, et debere ferre, quod et alii moderate tulerint. Recte igitur hoc consolandi genus commendavit *Lutherus*, qui eius vim et indolem bene perspexit [44]). Aptissimam autem esse ad minuendum dolorem hanc exemplorum commemorationem, viderunt omnes, qui consolationes scripserunt; omnes enim usi sunt hoc genere, quod etiam in libris sacris adhibetur, veluti Iac. V, 10. 11. Hebr. XI-XII, 3. 1 Petr. V, 9. et alibi. Deinde plurimum valebit ad confirmandos maerentium animos, *excitare virtutes* et osten-

---

43) *Quaest. Tusc.* l. III. c. 25.

44) Conf. *Opp.* Tom. V. p. 1772. edit. *Walchii*, ubi inter alia haec disserit: *Es erschreckt ein ungehortes Leiden einen Menschen gar sehr, dass er sich soll fühlen also ausgeschalet, und vor allen Menschen ein sonderliches leiden. Wiederum ist es trostlich, wenn viel einerley leiden, da fällt doch nicht so ein schrecklicher Gedanke ein, als sey er allein abgeseimet und verworfen.* Add. *Plutarchus* in *Consolat. ad Apoll.* pag. 402. 403. Etiam *Baconem Verulamium* hoc solatii genus probasse, seque vim eius expertum esse, praedicat ipse; conf. *Works*, Vol. IV. pag. 722. eiusque *Vita* in collectione *vitarum Baumgarteniana*, tom. I. p. 41 sqq.

dere, quam iustum, pulcrum, honestum sit, resistere dolori, et fortunae nec cedere, nec succumbere. Colligit enim vires et erigitur miser, praesertim si quemdam habuerit sensum honesti, et honoris laudisque studio ducatur, ubi viderit, sine turpitudine non posse se maerori indulgere. Monendus etiam est, *ut circumspiciat relicta sibi serendae calamitatis praesidia*, et perpendat, quomodo iis commode sit utendum. Auget enim fiduciam virium ista cogitatio, et rationem ac viam superandi doloris demonstrat. Saepe denique solatio esse potest, *nos iam graviora, vel neque gravia perpessos esse*. Hunc locum, ut notum est, saepe praeclare tractarunt poetae [45]). Obdurescit autem quodammodo ad dolorem novum, qui multa et magna mala saepe expertus est, nec vim eandem habet rerum adversarum assiduitas, quam primus ictus. Revocanda igitur sunt ei, qui praeter rationem dolet, in mentem, quae ipsi iam olim acciderint, et remedia, quae mitigandae molestiae adhibuerit. Nam denuo fieri posse, quod iam aliquoties contigit, nemo dubitaverit. Perspicuum igitur est, eum, qui non ignarus fuerit malorum, eorumque vi quasi subactus, cum saepius vicerit dolorem, novam cala-

45) Conf. *Homerus Odyss* l. XII. v. 208-12. *Virgilius Aen.* l. I. v. 198—207. et *Horatius Carm.* l. I. od. 7. v. 30.

mitatem, modo velit, moderate fortiterque tolerare poſſe.

XXI. Haud exigua maeroris levatio in eo eſt, *ſi culpa detrahitur.* Minus enim malum videtur, quod immerentibus accidit, quam quod coniunctum eſt cum conſcientia ſceleris et peccatorum. Ex hac enim timor exoritur, graviora praevidens; ſenſus vero praeſentis mali vehementer acuitur et augetur in eo, qui aliquid commiſit, indignatione, et acerba quadam displicentia ſui, quae a conſcientia malorum non poteſt ſeparari. A conſolantibus igitur aut funditus tollenda eſt culpae opinio, aut minuenda certe. Atque iis quidem, *qui peccati experti non ſunt*, ita fere ſuccurrendum eſt, ut oſtendatur, culpam, ab ipſis contractam, non eſſe tantam, quantam exiſtiment. Id etiam plerumque recte fieri poteſt. Saepe enim nimia vis eſt conſcientiae, ut ii, qui eius angoribus cruciantur, iniquiores ſint in ſe ipſi, ſibique faciant iniuriam. His eximendus eſt is error, in quo eſt perpetuum quoddam ὑπέχκαυμα τῆς λύπης. Cum enim rectius de ſe iudicare didicerunt, magna diſſipatur triſtitiae pars, aliisque conſolandi generibus aperitur aditus. Interdum autem *plane falſa eſt et commenticia culpae opinio*, et profecta vel ab errore quodam mentis, vel ab imbecillitate corporis aegrotantis. Nam et probis viris hoc accidit, ut, cum

affligantur magna quadam calamitate, summissiores esse incipiant, et in se temere quaerant culpae quaedam vestigia. Nec desunt, quae sibi vitio verterе possint; praesertim si nonnihil superstitionis accesserit, et perversum iudicium de iis, quae sint in officio. Tum vero aegritudo sedari non potest, nisi deleatur error, qui maerentem vexat, et mali, extrinsecus urgentis, vim auget. Restituta autem animi tranquillitate, reliqua sanantur moderatius. Nam verissimum est, quod *Cicero* scribit *Torquato*: *conscientiam rectae voluntatis maximam consolationem esse rerum incommodarum; nec esse ullum magnum malum, praeter culpam* [46]).

XXII. Est et alius error eorum, qui aegritudini indulgent. Etenim haud pauci putant, *interdum ad officium pertinere, aegre ferre, quae acciderint.* Eius rei causa nonnunquam in eo est, quod maerentes nimium tribuunt *consuetudini hominumque opinioni.* Vulgus enim indecorum esse censet, in calamitatibus nonnullis, ut in interitu parentum, liberorum, affinium, aegritudine vacare, vel dolere levius. Multi igitur maerent, opinantes, ita fieri oportere. *Nam*

---

46) *Ad famil.* l. VI. ep. 4. Add. *Plutarch. ad Apoll.* p. 33, ubi τὸ μὲ δι' αὐτὸν κακῶς πρᾶττειν, appellatur φάρμακον ἀλυπίας μέγιστον.

adeo penitus hoc se malum fixit, ex aliena opinione pendere, ut in simulationem etiam simplicissima res, dolor, veniat [47]). Accedit *superstitio*. Multi enim ipsi Deo id debere se existimant, ut miseri sint, seque dolori dedant. Hoc errore ac paene insania, dici non potest, quot homines decepti sint omni tempore, et hodieque decipiantur. Nam ii omnes, qui *satisfacere* Deo volebant, et amoliendae culpae modum reperire, quorum coetus cum in ecclesia Christiana, cum inter reliquos homines ingentem fuisse multitudinem, ii igitur omnes eo delapsi sunt, ut se affligerent ipsi, et saepenumero atrocissima castigationis tormentorumque genera adhiberent. Exemplis referta est inprimis *Monachorum* historia, qui omni tempore fuerunt artifices maximi in excogitandis poenis et satisfactionibus [48]). Hic nec ii praetermittendi sunt, qui veram hominis conversionem, negant, fieri posse sine *luctu vehementiori*, et *salutari quadam desperatione*, de quo genere aegritudinis hoc ipso seculo disputatum

47) *Seneca de tranquill. animi*, c. 15.

48) Conf. opus notum: *Pragmatische Geschichte der vornehmsten Mönchsorden*, in quo multa passim memorantur, quae huc pertinent. Errorem ipsum optime profligavit *Dallaeus* in libro eruditissimo de *poenis et satisfactionibus*.

est [49]). Qui denique *de poenis divinis* male iudicant, ii vulgo putant, Dei plaga perculsos debere se omni modo afflictos fateri et stratos, maeroremque significare maximum. Inde fit, ut qui his similibusve erroribus dediti sint, identidem ad tristitiam se revocent ipsi, et peccati se insimulent, si qua facta sit doloris remissio. Consolatur itaque, et mali vim minuit, qui hoc errore eos exsolvit, et officii opinionem detrahit. Ceterum subsunt interdum et aliae causae, quae efficiant, ut homines consulto maneant in aegritudine, et invitationes ad dolendum quasque cupide arripiant. Multi enim maerorem prae se ferunt, quod convertere in se volunt hominum attentionem, vel turpis lucri causa miseratione permovere alios, vel gratiam sibi et suavitatem quamdam conciliare, in quo saepe est lenocinii genus quoddam, feminis elegantioribus non incognitum. His autem omnibus non deberi *solutia*, sed *severitatem*, quae eorum vel fraudes, vel vanitatem arguat et coerceat, res ipsa loquitur.

XXIII. Postremo ad minuendam mali opinionem saepenumero afferri illud quoque potest,

---

49) Conf. *Walchii bibliotheca theologica selecta*, tom. II. p. 749—752. et eiusdem *Einleitung in die Religionsstreitigkeiten der Evangelisch-Lutherischen Kirche*, part. V. p. 910—937.

a neceſſitate quadam proficisci calamitatem, vitarique nullo modo poſſe. Primo enim *culpae ſuſpicionem* tollit ea cogitatio; iſta vero demta, mirifice levatur moleſtia. Deinde docet, *humana eſſe*, quae acciderint, eamque conſolationem adhibet, quae petitur a communibus malis, et de qua ſupra iam diximus. Denique uſus ipſe demonſtrat, verum eſſe illud *Euripidis*, allatum etiam a *Plutarcho* [50]): δεινὸν οὐδὲν τῶν ἀναγκαίων βροτοῖς. Conſtat enim omnes, qui conſolandi cauſa aliquid ſcripſerint, hoc loco uſos eſſe, eumque exornaſſe varie; quod factum non eſſet, niſi vidiſſent, eum ad leniendam aegritudinem pertinere. Graviſſime hac de re praeceperunt, ut notum eſt, *Stoici*, qui ex illa potiſſimum neceſſitate derivare ſolebant cauſas, cur aequo animo et imperterrito ferendum ſit, quidquid acciderit [51]). Quod autem facilius moderatiusque toleramus, quae animadvertimus mutari non poſſe: id potiſſimum inde fit, quod nihil effici videmus querelis et lamentationibus, animusque neceſſitati, cui non poteſt reſiſti, et qua rapiuntur omnes, concedere aequum putat, et honeſtum. Abiicit autem omnem triſtitiam, et ad hilaritatem redit, qui perſpicere didicit, quam ſtultum ſit, breve vitae

50) In *Conſolat. ad Apoll.* p. 422.

51) Conf. *Tiedemannus de Philoſophia Stoica*, part. III. pag. 217 ſqq.

tempus inani maerore consumere [52]). Haec igitur de altero consolationis genere, quod *minuit* opinionem mali et hoc modo aegritudinem obtundit et elevat, dicta sunto.

XXIV. Sequitur, ut agamus de ultimo, eoque uberrimo, a quo manant dulcissima solatia, quod ea, quae ab ipso petuntur, omnem tollunt miseriae cogitationem, et conceptam animo, eique infixam mali notionem *confutant*. Vincit enim dolorem consolatio, si demonstrari potest, aerumnas, quas sustinere sibi videtur is, qui est in aegritudine, *boni naturam habere*, et coniunctas esse cum nostra salute. Omnis aegritudo proficiscitur, ut supra vidimus [53]), a cogitatione mali vel urgentis iam, vel futuri. Cessabit igitur penitus et abstergetur, si, quod malum videbatur esse, et appetitibus animi repugnare, induat boni speciem, et cum votis desideriisque nostris consentire incipiat. Mutari autem hoc modo mali notio *triplici* ratione potest. *Primo* quidem *multum in ea re valet oratio, quae adhibitis verbis translatis et comparationibus suavitatem quamdam et iucunditatem etiam acerbis cogitationibus conciliare possit*. Deinde *error, qui opinata mala, quorum est ingens multitudo, veris annumerat, penitus evelli debet. Vera* denique *mala, cum ple-*

52) *Plutarchus in Consolat. ad Apoll.* p. 447. 48.
53) Cont. 5 VII.

rumque habeant diversas facies, iisque saepe multum boni admixtum sit, ab ea potissimum parte ostendere consolator debet, quatenus placere possunt, et doloris mutationem afferre. Placet, haec tria paullo diligentius persequi.

XXV. Atque in eo quidem neminem habebimus repugnantem, *dicendo res non solum augeri posse et altius tolli, sed etiam abiici et extenuari; acerba autem ita conspergi verborum sententiarumque floribus, ut suavitatem aliquam accipiant, et amittant, quae offendunt.* In quo vis maxima *translationum* est et *similitudinum*, quae si iucundae fuerint, et sumtae cum ratione, gratiam quamdam vel iis rebus conciliabunt, quas aversatur animus ac perhorrescit. Id accidere credo, quod is, qui talia audit, cogitatione ducitur alio, et in eo, quod aegre fert, et quo vexatur, praeter opinionem aliquid invenit, quod cum suavitate quadam admovetur paene ad sensus ipsos. Haec res dici non potest, quantum valeat ad minuendam acerbitatem malorum, quae, si verbis propriis dicuntur, ac detractis translationum ornamentis, graviter feriunt animum et affligunt. Erit autem ad consolandum efficax χαρακτηρισμὸς iste inprimis tum, cum accesserit consuetudo quaedam lenitate verborum mitigandi rei tristitiam, imagines autem laetae cum notione mali ita quasi coaluerint, ut semper simul occurrant. Qui quae-

rere volent, qua in re sita sit vis illa plane singularis, qua carmina nonnulla, cantiones, vel alii optimorum auctorum sermones alliciunt animum, permulcent et exhilarant: ii facile reperient, plurima redire ad imaginum suavitatem et evidentiam, qua molliuntur, quae molesta sunt, et ita quasi circumvestiuntur, ut asperitas omnis evanescat. Praeclare versabitur in consolando, qui res adversas dicendo condire potest aliqua iucunditate, praesertim si utatur translationibus veris, quae non habeant speciem inanem, sed clariora faciant bona quaedam, in notione mali, quae maerentis animo observatur, latentia. Demonstrabimus autem infra, Christianae religionis doctrinam, atque omnino libros sacros, ut in omni consolationis genere, ita etiam in hoc, optima quaeque continere. Interim iuvat, ut exemplis clara fiant, quae diximus, nonnulla decerpere e scriptoribus aliis.

XXVI. Neminem igitur fore putamus tam hebetem, tamque sensus omnis expertem, quin commoveatur, videatque minui timorem mortis sermonibus iis, quos habent *Cyrus* moribundus apud *Xenophontem* in *Cyropaedia* [54]); *Socrates*, capitis damnatus, apud *Platonem* in *Apologia* [55]); *Cato* denique maior apud *Ciceronem* in libro *de*

54) Libr. VIII. cap. 7. §. 6 sqq.
55) cap. 32. 33. ed. *Fisch.*

ſenectute [56]). Sunt hi loci inter ſe ſimillimi, continentque ſolatia, quibus viri omnis antiquitatis ſapientiſſimi depelliere ſolebant mortis timorem. Qui autem examinaverit, quid ſit, quod vim conſolandi maximam conciliet eorum, qui ibi loquentes inducuntur, orationi, quid ſit, quod legentis animum tam ſuaviter demulceat, et cogitationi mortis acerbitatem omnem detrahat: is animadvertet, translationum ac ſimilitudinum iucunditate vehementer mitigari rei triſtitiam, et amittere, quae offendant paene omnia. Primo enim omnes, qui ibi diſſerunt, conſentiunt in eo, nihil morti tam ſimile eſſe, quam *ſomnum*, eumque *mollem ac profundum*, quem non conturbent viſiones nocturnae. Non parvam vero ſuavitatem accipere notionem mortis hac comparatione, quae cogitantibus obiicit imaginem quietis dulciſſimae, labore, moleſtia, curisque vacuae, quis non intelligit? Quare veteres omnes iſta ſimilitudine frequenter uſi ſunt, eamque exornarunt varie [57]).

---

56) Cap. 21—23.

57) Secuti ſunt in hoc, ut in multis aliis, *Homerum*, qui ſomnum et mortem *geminos* appellat, Il. II. v. 672 et 682. et Il. Ξ. v. 231. et alibi. Comparandus hic eſt inprimis *Plutarchus* in *Conſolatione ad Apollon.* pag. 408 ſqq. ed. *Reiske*, qui plura hac de re congeſſit. Ceterum quantopere veteres probaverint hanc ſimilitudinem, inprimis intelligitur ex eo, quod artifices quoque eam expreſſere. Conf. *Leſſingii* commentatio: *Wie die Alten den Tod gebildet*, et *Herderi* additamenta ad

Praeterea *Cyro* videtur animus cum exit e corpore, emitti *purus et integer*, et *in libertatem vindicari*. Hoc enim veteres, inprimis philosophi, consolandi causa saepe asserunt, animum tum demum frui vera vita posse, cum solutus corporis veluti compedibus, ex his tenebris excesserit in lucem [53]). Quod quam vere ab ipsis dicatur, iam non quaerimus. Hoc autem manifestum est, manasse ab illo fonte ingentem copiam suavissimarum translationum, quae molestiam, cum necessitate moriendi coniunctam, vehementer mitigarent. Inprimis autem spes illa, *videndi post mortem homines omnis aetatis maximos, ac perveniendi ad divinum animorum concilium*, qua *Socrates* et *Cato* se consolantur, omnem asperitatem sermonis minuit, et maximam efficit verborum lenitatem. Iam enim *mori*, est, ἀποδημῆσαι ἐνθένδε εἰς ἄλλον τόπον, *discedere, tamquam ex hospitio, proficisci ad eos, qui nobis cari sunt; mors ipsa* non est interitus omnia delens, sed μεταβολή τις καὶ μετοίκησις, *commutatio vitae et migratio quaedam, qua transfertur animus e diversorio*

---

illum libellum: *Zerstreute Blätter*, Collect. II. pag. 273 sqq.

53) Latissime hoc persequitur, ut notum est, *Socrates* apud *Platonem* in *Phaedone*, cap. 9—13. Hunc imitati sunt multi alii, veluti *Cicero* (*Quaest. Tusc.* I. I. c. 31. *Seneca* epist. LXV. ac nonnulli etiam patrum, qui dicuntur, ecclesiae.

in domum, in patriam verissimam. Ipsa corporis putrescentis foeda dissolutio, quam suaviter describitur a *Cyro!* Reddi vult corpus terrae; τί γὰρ τούτου μακαριώτερον, inquit, τοῦ γῇ μιχθῆναι, ἢ πάντα μὲν τὰ καλὰ, πάντα δὲ ἀγαθὰ φύει τε καὶ τρέφει. Et quam pulcrum, quam aptum ad commovendum animum est, quod statim addit: ἐγὼ καὶ ἄλλως φιλάνθρωπος ἐγενόμην, καὶ νῦν ἡδέως ἂν μοι δοκῶ κοινωνῆσαι τοῦ εἰσεργετοῦντος ἀνθρώπους. Igitur *almae matris gremio*, hoc est *telluris*, quae omnia nutrit, excipi vult, eiusque, ut est apud *Ciceronem* [29]), *operimento tegi.* Sed non licet iam omnia persequi. Id vel hoc uno exemplo factum esse putamus planum, nihil tam foedum, nihil tam acerbum esse, quod non possit mitescere et accipere suavitatem quamdam, si verborum imaginumque ornamenta accesserint.

XXVII. Sed ea consolatio, cui proposita est confutatio, maxime locum habet *in malis opinatis.* Horum vero *tria* sunt genera. *Primum* eorum est, *quae sunt plane commenticia; alterum* eorum, *quorum esi innoxia indoles, sed cui perperam adiunxit hominum opinio atrocia multa, et efficientia dolorem ac metum; ultimum* denique complectitur ea, *quae, quamquam non sunt omnis molestiae expertia, tamen utilitatem affe-*

29) De *Legib.* l. II. c. 22 et c. 25.

runt multo maiorem, ſuntque proprie in bonorum numero habenda. Qui igitur perturbantur *commenticiis malis inanibusque terriculamentis*, quod accidere ſolet ſuperſtitioſis, meticuloſis, nimium ſollicitis de tuenda ſanitate, ſuſpicacibus, atque omnino his, quos natura finxit εὐφαντασιώτους: eorum aegritudo leniri ſedarique non poteſt, *niſi oſtendatur vanitas malorum, quae vel adeſſe putant, vel imminere.* In quo is, qui conſolatur, hanc adhibebit cautionem, ut maerentium imbecillitati omni modo parcat, manſuetudine utatur ſumma, ab irridendis autem et contemnendis eorum opinionibus penitus abſtineat. Nam etſi commenta iſta nonnunquam tam abſurda ſunt ac paene inſana, ut difficile ſit, riſum compescere: tamen hi, quos error occupavit et angit, iſtas nugas rem ſeriam putant, et abalienantur ab eo, qui noluerit ſe ad ipſorum imbecillitatem demittere. Nec utendum ſemper eſt in demonſtranda opinati mali vanitate argumentis iis, *quae veritas et ipſa rerum natura ſuppeditat.* Qui enim malis commoventur plane commenticiis, ii non raro tam perverſe cogitant et ſentiunt, et a recta ratione tantopere aberrarunt, ut argumenta legitima aut non intelligant, aut praeceptionis novitate et inſolentia offendantur. Hoc autem ſuſpectum reddit conſolatorem, dolendi cauſam relinquit. Componenda igitur eſt omnis oratio *ad*

ſenſum et opinionem maerentium; ex his ipſis opinionibus, et e placitis aliis, quae dolentibus certa videntur et firma, eliciendum aliquid, ad convincendum errorem, quo anguntur, aptum, atque omnino conquirenda ſunt omnia, quae a tempore, loco et reliquis περιστάσει deſumi poſſunt ad eximendum ſcrupulum [60]). Interdum vel *mendacio* licebit uti, ſi magna perturbatione occaecatus dolentis animus veritatis plane fuerit impatiens; modo adhibeatur tale mendacium, ut eſt apud *Platonem*, ὡς ἐν Φαρμάκου εἴδει [61]), vel, ut *Clementis Alexandrini* verbis utar, ἐν θεραπείας μέρει, καθάπερ ἰατρὸς πρὸς νοσοῦντας ἐπὶ σωτηρίᾳ τῶν καμνόντων, ψεύδεται [62]). Qui ſaepe vidit ficticiorum malorum vi perculſos, et intelligere didicit, quantopere abhorreant a veritate: is expertus ſciet, eos in magna aeſtuantis animi commotione ſaepe nihil aliud admittere, quam *fraudem quamdam ſalutarem*, quae ſedet tumultus primos, et melioribus argumentis viam muniat [63]).

---

60) Hoc modo *Fridericus* II. Boruſſorum rex, cum anno 1740 Sileſiam invaderet, confirmavit exercitum, lapſu ruentis repente de turri campanae perterritum. Conf. *Oeuvres poſth. de Fréderic II.* tom. I. p. 135.

61) *De Republ.* l. III. p. 611. Conf. *Lucretius de Rer. nat.* l. I. v. 935 941.

62) *Strom.* l. VII. p. 863. ed. *Potter.*

63) Plena eſt rerum geſtarum memoria exemplis, quae huc pertinent. Sufficiat, hic adnotaſſe, quae *Livius* refert

XXVIII. *Alterum* genus malorum opinatorum eſt *in rebus innoxiis, quibus hominum error affinxit atrocia multa, et efficientia dolorem ac metum.* Eſt hoc genus ei, de quo paullo ante diximus, longe ſimillimum; in hoc uno differt, quod hi, qui malis anguntur plane commenticiis, commoventur opinionibus vanis, quibus in univerſa rerum natura nihil reſpondet; hi autem, de quibus nunc loquimur, rem aliquam, quae vere adeſt, percipiunt quidem, ſed innoxiam et temere ſuspectam. Solet autem multis modis accidere, ut rebus innocuis, parvis interdum et contemnendis, vim perniciosam tribuat hominum error, iisque vehementer perturbetur. Primum igitur id ſaepe fit ab iis, *qui abripiuntur nimia vi phantaſiae*; vel ob imbecillitatem et imperitiam non id ſequuntur, quod in quavis re ratio ſuadet, *ſed regi malunt ſenſu quodam obſcuro, et ſignis aliunde profectis.* Neminem fugit, quot vanas formidines efficiat opinio, eſſe *phantasmata*, hominibus infeſta; qui error ſi occupaverit animum, acceſſeritque phantaſia paullo vehementior, curis angoribusque perpetuis prementur miſeri, et ubique vel audient, vel videbunt etiam omnis generis

---

de *Scipione Africano* l. XXVI. c. 19. *Plinius de Arria Epiſtolar.* l. III. ep. 16. §. 3-5. et *Robertſonus de Columbo, Geſchichte von Amerika*, tom. I. p. 96 ſqq. et inprimis p. 194 ſqq.

μορμολυκεῖα. Inprimis autem hic commemorandi sunt ii, *qui inepta ducuntur libidine divinandi*, et cum vel deliberant de aliqua re, vel solliciti sunt de eorum, quae instituere, successu, signa quaedam captant et omina. Acerbam, et vanissimis terroribus plenam haec una res facere solet vitam multorum hominum. Nam qui semel animum ita induxerunt, ut iis in rebus, quarum exitus incertus esse videtur, e signis variis, quae vel casus obtulerit, vel ars quaedam invenerat, augurentur futura: ii quidquid acciderit, ad eventus futuri significationem trahunt, saepeque rebus levissimis ac plane innoxiis vehementer conturbantur. Quod *Plutarchus* de *Alexandro* narrat[64]), ei, cum paullo ante obitum in metum coniectus esset monitis amicorum, ac coepisset, omina capere, nullam rem insolitam, ac paullo rariorem tam parvam esse visam, quin eam verteret in prodigium et ostentum, id ad superstitiosum quemque potest transferri. Nulla enim re magis discruciantur homines, quam superstitione[65]), et interdum vel in iis, qui sibi videntur ultra vulgus sapere, aegritudo maxima, quae lacerat animum, exest, confixit, proficiscitur a re parva, levi, innocua, quae malum aliquod por-

64) In Alexandr. c 75.

65) Egregie hunc locum tractavit *Plutarchus* in libello *de superstitione*.

tendere creditur, et hominum opinione signum habetur diruum ac funestum. Non parum commovebatur, ut vel e *Suetonio* notum est, *Augustus* imperator, si mane sibi calceus perperam, ac iniquiter, pro dextro, induceretur [66]). *Cardanum* vero, ut ipse fatetur [67]) grunnientes in via publica porci, et anates obstrepentes terrore ac metu implere poterant, quod in his rebus signa instantis mali sibi videbantur deprehendere. In his igitur sedari tristitia ac dispelli aliter non potest, nisi sic, ut error, qui dolorem efficit, evellatur, et quam levia sint, quae metuantur, quamque innoxia, perspicue demonstretur. Id autem optime succedit tum, cum non ignarus *physicorum* est consolator, sed subtiliter aperire potest causas eorum, quae imperitis videntur suspecta. Desinit enim metuere, qui intelligit, quomodo gerantur et accidant, quae insolita visa fuerant et ἄτοπα, et quam parum cohaereant cum hominum salute. Qui autem discere volunt, quomodo accuratior rerum physicarum scientia transferenda sit ad consolandos homines superstitiosos, et ad exstirpandas opiniones vulgi, quibus vanae excitantur formidines, ii *Goezium* eligant ducem, qui nuperrime multis exemplis docuit, quomodo in re tam gravi

---

66) In *Octav.* c. 92.

67) *De propria vita*, c. 43. p. 158.

commode verſari debeant religionis magiſtri [68]). Interdum etiam *malus quidam pudor* homines vexat, et efficit, ut vel prorſus temere augantur, vel immoderatius. His alio modo ſuccurri non poteſt, niſi ſic, ut demonſtretur, quod ſibi vitio vertant et ignominiae ducant, in eo turpitudinem non eſſe. Nec deerit conſolatori ſucceſſus, ſi exemplis poterit docere, ſimilia accidiſſe multis aliis probis et honeſtis hominibus. Memorabilis eſt *Bellofobrii*, Berolinenſis theologi, hac in re prudentia. Is cum *Cornueretum* collegam, qui orationem ſacram habens, memoria deſtitutus, repente obmutuerat, idque ſibi ignominioſiſſimum eſſe putabat, hunc igitur cum confirmare vellet et erigere, eo progreſſus eſt, ut diceret, ſe proxima die dominica pari modo obmutescere, et libenter in eius ignominiae, ſi qua ſit, ſocietatem venire velle [69]).

XXIX. Sed homines ſaepe *religione ipſa* ita ſunt abuſi, ut rebus innoxiis aſſingerent multa, quae metum non poſſent non aſſerre, vanisque terroribus imperitos cruciare. Sic in iis, ut nonnullis utar exemplis, qui non ſunt deſtituti ingenio, ſaepe vel ſponte oriuntur dubitationes de re-

---

68) In opere notiſſimo: *Nutzliches Allerley aus der Natur und dem gemeinen Leben*, cuius etiam editio nova et emendatior prodiit.

69) Conf. *Formey Souvenirs d'un Citoyen*, Part. I. p. 76.

bus, ad religionem pertinentibus, vel ipsis inii-ciuntur ab aliis, in quo nec culpa est, nec periculum, si quis hac opportunitate examinandi omnia, et accuratius considerandi, bene utatur. Sed quis nescit, fuisse, quibus hic videretur subesse occulta quaedam efficacia *diaboli*: fuisse, qui dubitationes de religione *tela ignea Satanae* appellarent, et hoc modo cum se, cum alios inani trifiitiae traderent. *Lutherum* ipsum is error interdum pessime vexavit [70]). — Notum est, vitio carere impetus naturales, ab ipso Deo insitos, iisque obsequi, si intemperantia absit et immodica voluptas, non alienum esse a sanctitate hominis Christiani. Sed quot homines miseri naturales istos et innocuos animi motus, qui opprimi penitus et exstirpari non possunt, quod ad conservationem corporis, et ad propagationem generis humani necessarii sunt, omni tempore, non sine magnis angoribus aversati sunt ac detestati! Haec enim desideria *cupiditates carnis* esse putabant, quas omni studio coerceri iubeat religio. Inde factum est, ut serio cogitarent de affligendo, compescendo et mortificando corpore, et in ea re adhiberent nonnunquam atrocissima tormenta, et severitatem prorsus incredibilem. Sed vanum est, exuere naturam velle, ususque satis docuit, ita

---

70) Conf. *Opera* tom. XIX. p. 1489. ed. *Walch.*

quemque in aegritudinem maximam incidiſſe, ut in cruciando corpore eſſet acerrimus et in deteſtandis eius motibus nimis anxius. Quare hi, qui hoc modo expellere naturam quaſi furca volebant, ſaepe parum aberant a deſperatione, quod efficere non poterant, quae optabant [71]). — Percipiunt, ut notum eſt, homines pii, cum animis et cogitatione comprehendunt ineffabilem Dei erga homines benignitatem, eamque patefactam maxime per Chriſtum, cum libros ſacros legunt, cum precantur, atque omnino piis utuntur exercitationibus, interdum ſanctiſſima et liquidiſſima gaudia, in quibus veriſſima eſt melioris vitae praeſenſio. Sed habet ea res ſuum modum, et cum non pauca ſint, quae iſtos ſenſus interdum exſtinguant, in quo inprimis magna ſolet eſſe vis corporis: neceſſitas *gaudii*, quod vocant, *ſpiritualis*, tanta non eſt, ut ſibi diffidere debeat, qui illo fructu per

---

71) Hoc optime illuſtrari poteſt e vitis eorum, qui conditores facti ſunt *ordinum monaſticorum*, et e rebus geſtis *ſanctorum*, quos ſollemni ritu inter caeleſtis reipublicae optimates collocavit Romanus epiſcopus. Horum enim plurimi in affligendo corpore fuerunt artifices maximi, et longe crudeliſſimi. Memorabilis eſt hac de cauſa etiam *Pascalii*, nobiliſſimi geometrae, vita, quam eius *cogitationibus* praemiſit ipſius ſoror, et quam legiſſe poenitebit neminem. Addi poteſt libellus, francogallice ſcriptus: *Vie du bienheureux François de Paris*, Ultraiect. 1745, e quo multa affert *Mosheimius* in *Diſſertationibus ad hiſtoriam eccleſiaſticam*, tom. II. pag. 509 ſqq.

aliquod tempus carueriit. Fuerunt tamen omni tempore, et hodieque sunt, qui existiment, Christianos veri nominis semper posse ac debere frui istis delicis, et in his animi motibus esse signa certissima fidei, regenerationis et θεοσεβείας apud Deum. Quare multi, ne tanto bono priventur, crebrius utuntur ac variis exercitiis, petunt secreta, amant in religione, quae blandiuntur phantasiae et suaviter alliciunt animum, atque sic quovis modo sensus acres in se excitant. Sed quo ardentius haec expetuntur et quo maiori aviditate: eo facilius succedit torpor quidam; et, quod fere semper fieri solet, ut hebescat animi sensus, si licentia quadam nimia voluptatem ex aliqua re coperit, id et hic non raro accidit. Tum vero hos, qui sine sensibus istis negant veram fidem, veramque pietatem esse posse, interdum aegritudo opprimit longe maxima; tum conqueruntur *siccitatem quandam spiritualem*; tum lamentantur *spirituales defectiones*; atque si accesserit atra bilis, si corpus habuerint alio modo fractum et imbecille, si angores animi coniuncti fuerint cum cogitationibus pravis, detestabilibus, blasphemis, quas suggerere videatur diabolus, in *tentationes* etiam, quas dicunt, *spirituales* incidisse se putant, et saepe cum desperatione confligunt. Dici non potest, quam tabem, quos cruciatus, quam afflictationem habeat hoc genus aegri-

tudinis, et quam difficiles sint in admittenda consolatione, qui hoc modo strati sunt et perculsi. Saepe consolatus est tales miseros *Spenerus*, et usus argumentis variis; admonuit etiam nonnunquam recte et commode, multa proficisci in ea re a contagione corporis aegri, et adhibendis remediis physicis minuendam esse mali vim [72]). Sed etsi non pauca praeclare disputantur ab hoc viro ad dissipandam tristitiam eorum, qui tentatos se putant, vel desertos a Deo et reprobatos: tamen ramos tantum eius miseriae amputare videtur, radicem relinquere. Ponit enim fere et concedit, *veris* malis urgeri, qui sic doleant; cum tamen error in eo sit, quod rem in se plane innoxiam, absentiam gaudii spiritualis, et cogitationes pravas, profectas illas non a voluntate animi, sed ab aegrotante corpore, mali loco habent, ac temere perhorrescunt. Eo igitur omne studium conferendum est consolatori in hac causa, partim ut succurratur valetudini corporis, neque enim prius consolationis vim recipit animus, quam corporis aegrotatio fuerit sublata; partim ut intelligere discant maerentes, *opinato* malo se terreri, et vano metu angi. Omnino autem cavendum est, *ne homines fidem ac pietatem suam metiri discant*

72) Conf. *Theologische Bedenken*, Part. II. cap. V. art. II pag. 707-904. Add. *Berndii Vita*, pag. 541 sqq. et pag. 648 sqq.

e sensibus motibusque piis, in quibus nec scriptura verae pietatis signa esse docet. Qui enim istis sensibus nimium tribuunt, ii in dolores vix consolabiles incidunt, si animus vel corporis infirmitate, vel alia calamitate fractus, tales motus non potest suscipere. Sed hunc locum optime perpurgavit *Spaldingius* in libro, quo docuit, *quod pretium statuendum sit in religione sensibus* [75]). Nos haec breviter admonuimus eo consilio, ut intelligatur, etiam *religione* abuti homines ad discruciandum animum malis opinatis; consolatoris autem esse, tristitia, quae rebus innoxiis affinguntur, diligenter abstergere, et errorem omni modo confutare.

XXX. *Ultimum* genus malorum, quae supra opinata diximus, continet res, *molestas quidem illas, et asperitate quadam sua absterrentes eum, qui fuerit timidior, vel doloris nimis impatiens; utiles tamen et expetendas propterea, quod susceptos labores et aerumnas magnitudine et veritate commodorum compensant.* Late patet hoc genus, et multa complectitur, quibus homines saepe solent vehementer conturbari. Ab hoc enim fonte manat eorum tristitia, quibus sanitas non potest restitui, nisi admittant remedia molesta, cum magnis doloribus coniuncta; hoc modo dolent

75) *Gedanken über den Werth der Gefühle im Christenthum*, ed. quarta; Lips. 1775.

ii, qui suscipiunt itinera, necessaria quidem illa, sed periculosa; qui adeunt munus aliquod grave, et cum multis laboribus occupationibusque coniunctum; qui collocantur in matrimonio, abstrahuntur a consuetudine suorum, migrant e patria, vel dimittunt a se liberos, cognatos, amicos. Quamquam enim sciunt, quibus talia accidunt, non male secum agi, et in his mutationibus inesse magnam felicitatis suae partem: tamen cogitatio molestiae, quae ab his rebus non potest abesse, hebetat aciem ad contemplandam utilitatem, iis adiunctam, et animum haud raro occupat fere sola. Hoc autem ubi factum est, a consolatore primum adhiberi possunt ea, quae supra de *minuenda* mali opinione diximus, quia molestia, quae rebus bonis adiuncta esse solet, non semper tanta est, quanta hominum vel ignavia, vel errore putatur. Inprimis autem hoc agendum est, *ut commodorum*, quae suscipiendis et constanter ferendis his aerumnis comparantur, *vera ratio et gravitas illustretur*, factaque contentione perspicue intelligatur, non sine magno praemio molestiam sustineri. Sunt autem plerumque commodorum, quae commemorari possunt consolandi causa, genera duo: alia *in promtu sunt, statimque percipiuntur*; alia *sequuntur tardius et sunt remotiora*. Haud parum prosunt, animumque labantem erigunt illecebrae *commodorum praesentium*, quae cum molestiis

ipsis sunt coniuncta, earumque magnam afferunt levationem. Hoc utilitatis genus eo diligentius commemorari debet a consolatore, quo magis permoventur homines obiecta *specie* voluptatis, eiusque propinquae et certae. Sic interdum effici potest, ut, quae olim vehementer aversari solerent, ea, utilitatis magnitudine intellecta, appetant, et bonis adnumerare discant. Nec praetermittenda sunt *futura commoda*. Etenim propolita magnorum praemiorum spe, si vel maxime fuerint remota, tamen adducimur facile, ut labores, molestias, contentiones, quae vel impendent, vel iam instant, minime fugiamus, sed suscipiamus libenter et fortiter. Haec autem remotiora commoda quoniam saepe sunt *interna*, et posita in exercitatione quadam animi et virium, in incrementis scientiae, virtutis eorumque omnium, sine quibus nulla est vera hominis conformatio: cavendum est, ne haec negligantur. Nam cum ea bona, quibus malorum toleratio animum auget et exornat, non incurrant in sensus: ne animadverti quidem solent ab his, qui sunt in aegritudine. Quare diligenter et copiose exponenda sunt, ut intelligatur, mala, quae tristitiam afferant, opinata tantum esse, et animo longe salutberrima. Ceterum hic plurimum valebit *usus rerum et experientiae*. Ita enim quisque versabitur optime in adhibendo hoc genere solatii, ut accuratissime

cognita habuerit bona omnia, quae ex quovis genere malorum apparentium et ſolent oriri, et poſſunt. Nec alienum fuerit, *exemplis* niti in hac cauſa, quibus ea, quae dicuntur, ſubiiciantur quaſi oculis maerentium, et admoveantur ad ſenſus ipſos. Exempla fidem quoque faciunt his, quae de utilitate malorum differuntur, et ſolemus libenter ſuscipere et cum alacritate quadam ea, quae multis aliis bene ac feliciter ceſſiſſe videmus. Haec ſufficiant de malis *opinatis*.

XXXI. Reſtant *vera* mala, hoc eſt ea, *in quibus nihil boni videtur ineſſe, et quorum utilitas non ita demonſtrari poteſt, ut intelligant maerentes, ſe dolendi cauſam habere plane nullam.* Atque hic praetermittimus orationem eorum, qui negant, vera mala reperiri in vita hominum, idque demonſtrant e notione mundi optimi, in quo nihil locum habeat, quod vere noceat, ac perniciosum appellari poſſit. Nam etſi fatemur, haec probabiliter dici ac praeclare exornari poſſe, recteque hac de re praecipi in ſcholis coram iis, qui nullo malorum ſenſu impediuntur, quominus ratiocinationes ſubtiles, quarum aliae ex aliis nexae ſunt et aptae, cognoscere poſſint et percipere: tamen ſodicantibus rebus malis, et apud hos, quos vexat, lacerat, reſpirare non ſinit praeſens aliqua et ingens calamitas, nihil eſſeceris iſto conſolandi genere. Ipſi enim illi ſtimuli et ignes, quos ad-

movet malum urgens, et quorum est acerrimus sensus, maerentis animum ab illa cogitatione avertunt, ut rideri se putet, et indignetur, si negaveris, ipsum in malo esse, aut omnino verum malum reperiri posse. Dandum hoc est imbecillitati eorum, quos oppressit ac prostravit magna quaedam calamitas, ut concedamus, eos iure meritoque dolere, nec fallacem esse sensum illum ab ipsa natura inditum, qui malorum praesentia et magnitudine excitatur. Aliam igitur consolator viam sequetur, si levandus erit dolor eorum, qui veris malis affliguntur. Omnis autem consolatio etiam hic in *confutando* esse debet. Scilicet, ut recte dicitur, nihil esse ab omni parte beatum, ita verissimum quoque illud est, nihil esse ab omni parte miserum. Vel atrocissimis malis plerumque *multum boni admixtum est, habentque facies diversas*, quae, si fuerint protractae in lucem et in conspectum, animum affectum placant, et aegritudinem leniunt. Consolatoris igitur est, *calamitates veras hoc modo mitigare, easque ostendere ab illa potissimum parte, quae placere possit, et doloris mutationem afferre.* Id autem fieri multis modis potest, praesertim si commode apprehendere didicerit consolator, quidquid boni circa se habet conditio cuiusque miseri, idque subtiliter et copiose demonstraverit. Nos, quoniam omnia persequi in hac brevitate non possumus, ne

pars tam gravis praeterita esse videatur, *locos de-signabimus communes*, qui dominantur in hoc genere, et sedem habent propriam ac necessariam.

XXXII. Mitigatur autem vehementer mali cuiusdam atrocitas, si ostendi potest, *aliquam eius partem esse ridiculam*. Hoc enim in promtu est, tolli dolorem, ex aliqua re susceptum, si succedat contemtus, tristitiam vero solvi, si quid offeratur, quod animum repente ad hilaritatem non tam invitet, quam rapiat. Utrumque effici solet eo, quod est ridiculum. Quare veteres iam monuerunt, in mitiganda tristitia interdum nihil plus prodesse, quam facetias. *Nihil enim*, ut *Ciceroni* videtur [74]), *tam facile, quam multitudo a tristitia, et saepe ab acerbitate commode, et breviter, et acute, et hilare dicto deducitur.* *Horatii* autem illud notum est:

— — — *ridiculum acri*
Fortius et melius magnas plerumque secat res [75]).

Adhiberi vero ridiculum in dissipanda tristitia *duobus modis* potest. Primum vehementer extenuabit diluetque molestias *lectio librorum*, qui hilaritate et ioco redundant, et festivitate quadam conditi sunt. Id non tantum fit propterea, quod sic

74) *De orator.* l. II. c. 63. §. 340. add. *Quinctilianus Institut. Orat.* l. VI. c. 3.

75) *Serm.* l. I. sat. 10. v. 14. 15.

abstrahitur mens a cogitationibus acerbis, malique notio, quae vexat, obscuratur, de quo iam supra dictum est [76]): sed etiam, et quidem maxime, quod ista lectione ita solet affici, qui dolet, ut omnia incipiat spectare a parte alia, et in quavis re apprehendere potissimum ea, quae placent, et iucunda sunt. Hoc autem facile transfertur ad molestias, quas *ipse* sentit, ut in iis animadvertere discat multa, quae vel contemtum excitent, vel ridendi materiam praebeant, animumque confirment. *Gesnerus* quidem de se professus est [77]), in morbis libenter legere se libellos ingeniosos, atque si quid licet adiicere de me ipso, equidem bene memini, me febri stratum assidua non parum exhilarari lectione *Luciani*. — Interdum vero *id ipsum, quod angit et vexat, habet aliquid, quod ridendum sit*, et, modo recte animadvertatur, invitet ad iocandum, atque sic tristitiam severitatemque relaxet. Id imprimis locum habet tum, cum hominum temeritate, stultitia, ignorantia, errore aliquid commissum est, quod nocet, et molestiam affert. Dici non potest, quam facile mitigetur interdum commode et acute dicto gravissima molestia, praesertim si coniuncta fuerit cum indignatione et ira. *Documento esse pos-*

76) Conf. §. XIII. 99.

77) Vid. *Praelectiones in Isagogen in eruditionem universam*, Tom. II. §. 854. p. 189.

sunt, ut *Quinctiliani* verbis utar [78]), *iuvenes Tarentini*, *qui multa de Pyrrho rege securius inter coenam locuti*, *cum rationem facti reposcerentur*, *ut neque negari res*, *neque defendi posset*, *risu sunt et opportuno ioco elapsi*. *Namque unus ex his*, immo, *inquit*, nisi lagena defecisset, occidissemus te; *eaque urbanitate tota est invidia criminis dissoluta*. Sic saepe formidines, dolores, morbos et res odiosissimas ioco risuque dissolutas esse longe facilius, quam tolli potuissent solatiis aliis, exemplis confirmat universa historia [79]). Est tamen hoc genere utendum caute. Habenda enim est ratio hominum, rei, temporis, ne ea ludantur, quae aut odio, aut misericordia maxima digna sunt. Caveri etiam debet, ne quid iocus de gravitate decerpat, vel dignitate careat. Omnino autem hoc modo maxime consulendum est his, qui natura sunt proclives ad hilaritatem, ac praediti acriori quodam urbanitatis sensu, quo

---

78) Institut. Orator. l. VI. c. 3. §. 10.

79) Quaedam collegit *Floegel* in opere eruditissimo: *Geschichte der komischen Litteratur*, tom. I. p. 23 sqq. Rem inprimis notabilem ex hoc genere narrat auctor operis Francogallici: *Mémoires du Marechal Duc de Richelieu*, tom. III. p. 229. Nec praetermittenda vox *Hannibalis*, praelium Cannense cum ioco incipientis conf. *Plutarchus* in *Fabio* c. 15. p. 706. ed. *Reiske*. Addantur denique, quae *Rusticus* commemorat in *Confessionibus* Opp. tom. XXXI. p. 235. ed. Bipont.

talia facile arripiat animus, et motus liberiores concipiat.

XXXIII. Licet interdum id, quod male nos habet, et aegritudinem affert, ita ſpectare, ut intelligatur, *eo nos vel liberatos eſſe a gravioribus malis, vel adverſus eorum impetum munitos.* Atque hoc quidem uſus docet, ſaepe non male cum iis agi, quos caſus aliquis affligit, *quod ſimul eripiuntur malis aliis, iisque gravibus et magnis.* Multis profuit, muneribus privari, quorum laboribus paene conterebantur; coniuges, liberos, amicos lugere, qui eos curis et ſollicitudine afficiebant perpetua; amittere bona, quae aegre conſervare poterant; incidere in morbos, quibus vel levabatur, vel tollebatur penitus peſtis corporis alia, quacum iam dudum conflictati erant. Hac conſolatione *Cicero* interdum eſt uſus in epiſtolis ad amicos, qui in magna reipublicae perturbatione cogebantur urbe carere et ſuis. *Quod autem a tuis abes*, ſcribit *Sulpicio* [80]), *id eo lenius ferendum eſt, quod eodem tempore a multis et magnis moleſtiis abes, quas ad te omnes perſcriberem, niſi vererer, ne ea cognoſceres abſens, quae quia non vides, mihi videris meliore eſſe conditione, quam nos, qui videmus.* Saepe malo, quo vel ipſi opprimimur, vel hi, qui nobis cari ſunt,

80) Ad Famil. l. IV. ep. 3.

occurritur aliis, et multo quidem atrocioribus, *quae impendent*, et quorum impetus alia ratione non poteſt averti. Quot enim fuerunt omni tempore, quos vel ignominia quaedam et offenſio, vel exilium, vel iactura bonorum et valetudinis, vel caſus quidam alius impediret, quo minus in ſocietatem conſiliorum venirent, quorum foediſſimus eſſet exitus, vel in tempora et mutationes inciderent, cum interitu maximo coniunctas. Non mediocrem conſolationem affert huius rei cogitatio; ceſſant enim dolendi cauſae, cum intelligitur, parvo incommodo vitata eſſe mala maxima. Sed hoc ſolatii genus *non uno modo* adhiberi poteſt. Interdum enim maius incommodum, quod calamitas levior antevertit et ſuſtulit, *eſt in promtu, et ante oculos propoſitum.* Tum vero conſolatoris eſt, admonere maerentem et cohortari, ut animum attendat, et quot mala, quamque atrocia redemerit quaſi parva iactura, diligenter perpendat. Sic enim mali naturam fere penitus amittit, quod moleſtum viſum fuerat, induitque ſpeciem beneficii, ut dolori, quem antea conceperat miſer, iam gratuletur ipſe, ac de eo laetari diſcat. Sed plerumque *non ſtatim intelligitur*, utrum et quomodo caſus, qui miſerum perculit, avertere graviora poſſit. Etenim ſaepe non niſi multorum annorum decurſu manifeſtum ſit, in quae mala incidiſſemus, niſi ſalutaris quaedam calamitas

adversus eorum impetum nos muniviſſet. Hoc ubi accidit, disputatione probabili consolator uti debet, et ostendere, quam credibile sit, in malis praesentibus aliorum, multoque graviorum, quaedam fore remedia. Id autem demonstrabit facile, si *exempla* protulerit eorum, qui, similia passi, atrocioribus malis sunt erepti; inprimis autem, si probe cognitam habuerit atque perspectam eius, qui consolandus est, *conditionem universam*. Ex hac enim multa petere licebit, quae ad extenuandam molestiam, et ad excitandam aliquam spem commode possint transferri.

XXXIV. Porro praeclare versabimur in consolando, *si efficiamus, ut malum, quod vexat et angit, spectare discat maerens ab ea parte, in qua signa quaedam prudentiae, virtutis atque omnino perfectionis suae possit animadvertere.* Certum est, in ipsa calamitate placere sibi hominem, si vel ingenii, vel omnino praestantiae suae documenta et notas in ea deprehenderit. Omnem fere mali naturam amittunt gravissimi casus, si eos *praesensimus ac praediximus* multo ante, quam alii eos vel viderent, vel metuendos esse putarent. Quid enim magis delectat, quam ingenio, prudentia, rerum gerendarum peritia et usu aliis praestare, et confirmata videre, quae coniectura dudum ante praecepta fuerant? Tanta solet esse voluptas, quam ex hac re capit mens humana, ut

saepe malit calamitate quadam affligi, quam erroris convinci. Egregie hoc confirmant, quae *Brutus* aliquando *Ciceroni* scribit: *in maximo meo dolore hoc*, inquit, *solatio utor, quod intelligunt homines, non sine causa me timuisse ea, quae acciderunt* [81]). Ita etiam *Cicero* ipse de interitu reipublicae *Sulpicio* scribens [82]), *multa*, ait, *me iam consolantur, maximeque conscientia consiliorum meorum. Multo enim ante, tanquam ex aliqua specula, prospexi tempestatem futuram.* Vehementer itaque levabit consolator molestiam, si maerenti talia revocaverit in mentem, et ita diuerserit, ut is aliquem sapientiae et ingenii sui fructum ex illo sermone percipiat. In quo saepe multum proderit, si eum, qui dolet, ipsum ad dicendum alliciamus, eique faciamus copiam exponendi rationes, quas olim secutus sit in iudicando, eiusque prudentiam laudemus. Sic enim mutatur sensum mali notio, et faciem accipit, quae placere possit. Hoc etiam tum fieri solet, cum aequitatis, iustitiae, moderationis atque omnino *virtutis* suae signa quaedam impressa videt miser malo, quo urgetur. Recreat eius rei observatio animum aegrum ac reficit vehementer non modo propterea, quod conscientia rectae voluntatis et vitae integrae maxima est consolatio rerum incom-

81) Ad Famil. l. XI. ep. 26.
82) Idem l. IV. ep. 3.

modarum omnium: verum etiam ea de causa, quod spem facit, fore, ut omnes boni, perspecta innocentia nostra, nobis faveant, nos colant, et, quantumvis deiectos et fractos, magnifaciant [83]). Iam cum ii, qui ex aliqua calamitate dolent, saepe vel non animadvertant, vel prorsus ignorent, quam arcte sit illud malum cum ipsorum virtute coniunctum, eamque illustrare possit: ab hac potissimum parte spectare consolator omnia debet, sibique hoc modo et favorem maerentis conciliare, et disputando levare onus miseriae. Nonnunquam considerari malum, quod molestiam elicit, ex ea parte potest, quatenus continet *alia vestigia praestantiae*, qua conspicuus est, qui dolet. Hoc genus complectitur omnia, quae ab invidia et obtrectationibus aliorum proficiscuntur. Neque enim peteretur is, cui homines malivoli iniuriam inferunt, nisi haberet bona multa, quibus commoveretur eorum invidia. Haec autem bona laudabit consolator, haec amplificabit quam maxime; nihil enim ad levandas eorum, quos invidia laesit,

---

83) Hoc referri possunt, quae *la Crozius I. A. Fabricio* scribit: *mi frater*, inquit, *me refecerunt litterae tuae — eo enim tempore advenerunt, quo molestia pressus animum fere deponebam. Verum ad suavissimas tuas litteras redeo, quae me, ut vera loquar, in ipso dolorum fonte gaudio perfuderunt. Quoties tamen me ita abs te laudatum video, totiens me alium a me factum esse suspicor. Thesaurus epistolicus la Crozianus*, tom. III. p. 127.

moleſtias maius eſſe poteſt, quam cogitatio rerum, quibus ceteris antecellunt; moderate enim ac toleranter ferimus, quae manifeſta documenta eſſe putamus, quantopere hos, qui nos violant, ſuperemus.

XXXV. Sed latiſſime patet locus *de utilitate, quam omnia fere malorum genera praebent in excolendis animi viribus et augendis bonis internis*, quae prope ſola bona dicenda ſunt. Ac cetera quidem commoda, quae cum perpeſſionibus noſtris coniuncta eſſe ſolent, ſunt maximam partem incerta, ac pendent ab arbitrio fortunae. Ea vero, quae ad animum pertinent, quae poſita ſunt in incrementis ſcientiae, virtutis et tranquillitatis, in noſtra ſunt poteſtate, et patent cuivis calamitatibus recte prudenterque utenti. Hoc vidit *Zeno*, qui, cum nuntiaretur, navim ipſius, qua negotiabatur, eſſe fractam, exclamaſſe dicitur: εὖ γε, ὦ τύχη, ποιεῖς, εἰς τον τριβωνα συνελαύνουσα ἡμᾶς [84]). Adverſa fortuna impelli ſe paſſus eſt ad philoſophandum, atque ſic bona invenit, amiſſis longe praeſtantiora. Sed non omnes in videnda malorum utilitate vera ſatis ſunt exercitati. Quare hic inprimis diligens eſſe conſolator debet, et malum quodvis ſpectandum proponere ab ea parte, quatenus vel *cognitionem amplificat et auget*, vel

84) Conf. *Plutarchus de capienda ex hoſtibus utilitate*, pag 523.

virtutis exercendae locum et materiam suppeditat, vel denique *felicitatis sensum acuit et intendit*. Primum igitur multiplicem *scientiam* afferre male, satis constat. Artium enim plurimarum inventio et excogitatio debetur necessitati, quae homines compellit, ut circumspiciant omnia, et in usus suos convertant. *Labor*, ut est apud poetam,

— — — — *omnia vincit*

Improbus, et duris urgens in rebus egestas [85]).

Deinde malorum perpessio inprimis augere potest eam cognitionem, *quam quisque habet de se ipse*. Constat, homines plurimos se ignorare, quod familiariter, ut est apud *Senecam*, *domestica adspiciunt, et semper iudicio favor officit* [86]). Is autem error, eaque indulgentia, qua quisque se persequitur, optime tollitur vi malorum, qua coguntur homines, omnem curam, omnemque cogitationem in se convertere, seque diligentius contemplari. Quare nulla calamitas potest incidere, quae non prosit attento bonorum malorumque suorum observatori et iudici ad meliorem sui cognitionem. *Homines* autem *reliquos* accurate nosse, scire, quod sit bonis huius vitae statuendum *pretium*, colligere denique *usum* multiplicem et rerum gerendarum *prudentiam* nemo potest, nisi

85) Conf. *Virgilii Georg.* l. I. v. 145. *sq.*
86) *De tranquill. animi*, c. 1.

quem fortuna casibus adversis exercuerit varie. — Haud minor est malorum utilitas *in exercenda et confirmanda virtute.* Haec enim in promtu est, rectas esse animi affectiones, quae sine multiplici ac diuturno certamine cum adversa fortuna nec oriri possint, nec adolescere. Constantia quidem et firmitas, fortitudo, patientia, rerum humanarum despicientia, magnitudo denique animi, quae nihil extimescat, nihil, quod homini potest accidere, intolerandum putet, quae hostibus ignoscat et parcat, iniurias autem gravissimas negligat et voluntaria quadam oblivione conterat, haec aliaeque virtutes arduae et excelsae non possunt exsistere, nisi in eo, qui multis sit gravibusque molestiis et malis diu conflictatus. Atque omnino nulla est virtus, nulla animi humani praestantia, quae non in illa pugna capiat incrementa, et maturitatem quamdam assequatur. Aequo autem animo casus omnes ferret, qui adversa quaevis virtutis disciplinam habere didicit. Hanc igitur potissimum malorum faciem ostendere oportet consolatorem, praesertim si erigendi sunt hi, qui non carent virtutis amore, et intelligunt, quantum sit, in ea proficere. — Amittet denique malum, quod urget maerentem et adflcit, magnam acerbitatis suae partem, si viderit, id plurimum valere *ad acuendum felicitatis sensum*

Veriſſimum eſt, quidquid contra dicat *Baelius* [87]), modo recte intelligatur, illud *Lactantii*[88]): *niſi prius malum agnoverimus, nec bonum poterimus agnoscere.* Neque enim omnem voluptatis iucunditatem percipere poteſt humana mens, niſi fuerit experta ſtimulos doloris, atque ſic nacta ſenſum quemdam acriorem. Sunt etiam bona multa, quorum ſuavitatem tum demum intelligere discimus, cum iis aliquamdiu caruimus. Hunc igitur ſaepe magnum capimus e malis fructum, ut rebus multis, quae nos olim parum afficiebant, iam pascamur ſuaviſſime, earumque dulcedine mirifice deliniamur. Ipſae denique perpeſſiones noſtrae reſperſae ſunt propriis quibusdam variisque deliciis, quas nemo ſentire poteſt, niſi qui moleſtias, ipſis admixtas, aequo animo ſuſceperit. Magnum erit ad levandam aegritudinem illa omnia diligenter commemorare, et ſenſim eo perducere maerentem, ut in iis, quae antea mala videbantur omni ex parte, iam animadvertere incipiat nonnulla, quae prodeſſe poſſint, faciantque ſpem, fore, ut aliquando laboris ſui praemia ferat. Sed ab hoc uberrimo fonte quot et quam larga ſolatia duci poſſint in quovis malorum genere, iam alii

87) Conf. *Hiſtoriſches und kritiſches Wörterbuch*, art. Paulicianer. tom. III. p. 637 ſq.

88) In libro: *de Ira*, c. 13. §. 23.

ſatis copioſe docuerunt. Hic enim locus is eſt, quo in conſolando maxime ſunt uſi omnes, qui religionis Chriſtianae beneficio ſentire didicerant et magnifacere internos malorum fructus, quibus exornatur animus, et qui ceteris commodis longe ſunt anteponendi. Subtiliter et copioſe hunc locum perpurgarunt *Villaumius* [89]) et *Weishaupt* [90]), inprimis autem *Feſt*, cuius praeclarum opus *de utilitate malorum* haec omnia latius perſequitur [91]). Nobis hic nihil aliud propoſitum eſt, quam deſignare breviter ac deſcribere conſolationum genera; quare hac de re copioſius agere iam nihil attinet.

XXXVI. In conſolando autem nec illud negligi debet, *malum aliquod immiſſum eſſe a Deo*, et quidem *benigno conſilio*, cum praeter eius, qui afflictum ſe ſentit, privatam, et reliquorum hominum communem utilitatem nihil ſequatur rerum humanarum arbiter. Haec conſolatio vehementer recreabit eum, cui perſuaſum erit, conſilio, providentia, vi ac numine Dei adminiſtrari

89) In opere copioſo et erudito, quod inſcripſit: *Von dem Urſprung u. den Abſichten des Uebels*, tom. III. 12.

90) Conf. liber, cuius eſt index: *Apologie des Miſsvergnügens*, Frf. et Lipſ. 1787.

91) Inſcriptum eſt: *Verſuch über die Vortheile der Leiden und Widerwärtigkeiten des menſchlichen Lebens*, eiusque editio altera, emendatior et aucta varie, prodiit Lipſiae 1787. 2 tom.

mundum et regi, eamque curam non magna tantum complecti, sed etiam demittere sese ad minima quaevis, et cuivis homini prospicere. Primum enim cogitationi malorum, quae molestiam affert, multum acerbitatis detrahitur, cum intelligimus, nec *fortunae casusque* temeritati, nec *fati* vi ac necessitudini nos esse obnoxios, sed proficisci, quae nobis accidant, a sapientia summa, rerum omnium optima moderatrice. Hoc autem porro hanc habet vim, ut malum ipsum, quo perturbamur, paene aliam induat formam. Cum enim a Deo, quae vere noceant, non possint immitti, sed fit in omnibus, quae eius consilio et providentia geruntur, salutis nostrae habita ratio: sequitur, ut ea quoque, in quibus nobis nihil videatur inesse, quod prosit, tamen sint adnumeranda *beneficiis*. Spes autem, fore, ut olim eorum, quae sumus perpessi, fructus capiamus uberrimos, animum facile abducit ab aegritudine, ac tristitiam dissipat. Accedit denique, vulnus, inflictum a Deo, *haud immedicabile videri*. Tum enim dolor, ex aliqua re susceptus, vix consolabilis esse solet, cum nulla est relicta spes auxilii, malumque superat eorum, qui opitulari conantur, vires. Atqui hic metus, haec rerum omnium amissio ac desperatio non cadit in eum, qui malis oppressus animum convertit ad Deum, huiusque vi ac numine omnia existimat fieri. Quid enim esse potest

tam funeſtum ac deſperatum, quod vi divina non poſſit mutari et corrigi? Et in hac conſolatione eo libentius acquiescet animus, ſi acceſſerint exempla eorum, qui ſimili calamitate proſtrati, opem divinam ſunt experti.

XXXVII. Denique non alienum erit, malum, cuius vis frangenda eſt, ab ea parte ſpectandum proponere, *quatenus cohaeret cum ſalute publica, et cum utilitate communi.* Haec conſolatio levavit inprimis eorum triſtitiam, qui ſua commoda poſtponere didicerunt ſaluti generis humani et reipublicae, et quo quisque eſt hominum, inprimis civium, amantior, eo magis recreabitur, ſi perſpexerit, ad communem utilitatem ſuis malis aliquam fieri acceſſionem. Hoc vel ſummis moleſtiis omnem detrahit acerbitatem. Quis enim nescit, quantum omni tempore valuerit amor patriae ad elevanda mala graviſſima? *Cicero* quidem, *quoties*, inquit, *non modo ductores noſtri, ſed univerſi etiam exercitus ad non dubiam mortem concurrerunt* [92]). Id autem nunquam factum eſſet, niſi publicae ſalutis cogitatio omnem metum poſſet eximere, malique ſenſum minuere. Eſt autem privati mali cum utilitate *multiplex* coniunctio, ut conſolator hanc quoque medicinam adhibere poſſit varie. Atque hi quidem, qui va-

92) *Quaeſt. Tuscul.* l. I. c. 37. §. 89.

lent ingenio, et inſtructi ſunt aliqua rerum naturalium ſcientia, caſus multos moderate ferunt, ac dolori reſiſtunt, quod vident, mala plurima oriri non e vitioſa quadam mundi indole, ſed e ſaluberrimis legibus, quibus contineatur rerum creatarum felicitas. Etenim ea, quae univerſis utiliſſima ſunt, nocent interdum ſingulis, quod non poſſunt leges ſcribi late patentes, et ſalutem publicam complexae, quae non ſaepe ſint cum privatorum hominum detrimento coniunctae. Accedit, mala plurima manare a viribus rerum praeſtantiſſimis, quae cum agunt paullo vehementius, facile modum excedunt, ac damnum afferunt. Conquiescet autem aliquantum eius, qui damnum ſentit, animus, ſi cogitaverit, mala quaevis originem ducere a rebus bonis, et has eſſe, ſi verum fateri velimus, malorum plurimorum fontes. Hic locus quomodo tractandus ſit, et quam late pateat, copioſiſſime oſtendit *Villaumius* in opere *de origine mali*, paullo ante a nobis laudato, e quo conſolator non pauca petet ad diſſipandam triſtitiam ſatis idonea. Ut autem intelligatur, quomodo privatis malis augeatur communis omnium utilitas, illuſtranda etiam *vis exempli* eſt. Qui enim oppreſſi ſunt caſibus adverſis, ii, praeſertim ſi ſapienter et moderate omnia tulerint, exemplo ſuo multis modis proſunt. Et iis quidem malis, quae non vacant culpa, monentur alii, ut cautius

agant; quis autem est tam inhumanus, et omnis sensus expers, quin latetur, si videat, sua molestia alios factos esse prudentiores. Constantiae vero, fortitudinis, patientiae, animique elati exempla, si proponuntur ab his, quibus conflictandum est cum magna quadam calamitate, etiam in aliis incendunt virtutis studium, et ad praeclara quaevis impellunt. Saepe etiam propterea e malis nostris ad publicam salutem aliqua redundat utilitas, quod aliis locum faciunt cogitandi de rebus multis, multa constituendi rectius, et inveniendi nova. Iis denique, quorum consilio, ope et officiis indigemus, praebetur materia exercendae virtutis, qua si commode utuntur, non parum proficient. Non raro malis affliguntur homines, quae multis sunt *communia*. Ex hoc genere sunt incendia, eluviones, arctior annona ob sterilitates, vel ob causas alias, pestes, terrae motus, bella. Sed et haec diversas habent facies, et consolatoris est, commoda multa, quae cum hominibus singulis, tum civitatibus universis afferunt, quaeque vel ad cultum animorum pertinent, vel ad felicitatem externam, indagare diligenter, eorumque cogitatione afflictos erigere. Ac profecto nihil est tam funestum ac miserum, quod non adiunctum habeat aliquid boni, et spectatum ab ea parte, maeroris sedationem efficiat. Is igitur in consolando versabitur optime, et facile colliget mul-

ta, quibus utatur ad levandas aliorum moleſtias, qui in omnes partes convertere didicerit animum, ut, quidquid boni admixtum ſit cuivis malo, id et videre ſubtiliter, et apprehendere poſſit.

XXXVIII. Deſcripſimus iam breviter *locos praecipuos*, quibus continetur univerſa conſolandi ratio, et e quibus in mitigandis aliorum moleſtiis petenda ſunt omnia. Sed hic non alienum erit, adiungere nonnulla, *quae ex hac disputatione conſequuntur*, et cum ad recte intelligendam ſolatiorum naturam, tum ad regendam conſolatoris in adhibendis generibus ſingulis prudentiam, vim habere videntur longe maximam. Primum igitur in promtu eſt, *omnem conſolationem accommodatam eſſe debere eius, qui placandus ſit, indoli ac moribus.* Vehementer enim falluntur, qui putant, eſſe communia quaedam ſolatia, quae ubique doloris levationem afferant, et, ut panacea potens, cuivis medeantur vulneri. Iam in primo conſolationis genere, quod eſt in *obſcuranda* mali notione, referri debent omnia ad eius, qui maeret, ingenium et ſenſum. Etenim cum alius moveatur alio modo, avocatio animi ab acerbis cogitationibus parum ſuccedet, niſi fuerit adhibitum id, quo quisque maxime afficitur, et facillime convertitur alio. *Minui* autem opinio mali tum demum poteſt, cum eius, qui conſolatur, animus ſe penitus inſinuat in omnes cogita-

tiones et motus miseri, et interiorem eius conditionem cognitam habet et perspectam. *Consutatur* denique mali, a quo trahuntur molestiae, notio, cum in ea reperire discit miser boni naturam. Atqui in nulla re alia maior est hominum dissensus, quam in iudicio de his, quae bona dicenda sint, eaque discrepantia non modo dominatur in rebus levioribus, verum etiam in maximis, quae cum dignitate et praestantia hominis sunt coniunctissimae. Quare consolator frustra laborabit in leniendo dolore, nisi omnem orationem finxerit et accommodaverit ad miseri, qui consolandus est, voluntatem, et ad eius de felicitate sensum se composuerit. Quae quam vera sint, usus ipse docet. Nam haud raro accidit, ut, in quo placide conquiescunt alii, et calamitatis optimum reperiunt mollimentum, id aliis molestum sit, eorumque tristitiam augeat. Fuerunt, ut hoc utar, omni tempore, qui putarent, conscientiam rectae voluntatis esse maximam rerum incommodarum consolationem. Et tamen nuperrime prodiit, qui contenderet, nulla alia via facilius perveniri ad desperationem, quam hac ipsa, nihilque intolerabilius esse, quam innocentem pati [95]). Nihil efficacius esse videtur ad affligendum miserum, nihil habere offensionem maiorem, quam quae de

95) Cont. libellus: *Bruchstücke aus dem Gebiete der Philosophie, der Moral und der Politik*, von Michel.

corporea natura mentis humanae, eiusque dissipatione post mortem, differit *Lucretius de rerum natura* libro *tertio*. Sed nihilo minus saepe professus est *Fridericus II.* Borussorum rex, sibi solatio esse illud carmen, seque in eius lectione aliquantum conquiescere [91]). Atque sic est etiam in reliquis solatiis, quae commode adhibere non potest, nisi qui prudenter delegerit, quae ingenio et moribus cuique fuerint aptissima. Igitur in omni consolatione ante omnia videndum est, *quam quisque curationem possit recipere.*

XXXIX. Inde porro consequitur, *consolationem facillime admitti tum, cum in animo maerentis sit utilis quaedam et accurata adversus dolorem commentatio.* Haec autem *duabus* rebus constat. Primo quidem *provisa quaedam animi ac praeparatio* adsit, necesse est, quae perceptas penitus, et pertractatas habeat res humanas omnes, et cum secundae res sunt maxime, futura mala prospiciat. Vehementius enim ferit, quod provisum ante non est, et aliquanto magis conturbat repentinus calamitatis impetus, quam exspectatus. Quo diligentior itaque fuerit conditionis

91) Loca, qui hoc docent, ex operibus regis collegit, et praeclaris observationibus illustravit nuperrime, *Nicolai* in libro, quem inscripsit: *Anekdoten von König Friedrich II. von Preussen, und einigen Personen, die um ihn waren*; part II. p. 185 sqq.

humanae meditatio, eo constantior erit animus in excipiendis calamitatibus, eo facilior in admittendis solatiis [95]). Inprimis autem ad manum esse debent et in promtu *praecepta quaedam sapientiae, firmaque decreta, quibus regatur universum hominis iudicium de eo, quid sit in quavis re verum, et quid vel expetendum videatur, vel fugiendum.* Qui incertus errat, nec habet, quod in iudicando ac deliberando sequatur et teneat, eum nec consolatio tangit. Nihil enim invenit, quod apprehendere possit consolator, et vel ad obscurandam, vel ad minuendam, vel ad constandam mali notionem commode transferre. Contra facillime inveniemus, quae dicere possimus ad exhilarandos maerentium animos, si fuerint imbuti praeceptis quibusdam, et addicti sententiis certis et firmis. Ab his enim placitis et decretis in quovis consolationis genere repetenda sunt omnia. Nam quoniam is, qui dolet, de illis praeceptis nihil dubitat, iisque assuetus est: omnem aegritudinem non parum levabis, si ostendas, qui ista decreta ponat, eum id, quod aegre fert, aut contemnere debere, aut adnumerare commodis. Eo facilius autem adhaerescent in animis miserorum, quae dicuntur, quo magis istae sententiae

95) Copiosius haec de re iam disputarunt veteres; cf. *Cicero Tusc. Quaest.* l. III. c. 13-22. *Seneca de Tranquill. animi*, c. II. et *Plutarchus in Consolat. ad Apoll.* p. 427. sq.

iam ante non modo perceptae et cognitae, ſed etiam diu in promtu fuerunt et in uſu. Ita enim fit, ut, cum dolor invaſit, non plane excludantur, ſed perculſa mens, praeſertim ſi acceſſerint monita conſolantium, eas celeriter arripiat, ſeque iterum colligat. Hoc ipſum autem docet, recte conſolari non poſſe, niſi qui opiniones, mentem, decreta, omnem denique cogitandi et ſentiendi modum eius, qui confirmandus et placandus eſt, penitus perſpexerit, et his omnibus commode ac prudenter uti didicerit.

XL. Iam definiri poteſt, *quae ſolatia vera dicenda ſint, quae falſa.* In quo ſi tantum ſpectatur is, cui adhibenda eſt conſolatio: verum erit illud ſolatium, quod maerentem ita afficit, ut triſtitiam vel diſſipet, vel certe minuat, uno verbo, quod dolorem vincit ac tollit. *Falſo* autem ſolatio utetur is, qui conſolandi cauſa argumenta profert parum apta, a quibus vel penitus abhorret afflicti animus, vel quibus non movetur. Hic igitur cum aeſtimanda ſint omnia e ſenſu maerentis: facile intelligitur, veriſſima ſolatia, hoc eſt, efficaciſſima, quae moleſtiam maxime leniant, nonnunquam eſſe poſſe errores et opiniones perverſas. Sic ſupra vidimus, magno regi ſolatio fuiſſe, quae *Epicurus* ſolebat adverſus immortalitatem animorum disputare, quod illa decreta mature arripuerat, et ſua fecerat. — Sed aliter iudicandum

est de veris et falsis solatiis, cum non tam eius, qui consolandus est, habetur ratio, quam *naturae rerum*, seu, cum quaeritur, non, quid hanc vel illum suaviter afficiat, sed quid recreare consolarique deberet miseros omnes, si recte cogitarent et sentirent. Tum igitur *vera* solatia sunt, quae cum natura rerum, cum officio et salute eius, qui confirmandus est, et cum utilitate publica omni ex parte conveniunt. Hac ratione consolari nonnisi is potest, qui recte iudicare didicit de rebus bonis ac malis, et in adhibenda doloris medicina tam caute versatur, ut curationem miseri coniungat cum salute publica, nihil autem vel suadeat, vel instituat, quod in errores inducat et noceat, vel vitiis hominum eorumque libidini blandiatur. Hoc enim qui facit, *falsis* solatiis ludit miseros ac perdit. Complectitur autem hoc solatiorum genus fomenta dolorum, quae sunt coniuncta cum erroribus ac virtuti repugnant. In omni consolationis genere talia remedia non raro sunt adhibita, eaque vel *in rebus et institutis* posita sunt, vel in *verbis et cogitationibus*. Multi igitur in lenienda aegritudine delapsi sunt ad *ebrietatem*, nec defuerunt philosophi, qui id suaderent ac defenderent. *Seneca* quidem in eluendis curis interdum ad ebrietatem veniendum esse, copiose et serio contendit [qq]), abusus in ea re

qq) *De tranquillitate animi* circa finem.

etiam aliorum philosophorum auctoritate. Sed a tali remedio eo magis abstinendum est, quo turpius [illegible], et quo facilius, ut usus quotidie docet, animus malam trahit consuetudinem. Esse, qui *ludendo* dissipare tristitiam conentur, qui, conscientiae furiis agitati, benignitate erga pauperes, largitionibus ad ecclesiae commoda spectantibus, ὀρθοδοξίας ac defendendae religionis ambitioso quodam studio mitigari aegritudinem, et angores animi tolli posse putant, satis constat. Sed quam falsa sint haec solatia, et quam inepta, copiosius ostendere nihil attinet. — Interdum magnus dolor erumpit in *saevitiam*, et vel in ultione, vel omnino in affligendis aliis solatia quaerit. Sic apud *Tacitum Otho*, postquam mori decrevit, negat, se *Vitellii* fratrem, coniugem, liberos violaturum esse: *mihi*, inquit, *non ultione, neque solatiis opus est*, hoc est, ex ultione iam non petam mali solatia. Sed quod is propter mollitudinem [illegible] omisit, id alii impotentiores et proclives ad iram saepe fecerunt. *Alexander* magnus a dolore, quem ex obitu *Hephaestionis* ceperat [illegible] maximum, hoc modo se avocasse dicitur. Τοῦ δὲ πένθους, inquit *Plutarchus*[97]), παρηγορίᾳ [illegible] καὶ [illegible] σιαν ἀνθρώπων ἐξῆλθε, καὶ τὸ Κουσσαῖον ἔθνος κατε-

---

97) In *Alexandro* c. 72.

στρέφετο, πάντας ἠβηδὸν ἀποσφάττων. Sic et alii, doloris magnitudine et stimulis impulsi, multa suscepere [illegible] ratione abhorrentia. Sic, ut hoc utar, nec sublatum fuisset *edictum Nannetense*, nec saevitum in Protestantes, per Francogalliam sparsos, si *Ludovicus XIV*, Francogalliae rex, alio modo tranquillare potuisset animum aegrum, et peccatorum conscientia perturbatum [98]. — Id autem falsorum salatiorum genus, quod *verbis continetur et cogitationibus*, sedantibus illis quidem et mitigantibus tristitiam, sed alienis a veritate, id igitur genus latissime patet. Cum enim in consolando referenda sint omnia ad eius, qui placandus est, sentiendi et cogitandi rationem, saepe commenta falsissima vim habebunt longe maximam, modo is, cui proponuntur, ita sit affectus, ut ea libenter admittat. Exempla peti possunt ex eiusdem *Alexandri*, quam paullo ante excitavimus, vita apud *Plutarchum*. Is enim cum interfecisset *Clitum*, et ex illo facinore dolorem suscepisset vix consolabilem, duabus potissimum rebus confirmatus est, quarum neutra veri solatii naturam habuit. Ac primo quidem *Aristander* vates, cui plurimum tribuere solebat Alexander, in memoriam revocans regi somnium, quod [illegible]

98) Conf. libellus, cuius index est: *Eclaircissements historiques sur les causes de la revocation de l'Edit de Nantes.*

videbatur Cliti necem, docebat, *in fatis omnia fuisse*, nec ullo modo potuisse vitari. In quo regis animus aliquantum acquievit propterea, quod sic tollebatur opinio culpae, qua maxime vexabatur. Hanc vero penitus sustulit *Anaxarchus*, philosophus, qui audacter, ut solebat, et cum irrisione quadam, clamabat, mancipii instar regem dare se tristitiae, ac perhorrescere legem hominumque de se iudicia, cum tamen ipse debeat esse lex et iuris regula, ius autem sit ac fas, quidquid actum fuerit a dominante, nullis legibus subiecto[99]). Quis non videt, quam falsa fuerit et quam pestifera talis oratio, praesertim cum habita esset ad regem, impotentis dominationis nimis amantem, et proclivem ad legum omnium contemtum. Nec effectu caruit haec falsa consolatio. Statim enim addit *Plutarchus*: τοιούτοις τισὶ λόγοις χρησάμενος ὁ Ἀνάξαρχος, τὸ μὲν πάθος ἐκούφισε τοῦ βασιλέως, τὸ δ' ἦθος εἰς πολλὰ χαυνότερον καὶ παρανομώτερον ἐποίησεν[100]). Sic *adulationis* artificio aegritudinem *Catharinae II.* imperatricis *Russorum* sustulisse fertur *Diderotus*. Is cum Petropolim vocatus esset eo consilio, ut tristitiae veluti nubes, quae ex aliquo tempore istius feminae vultum occupaverant, philosophiae lumine dissiparet: faciliores ratus ad animum muliebrem aditus

99) In *Machiavellismum* ante *Machiavellum*.
100) In *Alexandro* cap. 52.

esse per adulationem et blanditias, ut primum adductus fuit ad imperatricem, eamque conspicatus est, non veneratur eam more consueto, non honorifice verbisque sollemnibus eam compellat; sed obstupefactus eius admiratione, tacitus consistit, eamque diu contemplatus, tandem exclamat: *stupendam vero feminam* [201]). Habuit autem hoc hominis astuti commentum hanc vim, ut evanesceret omnis tristitia, et pristina rediret hilaritas [202]). Sed de falsis solatiis haec sufficiant. Neque enim omnia loca pedis qui, cum nullus error tam gravis, nulla opinio tam absurda sit, quin interdum possit ad imminuendum dolorem adhiberi.

XLI. Unum adhuc restat, quod ex his, quae supra diximus de consolationis natura, sequitur, in hac autem causa minime debet praetermitti. *Ita nempe quisque erit in admittendis solatiis promtissimus, uti fuerit exercitatissimus in observanda et apprehendenda verum facie, quae omnium maxime placet, et animum delectat.* Multi iam *natura* proni sunt ad hilaritatem, ut altior malorum sensus, et aegritudo diuturna, quae tabem afferat et conficiat animum, vix in iis

201) *Femme etonnante!* His enim verbis Francogallicis usus est.

202) Conf. *Minerva Archenholziana* anni 1798. mens. Iulio pag. 14.

locum habent. Hos facile avocabit a dolore conſolator paullo prudentior, quod ipſi libenter arripiunt, quae diſſipant triſtitiam, ac deducentem ab acerbis cogitationibus ſponte ſequuntur. Sed *uſu quoque et exercitatione* confirmari poteſt conſuetudo, quidquid acciderit, ab ea parte ſpectandi, quatenus bonum eſt et utilitatem affert. Suadebat hanc artem, ut notum eſt, inter veteres *Ariſtippus*, ſummamque ſapientiam eſſe putabat, *ſibi res, ut Horatii* verbis utar, *non ſe rebus ſubmittere* [103]). Cum enim, ut ſupra vidimus, fere nullum ſit malum, in quo non reperiatur aliquid, quod proſit et placere poſſit: facile intelligitur, eum, qui voluerit attendere, ac de his, quae fiunt et accidunt, cogitare diligenter et accurate, facultatem ſibi comparare poſſe, accipiendi omnia in bonam partem, et interpretandi beniguius. Qui ſic animatus eſt, eum omnis dolor levius punget, conſolatoris autem ſi acceſſerit vox et cura, facile recreabitur, et tolerabilius feret incommoda.

Duximus iam eius artis, quae verſatur in conſolandis aegris hominum mentibus, *primas velut lineas*, ac deſignavimus breviter *fontes*, a quibus ſolatiorum diverſa genera manant. Iam haec *transferenda ſunt ad rationem et modum*, quem

103) *Epiſtolar.* l. I. ep. I. v. 19 ad quem locum videndi ſunt interpretes.

in tranquillandis hominum animis, et in mitiganda huius vitae moleſtia tuet chriſtiana religio, ut intelligatur, ad levandum dolorem nihil aptius eſſe, nihilque efficacius remediis iis, quae ſuppeditet Chriſtiana religio, et veriſimile abundare ſolatiis, qui eius praeceptis obtemperent; ad hanc igitur diſputationis noſtrae *partem alteram* nunc progredimur.

---

pars altera.

Ad tollendam aegritudinem nihil aptius eſſe, nihilque efficacius remediis iis, quae ſuppeditet Chriſtiana religio.

XLII. De duobus, quae ſupra ſunt a nobis propoſita, hoc unum reſtat, *ut praeſtantiam religionis Chriſtianae in conſolandis miſeris ex ipſa conſolationis natura, hactenus expoſita, demonſtremus.* Tractamus autem hunc locum eo libentius, quo magis pertinet ad illuſtrandam religionis vim et efficaciam plane divinam, quam in hoc genere experti quidem ſunt multi, et experiuntur quotidie, pauci vero ſatis perſpiciunt, et ſubtiliter intelligunt. Sed haec diſputatio tam gravis eſt, ac tam late patet, ut liber ſcribendus eſſet, ſi vellemus omnia complecti ac perſequi. Summa igitur iam ſupra profeſſi [104]), *propria ſingulo-*

[104]) Conf. c. V.

rum malorum consolationes, quas afferat Christiana religio atque contineat, quarumque ingens multitudo sit, *hic a nobis praetermitti*. Effecisse nobis videmur, quae polliciti sumus, si *generatim* ostenderimus, doctrinae Christianae beneficio non abstergi modo et molliri acerbitates omnes multo melius, multoque certius, quam ullo alio remedio; verum etiam repleri, quod unum est ac divinum, maerentium animos tanta solationum dulcedine et ubertate, ut libenter et laetabundi calamitates maximas suscipiant.

XLIII. Nam hic statim mira res atque notabilis memoranda est. Religiones aliae, ipsaque philosophia maerentibus praeter exiguam aliquam doloris oblivionem nihil fere pollicentur; ipsi [illegible], utcumque [illegible], ut incipiant, tolerabilius ferre incommodum. Ipsa illa mentis avocatio a cogitanda molestia, et ad contemplandas voluptates revocatio, quam commendare solebat *Epicurus* [**]), et qua moribundus usus est, ut supremo vitae die scripsit *Hermacho* [***]), non hanc habet vim, ut *laetitiam aliquam de malis ipsis* afferat; hoc tantum efficit, et quidem aegre, ut praeteritorum bonorum recordatione doloris stimuli aliquantulum retundantur. Sed hac aegritudinis ac molestiae detra-

**) Conf. *Cic. Tusc. Quaest.* L.III. c.15.
***) Vid. *Cicero de Fin.* L.II. c.30. et supra c.XIV.

ctione minime contenta est Christiana religio; maius aliquid atque divinius profitetur largiri se; *gaudebit de malis ipsis*, et, quod fieri posse negabant philosophi 407) *gloriari discet de vita misera et calamitosa*, quicunque vim eius recte perceperit, seque regi passus fuerit eius praeceptis. Hanc tantam rem ac paene incredibilem a religione Christiana promitti, multi docent atque perspicui librorum sacrorum loci. *Dominus* ipse Matth. V, 11. *beatos* praedicat apostolos, *si religionis causa experti fuerint odium atque saevitiam hominum improborum*: nec addit: curate, ut aequo animo et moderate feratis ea mala; sed, χαίρετε, inquit v. 12, καὶ ἀγαλλιᾶσθε, ὅτι ὁ μισθὸς ὑμῶν πολὺς ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *laetandi materiam vobis praebeant istae calamitates uberrimam, ut spes praemiorum caelestium vos confirmet.* Simili modo *Paullus* Rom. V, 3. negat, Christianos, qui fruantur restituta per Christum gratia divina, ac sentire coeperint doctrinae Christianae praestantiam, in tolerandis propter religionem malis atrocissimis constantes tantum esse atque fortes; οὐ μόνον addit, ἀλλὰ καὶ καυχώμεθα ἐν ταῖς θλίψεσι, *immo vero*, quod multo maius *est*, *laeti gloriamur de calamitatibus nostris.* In beneficiis autem, quae

---

407) *Deinde quaero*, inquit Cato apud Ciceronem, *quis aut de misera vita possit gloriari, aut non de beata? de solo igitur beata.* De Fin. l. III. c. 8. § 28.

55 [illegible]

Deus Philippenſibus tribuerit, etiam hoc numerat idem Apoſtolus Phil. I, 29. *quod ipſis contigerit eſſe tam felicibus, ut Chriſti cauſa malis afficerentur.* Atque hunc animum, in ipſo certamine cum calamitatibus maximis laetum, etiam alibi ſaepe declarat *Paulus*, ſeque non niſi religionis efficacia ſic erigi relatur et confirmari; conf. 2 Cor. VI, 10. VII, 4. XI, 23-30. Rom. VIII, 18. 28. Nec aliter exiſtimaſſe reliquos apoſtolos, vel ex hoc uno patet, quod ignominioſa poena affecti a ſupremo Iudaeorum ſenatu, non triſtes et ſummiſſo animo, ſed *laetantes ac laeti* diceſſerunt, ὅτι ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος Χριστοῦ κατηξιώθησαν ἀτιμασθῆναι Act. V, 41. Quare *Petrus* Chriſtianos *omnes gaudere* iubet, ſi religionis cauſa calamitates ſuſtinuiſſe ſint, 1 Petr. IV, 13. eoque *beatos* ſore dicit, modo innocentes affligantur, Cap. III, 14. *Iacobus* denique de malis omnis generis *lapſis laetandum eſſe* docet, cap. I, 2. et cur hoc fieri debeat, perſpicue exponit. Haec autem ab apoſtolis non temere iactata eſſe, vetuſtiſſimorum Chriſtianorum hiſtoria non tam loquitur, quam clamat. Nam quod in *epiſtola ad Hebraeos* in his, ad quos ſcriptae ſunt illae litterae, laudat apoſtolus, eos bonorum ſuorum iacturam feciſſe μετὰ χαρᾶς Cap. X, 34: id dici poterat de multis aliis, qui non modo fortunas omnes, verum etiam ſanguinem et vitam ipſam religionis cauſa libenter profuderunt. In quo

non fuit error fanaticus, et insana quaedam superstitio. Doceri enim potest, et nos id planum faciemus infra, praeceptis atque disciplina doctrinae Christianae homines non posse non ita affici et conformari, ut in summa rerum omnium perturbatione bono sint animo. Habet igitur hoc christiana religio, et in eo superat cum religiones alias, tum philosophiam omnem, quod solatia promittit, quae non sint levia dolorum fomenta, et molestias utcumque extenuent; sed quae ita recreent, ita exhilarent maestos, *ut ex ipsa calamitate capere gaudium, eaque delectari possint.*

XLIV. Nec est, quod quis dicat, consolationis, quam adhibeat Christiana religio vim tantam ac tam mirificam *in nostris hominibus plane desiderari*; cum plurimis agi praeclare, si religionis auxilio leniores fieri videant aegritudines, doloresque paulisper minui; neminem eius praeceptis et consiliis ita sustentari et extolli, ut in malis cum voluptate sit, iisque minime perturbetur. Nobis quidem, qui ita disputant, negare videntur temere, hodieque fieri, quod primis ecclesiae temporibus, et in apostolis ipsis factum esse, constat. Multis enim, qui recte didicerunt uti Christianae religionis auxilio, etiamnum contingit, ut gravissimis incommodis oppressi, perspiciant ac sentiant, profutura esse cum sibi, tum aliis ea mala, et in ipsa luctatione atque molestia fruan-

tur pio gaudio, et ad celebrandas laudes divinas commoveantur [108]). Sed paucis datum est, paucis libet, hos sensus, et haec gaudia profiteri publice et coram aliis, cum bene sciant, talia nec intelligi, nec credi, nisi ab eo, qui ipse sit expertus. Quod autem Christiana religio hoc modo non omnes reficit ac beat, qui eam profitentur, id inde fit, *quod plurimis deest animus, ad capienda solatia, quae suppeditat, aptus.* Hoc enim nemo negaverit, Christianos plurimos, quam diu rebus secundis utantur, felicique consiliorum successu, vehementer negligere religionem, parumque sollicitos esse de eo, quod in adhibenda religionis doctrina gravissimum est, ut eius vi erudiri se et corrigi patiantur. Sed cum aliquid accidit, quod molestum est, cum afflictos se sentiunt et oppressos aliqua calamitate: tum vero subito convertuntur ad religionem; tum existimant, solatium ab ea petere quemque posse; tum eius efficacia erigi cupiunt et confirmari. Quis autem non videt, quam inanis sit ista spes, et quam perversa? Qua demum ratione consolatio, quam affert Christiana religio, insinuare se ac tam-

108) Huc pertinet exemplum magni *Boerhavii*, cuius exitum descripsit *Iacobi* in libello theodiceo: *Gedanken über die herrschende Mode, grossmüthig zu sterben*, pag. 182 sqq. Addi possunt, quae *Goetius de Martinio*, physico Berolinensi, refert in eius *Vita*, sermone vernaculo scripta, pag. 77.

quam influere poterit in animos rudes, et per omnem vitam ab eius praeceptis et institutis alienos? Scire debet accurate, quid doceat religio, eiusque placitis innutritus esse; animum habere debet emendatum eius efficacia, et ad veram pietatem compositum, qui hos solatiorum fructus percipere, qui his calamitatum mollimentis recreari cupit. Quare nec nostra disputatio ullo modo pertinebit ad eos, qui sola Christianorum appellatione contenti sunt. Cum religionem Christianam optimum adversorum solatium esse dicimus, id intelligi volumus de vi, *qua afficit homines probos, qui eius disciplina recte sentire didicerunt et agere, et in exercenda virtute Christiana usum aliquem contraxere.* Ad hos solos referri debent, quae paullo ante commemoravimus e libris sacris; his solis non tantum eripit aegritudinem religio, sed etiam in ipsis calamitatibus laetandi materiam praebet.

XLV. Et quam verum hoc sit, intelligemus facile, si consolationis naturam universam, supra a nobis expositam, instituerimus contendere cum indole atque natura religionis Christianae, et quaerere, quomodo afficiat miseros, et quid ad molliendas acerbitates omnes conferat. Eam vero disputationem commode revocari posse video ad locos *tres.* Primum quidem *Christiana religio ita praeparat hominum animos, suaque disci-*

plina conformat, ut, quicquid tandem ipsis acciderit, non modo facile admittant consolationem, sed et sponte eam arripiant, et ab acerbis cogitationibus auellantur. Deinde *nullum est genus solatii veri, quo possint vel religiones aliae, vel philosophiae praecepta reficere maerentes, quod non derivari queat a fonte religionis Christianae, ab eoque manet multo uberius.* Sunt denique *consolationes, huic religioni propriae, eaeque tam excellentes ac tam divinae, ut nihil cum ipsis comparari, nihil excogitari possit, quod maiorem afferat levationem, et in gravissimis molestiis tristitiam omnem facilius dissipet.* Haec tria cum demonstraverimus, causa religionis Christianae, quam hic suscepimus, erit perorata.

XLVI. Docuimus igitur supra, consolationem tangere maerentem non posse, *nisi sit in eius animo utilis quaedam et accurata adversus dolorem commentatio* [109]). Rite praeparatum esse debet pectus, et sic affectum, ut solatiorum vim possit percipere, nisi operam in consolando volueris perdere. Constat autem ista praeparatio *duabus* rebus. Primum *ad manus esse debent et in promtu certa quaedam de rebus divinis et humanis placita*, quibus universum regatur hominis iudicium de eo, quid verum sit, et quid vel expetendum

109) Vid. §. XXXIX.

videatur, vel fugiendum. Nihil enim est, ut paullo ante monuimus, quod apprehendere, et in quo consistere possit perculsa mens ac prostrata, nisi habuerit sententias quasdam certas et firmas, ad quas tanquam adminicula admitatur. Haec autem placita ita in usu esse debent, ut desiderata statim praesto sint, et ad omnes vitae partes commode possint transferri. Sed accedat etiam, necesse est, *mollitudo quaedam animi atque teneritas, quae facile possit affici ac flecti.* Nam qui ingenio duro fuerit et inexorabili, cui vel natura nimiam asperitatem tribuerit, vel pravi mores sensum et mansuetudinem detraxerint: cum multa solatiorum genera ne movebunt quidem; is, si qua calamitate fuerit oppressus, aut inconsolabili dolore cruciabitur, aut in saevitiam erumpet, et affligendis aliis solatia quaeret, cuius insaniae exemplum supra vidimus in *Alexandro magno* [110]). Iam si ostenderimus, religionem Christianam multis modis efficere, ut hi, qui eius praeceptis obtemperaverint, *cum placitis instructi sint certis ac destinatis*, a quibus facili negotio peti possint curarum dolorumque fomenta; *tum animum habeant mitem, mansuetum, mollem*, qui libenter admittat, quicquid videatur aegritudinis levationem afferre: planum erit factum, ad percipien-

110) Conf. §. XI.

dam consolationis vim omnem nulla re alia magis praeparari homines, quam Christiana religione.

XLVII. Primum igitur in eo repugnantem habebimus neminem, *veris solatiis*, hoc est talibus, quae cum ratione rerumque natura consentiant, refici posse non nisi eum, qui de rebus divinis humanisque recte iudicare didicerit atque sentire. Concessimus quidem iam supra [111]), remedia dolorum multa et cogitari posse, et adhiberi saepe, quae coniuncta sint cum foedis erroribus, et a dignitate virtutis abhorreant. Sed haec *falsa* solatia cum periculosa sunt multis de causis, tum, ubi error fuerit depulsus, quod non raro praeter opinionem et subito accidit, vim omnem solent amittere. Itaque sic imbutus esse debet, qui veram consolationem suscipere vult, *ut in rebus iis, quibus tamquam fundamento nititur humana felicitas, erroribus careat, et superstitione.* Sciat igitur, necesse est, et firmiter teneat, *esse Deum*, rerum omnium auctorem sapientissimum et benignissimum; *eius providentia curari res humanas et regi; animos autem hominum manere post mortem*, atque transire, cum ex hac vita discesserint, in aliam beatiorem ac sempiternam. Ab his enim placitis, tamquam a fontibus, vera solatia tantum non omnia manare, tam mani-

111) Vid. §. XL.

festum est, ut ea res longiori disputatione non indigeat. Quis autem nescit, *haec tria capita primaria omnis verae religionis a Christo et apostolis ita exposita et inculcata esse, ut, qui horum doctrinam amplexus sit, dubitare de iis nullo modo possit?* Quam verum hoc sit, copiose demonstrare, non est huius loci; nec opus est ea disputatione, cum libri sacri nihil clarius loquantur, nihil saepius commendent, quam has doctrinas longe gravissimas. Hoc autem praetermitti in hac causa non debet, *ostendi Christianae religionis doctrina atque illustrari ista placita ab ea potissimum parte, qua sint ad consolandos afflictorum animos uberrima.* Haud raro superstitio miseros angit, quod opinionis errore Deum sibi singunt iratum, vindictae cupidum et inexorabilem; saepe maerori se dedunt propterea, quod Deo satisfacere quodammodo, et amoliendae culpae modum invenire volunt. Hunc foedum errorem ac pernicioſum, qui non tantum dolorem vehementer auget, sed et consolationi aditum omnem praecludit, evellit Christiana religio et exstirpat penitus. Etenim *de Deo* ita praecipit, ut, detracto metu servili, *patrem optimum maximum* agnoscere nos iubeat in Deo Matth. VI, 9, qui mirifico amore prosequatur genus humanum Matth. V, 45, omni bonorum genere nos cumulet Matth. VII, 11. Iac. I, 17, ac tum quoque,

cum calamitates immittat, nihil aliud sequatur, quam eius, quem hoc modo castiget, utilitatem atque salutem Hebr. XI, 4-12. Iam cum haec praecipiendi de Deo ratio propria sit, ut omnes fatentur, religioni Christianae, simul autem plenissima suavissimi solatii, quod haec sola Dei notio est, in qua placide conquiescere possit humana mens: quis non videt, quam bene praeparatus sit ad percipiendam consolationem omnis generis, qui ita de Deo cogitare didicerit atque sentire? *Providentiam* autem curamque divinam pertinere docet religio Christiana non ad ea sola, quae vulgo putantur magna, et ad universitatem humani generis, neglectis parvis rebus et hominibus singulis. Consulit Deus, si Christum audimus, non tantum hominibus; ad aviculas minimas, ad flores et gramina, ad res levissimas sese demittit eius cura, Matth. X, 29. VI, 26-30, nec accidit nobis ulla mutatio tam levis, tamque parva, ut eius numini se possit subducere Matth. X, 30. Solatio esse doctrina de providentia Dei non potest, nisi sic fuerit informata; hanc vero rei gravissimae notionem Christianae religioni deberi, satis constat, cum philosophis, ab ea alienis, hac de re placuerint alia omnia[112]). Denique *de immortalitate*

112) Conf. *Cicero de Nat. Deor.* l. II. c. 66. et l. III. c. 36. *Plutarchus de aud. poetis*, p. 24. et *de ira cohib.* p. 464. Quae *Pfannerus* in *Systemate theol. gentil. purior.* cap.

animi et vita post mortem ita praecipit, ut imaginum evidentia et suavitate minime blandiatur phantasiae, vel huius vita taedium excitet; hoc autem inculcet graviter, ab omni parte beatum hic esse posse neminem; ferendi nunc tempus esse, messem instare post mortem; laturum autem alimquando esse quemque, quae vita anteacta meruerit, Rom. II, 6-11. Gal. VI, 7-10. Qui hoc modo spectare solet vitam futuram, is primo quidem turpi vacabit ac perniciosa opinione eorum, qui felicitatem, omnis aegritudinis expertem, iam in hac vita locum habere putant, a quo errore infinita malorum multitudo proficiscitur; deinde nunquam carebit solatio, quod calamitates omnes contineri scit angustis finibus huius vitae, spe autem futuri praemii, eiusque maximi atque caelestis, recreatur 2 Cor. IV, 16-18. Quorsum autem haec omnia disputo? Scilicet ut intelligatur, melius praeparari pectus ad percipiendam veritatis solatii vim atque dulcedinem non posse, quam imbibendis placitis, quae de Deo, de providentia divina, de animi denique post mortem duratione ac vita proponat Christiana religio. Haec qui firmiter tenet et complexus est tota mente, is, quicquid acciderit, et quocunque demum perculsus fuerit malorum ictu, habebit, quod appre-

VIII. §. 14 attulit, ut contrarium demonstraret, ad eam rem parum idonea sunt.

hendat, in quo nitatur, quo confirmari possit et sustentari.

XLVIII. Sed ad optimam adversus dolorem commentationem, quam paullo ante commemoravimus, etiam hoc pertinet, *ut praecepta sapientiae, a quibus solatia repetenda sunt, semper sint in promtu*, seque penitus insinuaverint in omnem mentis agitationem. Etenim quo celerius occurrunt animo, quae sedationem doloris afferre, et aegritudinem levare possunt; quo magis usu diuturno et crebra repetitione inputritus est istis cogitationibus, iisque assuetus: eo facilius vel ipse se colliget, cum in malum aliquod inciderit; vel abducetur ab angoribus aliorum alloquio, omninoque consolatoris oratione gravius commovebitur. Iam quis ignorat, quantopere Christiana religio laboret in eo, *ut decreta, in quibus inesse diximus uberrimos solatiorum fontes, animo penitus insideant, eorumque in omnibus vitae partibus a nobis habeatur ratio?* Qui pietate regitur, qua suos imbuit illa religio: is animum habet omni tempore erectum ad Deum, eiusque semper memorem; is nihil fieri, nihil geri existimat sine numine, sed in omnibus, quae vel sibi evenire videt, vel aliis, moderantem omnia et gubernantem Deum veneratur, et quasi manibus prehendit; is rebus, quae incurrunt in sensus, et ad hanc vitam pertinent, is negotiis, cu-

piditatibus, laetitiis, nunquam nimis capitur, nunquam obliviscitur, se non huic terrae, sed caelo natum esse Col. III, 17. Luc. VI, 22-30. 2 Cor. IV, 18. Phil. III, 20. Haec autem cogitandi ac sentiendi ratio, hic pertinens ad omnia, animumque regens pietatis sensus, dici vix potest, quantam vim habeat ad hebetandos doloris stimulos, et ad augendam consolationis efficaciam et suavitatem. Primum enim, qui ita se ipse noscit, qui divinam naturae suae praestantiam nunquam negligit, *is contemnere, despicere, pro nihilo putare potest, quicquid mortale et caducum est*, quamquam aliis videatur amplissimum. Quare iacturam earum rerum, quas extra se positas esse cernit, moderate fert, eaque nunquam tantopere commovetur, ut a dignitate viri sapientis discedat. At quantum est, et quam utile, non aliunde pendere, sed habere pectus, adversus bonorum externorum amissionem firmum atque munitum! — Deinde quod consuevit Christianus homo in omnibus, quae fiunt et accidunt, *agentem praesentemque cernere Deum*, id non uno modo prodest. Repentinos casus et horribiles, quibus alii tantopere perturbantur, ut nesciant, quo se vertant, hic ita excipiet, ut de statu mentis nunquam deiiciatur. Conservabit autem animi constantiam, quod iis, quae eveniunt, *statim adiungit cogitationem gubernantis ac*

moderantis Dei, fortunae vero ludibria fatique neceſſitatem penitus excludit. Atqui nulla re magis excitatur perculſa mens, et confirmatur, quam certa perſuaſione, ſe latere, quicquid vel immineat, vel irruat, in tutela atque praeſidio eius, a cuius nutu pendeat univerſa rerum natura. Habet etiam conſuetudo, referendi, quae fiunt ac geruntur, ad conſilium gubernationemque divinam, hoc, *ut infinitos aperiat ſolatiorum fontes*, et aegrae menti ubique aliquid monſtret, quod acerbitatem mitiget. Nihil enim eſt in univerſa natura, nihil geritur in vita hominum, ex quo is, qui ubique vim ac numen Dei videt, non poſſit aliquid ſolatii, et curarum mollimenta quaedam decerpere. Nonne omnibus ex partibus tot ac tanta ipſi occurrunt beneficia divina, ut hanc ob cauſam interdum vel minimarum rerum conſpectu recreetur, et iucunditate quadam perfundatur? Suaviſſima *Domini* oratio apud Matthaeum, paullo ante a nobis commemorata, quae aves, flores, gramina ſpectari vult a maerentibus, nonne vim conſolandi omnem ab hac cogitandi ratione accipit? Certe *Lutherum* aliquando, curis aegrum, et oppreſſum maerore, ſic recreaſſe dicitur ſubito hortuli, tempore verno virescentis, et ſurculorum gemmantium adſpectus [113]). Perpe-

113) Vid. *Keilii* liber: *Luthers merkwürdige Lebensumſtände*, part. III. §. 671. p. 184.

tua denique illa mentis ad Deum directio, qua carere non poteſt, qui praeceptis Chriſtianae religionis imbutus eſt vere, eamque penitus cepit, ſic afficit animum, ut in maxima aegritudine conſolationi pateat, quod *reverentia erga Deum*, immittentem calamitates et moderantem, pios non ſinit dolori nimis indulgere, 1 Petr. III, 14. 15. Quae cum ita ſint, facile intelligitur, religioni Chriſtianae addictos habere, ut *Plutarchus* appellat talia praecepta, λόγους quosdam εἰκείους καὶ συνηθεις, qui ubique ſua ſponte occurrant, et ſolatiis veriſſimis aperiant aditum.

XLIX. Sed haec praeparatio animi adiuvatur inprimis *caritatis ac benivolentiae ſenſu, quem ingenerat Chriſtiana religio et alit in omnibus, qui ipſius disciplina recte utuntur.* Hoc enim nemo negabit, quicquid fieri a nobis voluerint *Chriſtus* et apoſtoli, id omne commode revocari poſſe ad amorem Dei et hominum, eiusque amoris religioſa demonſtratione contineri cuncta Chriſtianorum officia, Matth. XXII, 35-40. Rom. XIII, 8-10. Col. III, 14. 1 Tim. I, 5. Is autem amor ubi ſemel ſusceptus eſt, *animum ſenſim ita componit et immutat, ut omnia ferat moderatius, et ſolatiorum vi mirifice commoveatur.* Nam primum vera Dei hominumque caritas *emollit mores, et ſenſum acuit.* Qui amant, et facilius tanguntur re qualibet, et excitantur vehementius.

Manifestum hoc est in iis omnibus, qui singulari quadam benivolentia vel suos prosequuntur, vel homines alios, ac de eorum salute vehementer sunt solliciti. Ipsius *Domini* exemplum hac de causa inprimis memorabile est, in quo cum amore hominum, ad cuius magnitudinem nihil poterat accedere, coniuncta fuit mollitudo humanitatis longe maxima. Iam si vera sunt, quae observavimus *supra*, mansuetudine quadam ac teneritate pectoris praeditum esse debere, qui omnem solatiorum efficaciam rite voluerit percipere: quis quaeso poterit dolorum remediis foveri mollius eo, quem Christiana religio mitem, commodum tractabilem fecerit, suaque disciplina veluti subegerit? Quae enim cum isto Dei hominumque amore coniuncta est in homine Christiano sensuum teneritudo, ea non est inertia et languida quaedam atque effeminata mollities; actuosum amorem praecipit doctrina Christi, alienum ab omni socordia. Et hoc ipsum habebit hanc vim, ut, qui ita fuerit animatus, solatia quaeque celeriter arripiat, viresque amissas facilius recuperet. — Inprimis autem commemorandum illud est, *benivolentia summa*, quam habet erga homines alios, qui Christianae religionis vim expertus est, *debilitari sedarique cum perturbationes animi omnes, tum eas maxime, quae spectant alios, eorumque vel rebus, vel agendi ratione commoven-*

tur. Hoc enim patet, et usu ipso comprobatur, ita quemque in admittendis solatiis difficillimum esse, ut maxime fuerit expositus turbidis motibus, aversis a ratione, qui non multum differant ab amentia. Aegerrime autem ad tranquillitatem et moderationem reduci possunt inprimis ii, qui commotionibus inimicis indulgent, quales sunt invidentia, aemulatio, zelotypia, ira, odium, vindictae cupiditas. Nulla consolatio vincet dolorem, ab istis motibus profectum; consolantis vocem ne audiunt quidem, qui his perturbationibus agitantur. Ad sedandos autem hos, et omnino omnes turbidos animi motus nescio, an quicquam excogitari possit aptius et efficacius amore, quem praecipit Christiana religio. Huic enim amori cum nihil aliud propositum sit, quam ut probetur Deo, ac prosit aliis, non potest non debilitare ac minuere vehementiorem appetitum salutis propriae, quo omnia referimus ad nostra commoda, neglecta utilitate communi. Haec intemperantia, hoc immoderatum privatae felicitatis studium, fons est perturbationum omnium, ut iam recte viderunt veteres [114]). Ad placidam igitur quietamque constantiam animi reducetur is, quem Christiana religio aliorum commodis inservire docuerit, oblivisci suorum. Conquiescit

114) Vid. *Cicero Tuscul. Quaest.* l. IV. c. 9 §. 22.

enim perturbationum veluti procella, si quis sua commoda saluti publicae postponere didicerit; nec est in tali animo quicquam, quo, si quid molesti acciderit, consolationis efficacia vel excludatur, vel minuatur. Multum in eiusmodi homine vel tum proficiet consolator, cum dolor susceptus fuerit ex illa iniuria. Quid enim impediat, quominus adhibito solatio placetur is, qui hostes ipsos amare solet, et beneficiis afficere Matth. V, 44. 45. Rom. XII, 20. 21. Negligitur vulgo haec vis amoris in frangenda perturbationum violentia, et ignoratur. Sed cum humana mens ad recipienda, cum dolet, medicamina sic optime praeparetur: impetrare a me non possum, quin rem omnem firmem atque illustrem loco aliquo *Pauli* apostoli, ex quo intelligatur, quam praeclare Christiana religio excitando hoc amore et alendo consulat miseris, dolorumque tolerantiam ipsis reddat faciliorem. Amor igitur, quo Christiani complectuntur homines omnes, μακροθυμεῖ, ut est apud *Paullum* 1 Cor. XIII, 4, *tardus est ad iram, et in ulciscendo remissus;* χρηστεύεται, *in omni vita commodum se praebet et lenem;* οὐ ζηλοῖ, *nihil cuiquam invidet, nec est contentiosus;* οὐ περπερεύεται, οὐ φυσιοῦται, *alienus est a vanitate et ostentatione.* Nam hanc esse verbi περπερεύειν potestatem, bene monuit *Ernestius in clave Ciceroniana* ad verbum ἐμπερπερεύειν, et multis locis aliis sir-

mavit *Wetſtenius.* Notat autem hic *Paullus* ac vituperat vanitatem et ſeditioſos mores eorum, qui ipſi adverſabantur in coetu *Corinthiaco*, iactantes *Petri*, *Apollonis*, ipſius *Domini* auctoritatem; conf. cap. I, 11. 12 et cap. IV, 6-8, et haec omnia verae caritati, quam demonſtrare debeant Chriſtiani, repugnare monet [115]). Sed idem amor, ſi *Paullum* audimus v. 5, οὐκ ἀσχημονεῖ, *tam commodus eſt, tam libenter ad mores atque ſenſum aliorum ſe flectit, ut nihil unquam agat, quod indecens videri poſſit.* In hoc quoque peccaverant *Corinthii* multis modis, ut intelligitur e locis, cap. VIII, 9-11. XI, 13-16. XIV, 23 et 40. Quod autem *Chryſoſtomus* illud οὐκ ἀσχημονεῖ interpretatus eſt de *patientia*, qua dilecti cauſa nec ſummam ignominiam ferre recuſet amor [116]), in eo diceſſiſſe videtur ab uſu linguae. Pergit *Paullus* hoc modo: οὐ ζητεῖ τὰ ἑαυτῆς, *non ſtudet commodis privatis*, cap. X, 24, οὐ παροξύνεται, *non exacerbari ſe ſinit, vel irritari* Act. XV, 39; οὐ λογίζεται τὸ κακόν, *non eſt vindictae cupidus*; hoc enim indicari hac formula, locus docet Zach. VIII, 17, in verſione *Alexandrina.* Οὐ χαίρει τῇ ἀδικίᾳ, *non gaudet, ſi quem laedi videt, et iniu-*

---

115) Conf. *Storrii notitiae hiſtoricae epiſtolarum Paulli ad Corinthios interpretationi ſervientes*, §. III. p. 6 ſqq.

116) Conf. *Homil. XXXIII. in primam epiſtolam Paulli ad Corinthios*, p. 388 ſq.

ria affici; συγχαίρει δὲ τῇ ἀληθείᾳ, *hoc delectatur unice, ſi omnia iuſte fiant ac recte.* Ita vocabulum ἀληθείας hic vertendum eſſe, cum illud docet, quod opponitur τῇ ἀδικίᾳ; tum uſus verbi אמונה apud Hebraeos, quod ſaepe ſignificat recti honeſtique ſtudium. Addit denique apoſtolus v. 7. πάντα στέγει, *omnia tolerat*, conf. Cap. IX, 12, πάντα πιστεύει, *optima quaeque credit, alienus a ſuſpicione;* πάντα ἐλπίζει, *proclivis eſt ad concipiendam bonam ſpem;* πάντα ὑπομένει, *nec conceptam ſemel ſtatim abiicit, ſed eventum patienter exſpectat;* nam te tali exſpectatione uſurpari verbum ὑπομένειν, notum eſt, vid. Nah. I, 7. Pſ. XXXII, 20. Iam ſi talis eſt amor, quem praecipit Chriſtiana religio, quid quaeſo cogitari poteſt efficacius et ſalubrius ad ſedandas animi perturbationes hac caritate? Quem tam mitem, tam humanum, tam benivolum ac modeſtum, tam ſtudioſum denique alienae ſalutis fecit iſte amor: nonne is paratus armatusque erit adverſus mala multa, quibus alii commoventur; nonne praebebit, ſi quam ſenſerit moleſtiam, libenter aures conſolantibus, et tolerabilius feret incommoda; nonne vim conſolationis eo facilius admittet, quod tum quoque, cum caſibus adverſis exercetur vehementius, aliquam retinet tranquillitatem, et quietam placidamque conſtantiam? — Cum denique conſolatione allevari facillime poſſint hi, *qui pro-*

clives fuerint ad consensum quemdam cum motibus aliorum, quos vel dolere vident, vel laetari, quique omnino humani nihil a se putaverint alienum: neminem consolantis vox tam feliciter eriget, quam Christianos, qui homines omnes vero prosequuntur amore. Is quidem multis caret optimisque solatiis, qui praeter se curat neminem, nec aliorum hominum res, casus atque fortunam ullo modo ad se pertinere censet. Neque enim abduci satis ab acerbis cogitationibus potest, cum in malum aliquod incidit, quod se solum contemplari, sua tantum magnificere, reliqua omnia negligere consuevit. In gaudii vero societatem, cum aliis bene est, nunquam veniet, cum sua commoda penitus seiunxerit ab utilitate publica atque communi. Sed sublatis his duabus rebus quot et quanta malorum remedia pereunt, quibus recreari, confirmari, sanari possunt homines, publicae salutis amantes; quibus fruuntur, quos συμπαθεῖς fecit verus amor, ut soleant χαίρειν μετὰ χαιρόντων, καὶ κλαίειν μετὰ κλαιόντων, Rom. XII, 15. Hanc enim caritatis ac benivolentiae societatem qui iniit cum hominibus reliquis; qui intelligere didicit, Christianos omnes unum constituere corpus, et ita devinctos esse, ut membrorum instar simul et gaudeant, et affligantur, utque ad se pertinere putent omnes, quicquid aut commodi, aut incommodi obtigerit sin-

gulis; hunc igitur συμπαθείας sensum qui induit, num is in contuendis malis, quibus ipse urgetur, unquam manebit defixus, num iacebit, num torpebit attonitus? Nonne varietas infinita casuum et mutationum, quibus cientur omnia et agitantur, et quibus hi, quos vinculo naturae ac religionis secum coniunctos esse videt, vel affliguntur, vel recreantur, eum idemtidem abstrahet ab acerbis cogitationibus, et mentem traducet ad alia? Nonne inprimis hoc, quod ex alienis commodis ingentem capit fructum laetitiae, vehementer dissipabit tristitiam, et aegritudinem leniet? Quocumque enim se verterit, quocumque inciderint oculi, beneficia quaedam divina conspiciet, collata in alios, de quibus gaudere, quibus uti possit ad excitandos in se spei ac fiduciae sensus. Ἡ ἀγάπη, *Chrysostomus* ait [217]), μετὰ τοῦ κέρδους πολλὴν ἔχει καὶ τὴν ἡδονὴν, καὶ πόνον οὐδένα, καὶ καθάπερ μέλιττα ἀγαθὴ, τὰ πανταχόθεν συνάγουσα ἀγαθὰ, εἰς τὴν τοῦ φιλοῦντος καταθέσεται ψυχήν. Nec verendum est, ne commotio ex commiseratione, quae malis aliorum in amantibus excitatur, afferat aliquam molestiam. Verissimum enim est, quod idem *Chrysostomus* hac de re addit ibidem: τῆς ἀγάπης καὶ τὰ δάκρυα καὶ ἡ λύπη γέλωτος πάντος ἡδίω καὶ χαρᾶς. Atque haec

217) In eadem *Homilia*, quam excitavimus paullo ante, p. 565.

non temere dici, uſus ipſe ſatis docet. Qui volet attendere, videbit, ex his, qui aliqua calamitate ſimul perculſi ſint ac proſtrati, ſemper primos erigi et novas vires colligere eos, qui amore patriae, caritate ſuorum, religionis ac virtutis propagandae ſtudio, atque omnino benivolentiae erga genus humanum ceteris praeſtent. Hi, quod iuvandi alios, et augendae ſalutis publicae opportunitatem non facile praetermittunt ullam: etiam tum, cum ſunt in aegritudine, non diu triſtes iacent et inertes, ſed quam primum nacti ſunt agendi locum, dolorem vincunt, et in reparandis rebus amiſſis diligenter laborant. Id autem eo certius ſieri ſolet, quo facilius hi, qui amore vero Dei hominumque ducuntur, *ſpe quavis* excitantur ad reſumendum animum, et aegritudine liberantur. Nam ἡ ἐλπὶς οὐ καταισχύνεται, ut *Paullus* ait Rom. V, 5, ὅτι ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ ἐκκέχυται ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, *ſpes eorum non eſt irrita, ſed eo luetior, quo magis vero Chriſtiano conſtat de infinita magnitudine favoris divini.* Ac docuit profecto *Paullus* ipſe exemplo ſuo praeclare, quam bene praeparatus ſit ad ſentiendam conſolationis dulcedinem is, qui magno teneatur aliorum amore. Etenim in maxima vi tempeſtatum et concurſu calamitatum omnis generis nulla re alia ſaepius conſolatus ſe ipſe eſt, quam cogitatione ſalutis, quam orbi terrarum afferat Chriſtiana

religio, et ad quam sua doctrina suisque institutis aditum aperuerat ingenti hominum multitudini. Quae enim hac de re copiosius disserit in altera epistola ad Corinthios, et in litteris ad Philippenses datis Cap. I, 12-26, ea recurrunt ubique, ut facile sit ad intelligendum, parem esse tot malis perferendis apostolum non potuisse, nisi vi amoris integerrimi omni tempore fuisset sustentatus et confirmatus. Ipse denique *Dominus* cum iam e cruce penderet, ostendit perspicue, animum amoris plenum vel in miserrimis supplicii tormentis non omnem amittere sensum gaudii. Requievit enim paulisper ac remisit acerrimus, quo angebatur, dolor, cum matrem, cruci adstantem, commendaret carissimi amici curae; laetitiam vero haud mediocrem cepit, cum morituro secum latroni polliceretur iam propinquam melioris vitae felicitatem. Quid multa? amoris erga Deum et homines, quem suadet et excitat Christiana religio, ea vis est atque natura, ut, qui eum conceperit animo ac demonstrare didicerit, vehementer imminutam sentiat malorum omnium violentiam, et ad percipiendam consolationis efficaciam multis modis optime sit praeparatus.

I. Conflat porro, Christiana religione, si recte fuerit intellecta, *excitari et ali sensum quendam absolutionis perfectionisque in rebus omnibus.* Huius autem sensus natura in eo est, ut,

qui eum ſequitur, nihil probet, nihil magnifaciat, nihil amet, niſi quod excellens in ſuo genere ſit, et numeris omnibus expletum. Nam quoniam ad ipſius Dei imitationem erigit homines Chriſtiana religio, Eph. V, 1, et hoc ſpectari optimum exemplar iubet, Matth. V, 48, a quo longiſſime abeſt, quicquid vitioſum, deforme et imperfectum appellari ſolet, Iac. I, 17: fieri non poteſt, quin ſenſim ſenſimque in omnibus, qui aliquid intellexerint ſe habere divinum, 2 Petr. I, 4, et ad imaginem Dei ſe conditos ſenſerint, Iac. III, 9. Eph. V, 23. 24, exſiſtat incredibilis quidam amor eorum omnium, quae vera, pulcra, honeſta eſſe viderint, et contemtus contrarii. Primum igitur *in rebus externis*, quae in ſenſus incurrunt, expreſſam quamque verae perfectionis imaginem appetent et mirabuntur, ſive naturae opera contemplati fuerint, ſive artis humanae, eorumque ſpectatores erunt curioſi et elegantes. Deinde *in actibne externa*, in omnibus dictis et factis, ſtudioſe conſervabunt εὐταξίαν quamdam, ut per omnes vitae partes decora, honeſta, apta inter ſe et convenientia ſint omnia, nihil vero committatur, quod iure reprehendi poſſit. Omni denique ratione curabunt, ut *animus ipſe*, quovis virtutum genere exornatus, ſemper dignum aliquid muneribus iis, quibus inſtructus eſt a Deo, et ſentiat, et faciat. Hoc autem perfectionis ſtudium

ubi semel exarsit in homine: bone Deus, quot praesidia beatae vitae, quot dolorum fomenta, quot adminicula, quibus sustentari possit etiam in gravissimis casibus, sibi comparavit! Etenim *in tanta magnificentia mundi*, in tanta pulcritudine universae naturae, in tanta copia ac varietate rerum, quae *ars humana*, sollers naturae imitatrix, exprimit et effingit, ubique aliquid inveniri potest, quod placeat, quod exhilaret, quod aegritudinem mitiget et molliat, in quo fessus animus placide conquiescat. Ad sentiendam horum medicaminum, quorum est infinita multitudo, vim et efficaciam inepti sunt, qui non didicerunt amare et appetere, quidquid ordinis, pulcritudinis, praestantiae vestigia continet, atque sic carere coguntur multis et magnis solatiis. Abhorrebit porro is, in quo acrem perfectionis sensum effecit Christiana religio, *a foedis perturbationum tumultibus*, ab eiulatu, lamentatione, gemitu, fremitibus, quibus utuntur, qui intolerantter dolent. Nam haec aliena sunt a dignitate hominis Christiani, quem stabilem decet et robustam demonstrare fortitudinem. Hac autem propterea plurimum valebit, quod a corporis obsequio indulgentiaque discessit, ac despicere didicit, quae caduca sunt ac mortalia, 2 Cor. IV, 18. Quis autem non intelligit, quam facile consolatio reperiat aditum ad eum, qui in ipso dolore aequa-

bilitatem quamdam gravitatemque conſervat, et placide praebere poteſt aures? Inprimis autem commemorandum in hac cauſa illud eſt, eum, qui hoc perfectionis ſenſu regatur, *veram maximamque hominis praeſtantiam non ponere in rebus externis, ſed in virtute ſola.* Nam etſi ea bona, quae ſunt extra nos poſita, minime ſperuit, cum ſint beneficia divina, quibus bene utendum eſt, ut aliquando vacare poſſimus adminiſtrationi maiorum rerum Luc. XVI, 10-12, tamen iſta omnia non propria putat, ſed aliena; nam et eripiuntur nobis facillime et quivis, quamvis indignus, talia habere poteſt. Iam ſi is, qui Chriſtianae religionis disciplina conformatur, res externas omnes, divitias, honores, opes, gloriam poſtponere virtuti ſolet, ac tum demum praeſtantiam veram ſibi conſecutus videtur, cum ad aliquam Dei ſimilitudinem acceſſerit: nonne ſeptus erit atque munitus adverſus calamitates maximas, nonne tutus et inexpugnabilis? Nonne tum quoque, cum amiſit, quae aliis ampliſſima videntur, et cariſſima ſunt, iacturam moderate feret, modo virtutem conſervaverit et integritatem? Nonne conſolantis vocem eo libentius admittet, quo magis intelligit, in ipſa calamitate crescere atque augeri virtutem veram, nec ſine tali certamine ſpectatam eſſe et firmam? Quo acrior itaque fuerit perfectionis ſenſus, quem excitat et alit Chriſtiana religio, eo

aptior erit animus ad ſuscipienda ſolatia, eo magis dolorum fomentis recreabitur.

LI. Accedit denique, haec et alia multa, quibus mentem utili adverſus mala commentatione munit Chriſtiana religio, eamque ita afficit, ut ſolatiis frui et poſſit, et velit, haec igitur *accommodata hominibus omnibus eſſe*, cum doctis et ingenio praeditis, cum indoctis et imbecillioribus. Nam *praecepta* de Deo, de providentia divina, et de immortalitate animorum, quae fundamenti loco ponit doctrina Chriſti, rudibus ſatis perſpicua ſunt, et doctioribus largam praebent atque variam cogitandi materiam. Ut autem in promtu ſemper ſint et ad manus illa praecepta, id exercitatione et uſu facile conſequi poſſunt omnes. Deinde *amor*, cuius eſt, ut vidimus, longe maxima vis in emolliendo, praeparando, ſubigendo pectore, po facilius et excitari poteſt in omnibus, et incendi, quo procliviores ad benivolentiam nos finxit ipſa natura, et quo magis ratio docendo, iudicando, communicando conciliat inter ſe homines, et caritatis vinculo coniungit. *Perfectionis* denique *ſenſum*, quem omni modo acuit Chriſtiana religio, inſitum habemus atque innatum, et eſt is impetus in omnibus, quae molimur et agitamus, tam efficax, tamque conſpicuus, ut multis ab hoc uno proficisci videatur, quicquid a nobis ſuscipitur, et fit. Cum igitur haec commen-

tatio adverſus dolorem, ſi dicere volumus, quod res eſt, nihil aliud ſit, *quam virium, quas cuique natura tribuit, diligens cultura, eaque talis, quae locum habere poſſit ubique, et in quovis genere ſtatuque vitae:* nemo negaverit, hanc praeparationem ad ferenda mala, et ad percipiendam ſolatiorum vim in homines omnes cadere, et vel hanc ob cauſam Chriſtianae religionis disciplina nobis optime conſuli. Nam etſi philoſophia quoque, praeſertim ſi vera fuerit et ſeria, animum aperit conſolationi: tamen ea praeparatio nec perfecta ſatis eſt, nec tam late patet, ut ad homines omnes pertinere poſſit. Neque enim omnibus datum eſt, philoſophiae vacare, quod vel tempore et otio deſtituuntur, vel ingenio carent. Ceterae autem religiones omnes tantum abeſt, ut hac in re comparari poſſint cum religione Chriſtiana, ut corrumpant hominum mentes, et foedis iaſiciant erroribus. Inde autem ſit, ut ingens oriatur multitudo falſorum ſolatiorum, vera vel excludantur, vel vim ſuam non poſſint exſerere. Maneat igitur, quod ſupra diximus, Chriſtianae religionis disciplina homines ita praeparari et excoli, ut, quaecunque tandem ipſis acciderint, conſolationem non modo libenter admittant, verum etiam ſponte arripiant, ſeque facili negotio colligant.

LII. Neque tamen in hac *praeparatione* ſola cernitur beneficium, quo miſeros afficit Chriſtiana

religio. Veniamus potius ad *alterum*, quod supra proposuimus, ac demonstremus, *nullum esse genus solatii veri, quo possint vel religiones aliae, vel philosophiae praecepta reficere maerentes, quod non derivari queat a fonte religionis Christianae, et ab eo manet multo uberius.* Sed hoc argumentum quoniam patet latissime: cavendum est, ne ad propria singularum calamitatum remedia delabatur nostra disputatio, sed consistat in commemoratione generum; etenim de his tantum suscepimus dicere. Constituimus autem nuper consolandi *modos tres*, ad quos referri potest universa solatiorum copia. Aliis quidem eorum *obruitur*, ut vidimus, mali, quod angit miserum et urget, cogitatio; aliis *imminuitur*; aliis denique *confutatur* ac tollitur funditus[118]). Non discedendum esse videtur ab hac divisione. Placet potius ostendere, sive *avocandus* ab acerbis cogitationibus maerentis sit animus, sive *minuenda*, quam conceperit, opinio mali, sive *confutanda* et evellenda penitus, *id melius, facilius, certius fieri non posse, quam adhibita Christiana religione;* huius praestantiam esse tantam, ut nullum genus veri solatii cogitari possit, quod non suppeditet, et copiosissime largiatur.

LIII. Atque *obrui* quidem mali notio, quae vexat maerentem, ut supra docuimus, solet *tri-*

118) Vid. §. XII.

pliciter; interdum is, qui eſt in aegritudine, a contuendis malis *ſe ipſe avocat*; interdum *aliorum conſilio abstrahitur*; interdum *caſu et longinquitate temporis depellitur*. Quantam vim habeat Chriſtiana religio ad avertendas his tribus modis a cogitanda moleſtia miſerorum mentes, iam paucis videbimus. Primum igitur ſuis hano tribuit facultatem noſtra religio, *ut, ſi velint, obſcurare poſſint ipſi cogitationem mali*, quo premuntur, ab eaque ſe avertere, et quidem ſic, *ut nullum adhibeant remedium, quod vituperandum ſit* [119]). Nam fuiſſe, qui eo conſilio uterentur ebrietate, qui luxuriae ſe darent, qui erumperent in ſaevitiam, aliisque rebus et inſtitutis turpibus ſopirent mali ſenſum et obtunderent, ſatis conſtat, et eſt ſupra a nobis obſervatum [120]). Ab his penitus abstinere ſuos iubet Chriſtiana religio; aliam ipſis viam oſtendit, qua poſſint aegrum animum a contemplatione moleſtiae abducere. Efficit igitur primum, ut intelligant, *debere* ſe mentem avertere, et occupari rebus aliis. Neque enim ipſorum arbitrio relinquit, utrum in notione mali torpentes haerere velint, nec ne. Prorſus alienum eſſe docet a dignitate hominis Chriſtiani, ſuccumbere, et caſu aliquo ita commoveri, ut mens atto-

119) Comparari debent, quae ſupra §. XIV. univerſe hac de re monuimus.

120) Conf. §. XL.

nita privetur libertate sua, nec possit rationem sequi. Quare aestus curarum, angores, sollicitudines, diurnos ac nocturnos metus, quibus laceratur animus et exeditur, vehementer reprehendit, et in vitiis numerat, quae omni modo fugienda sint, Matth. VI, 31-34. 1 Petr. V, 7. Phil. IV, 6. Quod igitur *prudentis* esse philosophia tradit, ut curis anxiis et mordacibus animum avocet: id *officii ac pietatis causa* fieri debere monet Christiana religio; atque sic vehementius impellit maerentes, ut vires omnes colligant, et sollicitudine se exsolvant. Quod ut feliciter succedat, *nec vires conanti desint*, alia ratione, et quidem sapientissime, curat. Habet hoc omnis aegritudo, ut afferat infractionem quamdam animi, rerumque gerendarum ardorem minuat et exstinguat. Hic autem languor, haec desidia, quae dolori nimium indulget, tolli non potest, nisi mens assueta sit agitationi, quae nunquam quiescat, quae omni ratione satisfacere nitatur omnibus officii partibus. *Atqui talem ardorem inficit Christiana religio.* Amor enim, quem suadet, quo incendit suorum animos, quid quaeso aliud est, quam indefessum studium, res gerendi utiles, magnas, arduas etiam plenasque laborum et periculorum; quid est aliud, quam perpetua quaedam ingenii virimmque contentio, quae nullam praetermittit augendae salutis publicae op-

portunitatem; Rom. XII, 3-8. 2 Thess. III, 13. 1 Ioh. III, 16. Hoc igitur amore qui flagrat, is in peragendis rebus, quas in officio esse videt, tam firmam consuetudinem contraxit, ut nulla frangatur calamitate, ut omnem inertiam, torporem omnem excutiat, quamprimum nactus fuerit bene merendi de aliis commodam occasionem. Iam cum talis occasio nunquam desit, cum is, qui aliis prodesse cupit, ubique aliquid reperiat, quod vel corrigi meliusque constitui, vel adiuvari possit et augeri: quis non intelligit, quot et quantis avocamentis circumdatus sit, qui ita animo affectus est, et quam facile suscipiendis negotiis dissipatum rus sit maerorem. Christum quidem in ipso mortis articulo, cum affixus cruci vexaretur doloribus, ad quorum atrocitatem nihil poterat accedere, divinum illud bene merendi studium, quod per omnem vitam in ipso fuerat acerrimum, ita confirmavit, ut a contuendis malis suis avertere mentem, et quid matri, quid aliis utile esset, diligenter providere posset. Ceterae autem res externae, quae maerentem tenere et allicere possunt, ut paulisper a cogitatione molestiae, qua premitur, deflectat; constat enim, adspectu locorum, hominum, operum, quae vel natura produxit, vel ars humana finxit, peregrinationibus, et occupationibus aliis saepe levationem afferri; hae igitur res eum, qui disciplina religionis Christianae fue-

rit usus, eo facilius afficient, et ad contemplationem sui convertent, quo maiori ducitur cupiditate scientiae, et quo libentius, uti supra vidimus, ubique praesentem miratur et moderantem omnia Deum. Quae cum ita sint, manifestum esse putamus, nulla re aptiores fieri homines, ut in ipso malorum concursu ab acerbis cogitationibus facili negotio se avocent, quam praeceptis et institutis Christianae religionis.

LIV. Huius autem vis et efficacia etiam tum erit perspicua, *cum maerentes aliorum consilio abstrahendi sunt*[121]. Nam et *iis, quibus adhibetur eiusmodi remedium*, et *consolatoribus ipsis* permultum proderit, si eius praeceptis pectus formaverint. *Maerentes* quidem, si Christiani fuerint, verbis et studiis aliorum, avocantium a dolore, libenter obtemperabunt propterea, quod alieni sunt ab errore, aegritudinem interdum ad officium pertinere. Nam paullo ante vidimus, a Christiana religione superstitionem, quae maerori nimium indulgeat, reprehendi ac damnari. Deinde *amor*, qui dominatur in omnibus veri nominis Christianis, eos tum quoque, cum in aegritudine sunt, mansuetiores reddit et faciles, ut alios libenter audiant, et ipsis habeant aliquam fiduciam. Sunt denique in eo, qui doctrina Christi imbutus

121) Conf. §. XV.

est, eiusque formulam ubique sequitur, multa, quae consolator *apprehendere*, et quibus commode uti potest. Nam res non paucae Christianis tam graves videntur, tam arcte coniunctae cum religione, et vel cum privata singulorum, vel cum communi omnium salute, ut nullo dolore impediantur, quominus attentionem in eas convertant. Has igitur tangere, horum cogitationem iniicere debet, qui voluerit infixam menti notionem mali obscurare, et obruere notionibus aliis. In quo *consolator* quisque ita versabitur optime, ut ipse fuerit religionis Christianae beneficio maxime incensus vera hominum caritate. Hac enim qui reguntur, ii, quod aliorum calamitate graviter et vere commoventur ipsi, miseris libenter succurrunt, idque faciunt leniter, adhibita magna prudentia, quae parcat et indulgeat afflictorum imbecillitati, ex avocamentis autem plurimis magna cura semper deligunt ea, quae et ingenio moribusque maerentium, et tempori, loco ceterisque rebus externis maxime conveniunt. Omnino vultu, voce, habitnque ipso tantam benivolentiam non tam significat, quam declarat consolator, qui Christiano amore ducitur, ut nulla re absterreat miseros, sed facile sibi conciliet eorum favorem, ac nihil tale opinantes a malorum cogitatione deducat.

LV. Ceterum nec in illo *avocationis genere, quod a casu pendet, et a longinquitate temporis*[122]), desideratur Christianae religionis efficacia. *Tarda quidem temporis medicina non indigent veri Christiani*; haec iis relinquunt, qui nihil habent, quo vim doloris leniant et vincant; sibi tot ac tanta praesidia contra calamitates quasvis data esse vident, et beneficio divino contulla, ut minime exspectent temporis auxilium, sed statim nitantur contra, et ipsi aliquid tentent, quod aegritudinem minuat atque depellat. Quare hoc genus solatii, quod nihil agentibus adhibent anni labentes, tantum abest, ut in scriptis apostolorum commendetur, ut ne commemoretur quidem; Christianos in ipso certamine cum calamitatibus maximis, et tam iam, quam experiri possint ullam temporis medicinam, optimis abundare solatiis, et dolori fortiter resistere, id vero ab apostolis docetur saepissime. Igitur consilio, prudentia, pietate praecipere debent, quod allatura est diuturnitas. Quae autem *casus* interdum offert avocamenta, ea minime contemnent Christiani, sed fructus multo uberiores ex iis capient, quam alii. Quoniam enim ita affecti sunt, et assuefacti religionis suae disciplina, ut acri animo et attento, quicquid fit, et geritur, contueantur, et in par-

---

122) Vid. §. XVI.

tes omnes intendant aciem, quod γρηγορεῖν et ἀγρυπνεῖν appellant libri ſacri, 1 Theſſ. V, 6. 8. 1 Cor. XVI, 13 haud facile quicquam negligent ac praetermittent, quod aptum ſit ad reſtituendam hilaritatem, ſi vel maxime parvum fuerit, et aliorum animadverſioni ſe ſubduxerit. Hoc quam verum ſit, allatum ſupra *Melanchthonis* exemplum docet [xxv]), cui facile, ſi nunc hoc ageremus, addi poſſent alia multa. Exunt autem, qui ſenſibus regantur, a religione Chriſtiana profectis, in colligendis talibus avocamentis eo diligentiores, quod a Deo repetunt omnia, atque exiſtimant, non temere oblendi ſibi vllum doloris remedium, ſed Deum ſaepe praeter exſpectationem iſta ſuppeditare lenimina, ut animum aegrum recreet, ac nova ſpe impleat. Ipſa autem Dei gubernantis omnia et procurantis cogitatione eiusmodi res verum conſolandi accipere maiorem, nemo negaverit. Excitantur enim hoc modo pietatis, fiduciae, grati animi, amoris ac ſpei ſenſus, cominuscii illi cum cogitationibus multis, iisque laetis, quibus mali, quae vexat, notio, ſaepe penitus obruitur, doloris autem aculei non amplius pungunt. Ex his liquido conſtat, primum ſolatii genus, quod eſt in *obſcuranda* cogitatione *mali*, animumque revocat a contuenda moleſtia, non modo locum

[xxv]) Vid. §. XVI.

habere apud eos, qui utantur Christianae religionis disciplina, verum etiam *his magis prodesse, quam aliis omnibus.*

LVI. Haud minor est Christianae religionis utilitas in *altero* genere, cui est, uti supra planum fecimus [124]), propositum hoc, ut *minuat* opinionem mali, quod aegritudinem efficit, atque ostendat, tantum id non esse, quantum vel metuenti, vel iam perculso videatur. Docuimus autem nuper, maestorum opinionem de magnitudine eius, quod *aegre* ferunt, elevari ac deprimi posse multis modis. Nunc age demonstremus, id optime fieri tum, cum adhibeantur placita praeceptaque religionis Christianae. Quoniam igitur hi, qui dolent, non raro, erroribus decepti, atrocitatem malorum augent temere: primo quidem minuenda ista opinio sic est, *ut detrahantur additamenta commenticia, et inanis terror discutiatur* [125]). Hoc autem errore nemo facilius vel se liberat ipse, vel aliorum opera liberari potest, quam *Christianus.* Nam primum *fiducia*, quam ponit in sapientia ac benignitate Dei, rerum humanarum arbitri, hoc efficitur, ut nihil immitti credat a patre supremo, quod nimis perniciosum sit, et cui ferendo impares sint vires humanae. Tenet igitur firmiter, quod *Paullus* scribit Corinthiis,

124) Conf. §. XVIII.
125) Vid. §. XIX.

1 Cor. X, 13, omnem πειρασμὸν esse ἀνθρώπινον, h. e. *communem, vix separabilem ab humana sorte, et hac ipsa de causa tolerabilem* [126]). Scit enim, Deum, ut ibidem est, esse πιστὸν, *aequum plenumque fidei, qui nunquam patiatur evenire aliquid, quod vires nostras superet, sed praeparet* σὺ τῷ πειρασμῷ καὶ τὴν ἔκβασιν, *ipsi calamitati adiungat elabendi locum, et laetos exitus* [127]). Haec cogitatio cui nunquam excidit, is vel gravissimo casu nonnisi mediocriter perturbabitur. Quantacunque enim irruentis mali videatur atrocitas, Christianum, Deo confisum, minime decipiet prima species, quod iam ponit et sumit, ca-

---

126) Ita etiam scriptores alii loquuntur. *Cicero* quidem in eo magnam consolationem esse dicit, *quod humana ferenda sint*, Tusc. l. III. c. 16. *Torquato autem ad Famil.* l. VI. ep. 1. scribit: *simus igitur ea mente, quam ratio et veritas praescribit, ut nihil in vita nobis praestandum praeter culpam putemus; eaque cum careamus, omnia humana placate et moderate feramus.* A Graecis quoque vulgares casus, coniunctos cum humana conditione, ita appellari, perspicuus locus *Plutarchi* docet in *Consolat. ad Apollon.* p. 448. ed. Reiske, ubi verba leguntur: πείθοντες, τὰ κοινὰ τοῦ βίου συμπτώματα κοινῶς φέρειν, καὶ τὰ ἀνθρώπινα ἀνθρωπίνων. *Polybius* autem etiam κακίον ἀνθρωπίνων malitiam appellat *vulgarem Hist.* l. I. c 67. p. 167. ed. *Schweighäus.* Non male igitur a *Chrysostomo Homil. XXIV.* in *ep. pr. ad Corinth.* πειρασμὸς ἀνθρώπινος dicitur μικρὸς, βραχὺς, σύμμετρος.

127) *Chrysostomus* ibidem explicat: ταχεῖον ἀπαλλαγὸν ἐπάγει.

lamitatem quamque multo leviorem esse, quam a perculsis primo impetu atque stratis existimetur. Igitur ipse laborabit in eo, ut mali, quo oppressus est, notioni detrahat, quicquid opinionis errore accesserit, et sic obtundat dolorum stimulos. Id hi, qui vim Christianae religionis recte norunt, quam diligentissime faciunt etiam propterea, *quod grati sunt ac memores beneficiorum divinorum.* Deprimi enim opinionem accepti damni, si perspiciat miser, non omnia eripuisse sibi fortunam, sed praesidia multa reliquisse ad bene beateque vivendum, et per se clarum est, et ostensum a nobis supra. Atqui ad cogitanda bona, quae post acerbum aliquem casum statum suum tenent et supersunt, nemo proclivior est Christiano. Nam quoniam omni studio id agit, ut quam gratissimus erga Deum cognoscatur, a quo nihil meritus summis beneficiis cumulatum se videt: non haeret, ut vulgo fit, cum in malum aliquod incidit, in contemplatione *damni;* consuetudine reputandi quotidie ac celebrandi beneficia divina in contrariam partem convertitur, ut *bona* percenseat, quae intacta manserunt, praesertim cum et has reliquias indigno concessas esse sentiat. Multum igitur prodest ad minuendam malorum opinionem, quod Christiana religio suos iubet εὐχαριστεῖν τῷ θεῷ πάντοτε καὶ ὑπὲρ πάντων, Eph. V, 20. 1 Thess. V, 18. Qui enim hoc, ut par

esi ac decet, etiam tum faciunt, cum aliquid passi sunt: ii a contemplanda molestia sensim sensimque avertuntur; ii perspicere incipiunt, adhuc multa superesse, de quibus laetari possint, atque omnino excitantur hoc modo sensus spei atque fiduciae, quibus aegra mens suaviter afficitur et recreatur. Detrahitur denique opinioni de magnitudine alicuius mali non minima pars, si ostenditur, *incertum esse et ambiguum, utrum bonum, an malum acciderit.* Iam ambiguitatem non raro adesse, satis constat; saepissime autem eam deprehendere sibi videntur in casibus acerbis ii, quorum iudicium regitur doctrina religionis Christianae. Nihil enim fit, si Christum et apostolos audimus, in universo terrarum orbe temere, et sine sapientissimo Dei consilio. Deum autem, qui amore paterno prosequitur homines, ad piorum salutem refert, quicquid instituit et agit. Iam cum hoc etiam de calamitatibus dici possit ac deceat: nonne omnes, qui de providentia divina recte sentiunt, etiam in gravissimis malis aliquid vel videbunt, vel certe latere putabunt, quod pertineat ad ipsorum salutem; nonne libenter utentur praeclara illa *Pauli* voce: εἰδὼς, ὅτι τοῦτό μοι ἀποβήσεται εἰς σωτηρίαν; Phil. I, 19.

LVII. Inde porro consequitur, ut in Christianis maxime proficiat consolandi genus, *quod ma-*

lum facile tolerari posse censet [128]). Nam et hoc modo minui miserarum cogitationem, animumque placari, certum est. Cui autem tolerabiliores videbuntur calamitates omnes, quam ei, qui, ut paullo ante observavimus, scit et credit, *nonnisi humanis malis*, quae minime superent vires nostras, *affligi nos*, Deumque, amore paterno ductum, et indulgentia maxima, rationem habere semper nostrae imbecillitatis? *Exemplis* autem eorum, qui similia passi sunt, Christiani magis commoventur, quam alii, propterea, quod ex iis discunt, partim quae et quanta sint constantiae proposita praemia; partim quam sapienter et benigne Deus calamitatibus modum ac finem imponat. Ita spectari *Iacobus* iubet aliorum miserias, Ep. cap. I, 11. *Audivistis*, inquit, *quam constantiam demonstraverit in summa calamitate Iobus, καὶ τὸ τέλος Κυρίου εἴδετε, nec ignoratis, ad quem exitum Deus eam adduxerit, quae praemia tulerit vir fortissimus:* respicit enim apostolus ea, quae Iob. XLIII, 10 narrantur; et ne quis dubitet, pios omnes similia sperare posse, addit: *ὅτι πολύσπλαγχνός ἐστιν ὁ Κύριος καὶ οἰκτίρμων, cum tenerrimo amore nos prosequatur Deus, nunquam committet, ut mala nobis noceant et exitio sint.*

128) Vid. §. XX.

Qui autem hoc modo ex aliena calamitate ſolatia petunt, in eos nullo modo cadit reprehenſio, quam ſupra commemoravimus, ſic voluptatem capi ex aliorum miſeriis, et hoc genus comparatum eſſe ad conſolandos malivolos. Nam Chriſtiani hac in re *ad Deum* referunt omnia, et alienam calamitatem non eo conſilio ſpectant, ut de ea gaudeant, ſed ut excitent apud ſe atque confirment fiduciam in Deo poſitam, qui afflictis quoque favet, ſpectatae autem virtuti praemia tribuat. Quae cogitatio quantopere concepiam mali opinionem elevet ac deprimat, nemo non intelligit. Minus atrocia videri incipiunt incommoda tum quoque, *cum excitantur virtutes;* cum perſpicit miſer, ſine turpitudine et culpa non poſſe ſe maerori indulgere. Sed hic virtutis et honeſti ſenſus vim ſuam maxime exſerit in Chriſtianis. Nam hi non tam propterea fortitudinem demonſtrant, quod magnum, egregium, pulcrum eſt, dolorem vincere, et quod laudantur, qui conſtantes ſunt, ab hominibus; ipſa officii ratio, ipſa pietas in Deum eos impellit, ut nunquam ſint animo ſummiſſo, malisve cedant. Auget ipſorum fiduciam, quod multis ſe et magnis ferendae calamitatis praeſidiis inſtructos eſſe vident. Nam cum praeter ea, quibus reliqui utuntur, adeſſe ſibi credant, ut infra docebimus, ſingularem quamdam opem divinam: nullus caſus tam atrox erit

tamque pernicioſus, quin ipſis tolerari poſſe videatur.

LVIII. Notum eſt porro, minui cogitationem mali, *ſi detrahatur culpa*, ſi oſtendatur, aut plane immerenti aliquid accidiſſe, aut contractam culpam ſaltem non eſſe tantam, quanta dolenti videatur [229]). Negari quidem non poteſt, ſanctitate ac ſeveritate legum divinarum, quas exponit Chriſtiana religio, et ad quas vitam atque mores exigere debet, qui ei obtemperat, vehementer deprimi faſtum omnem, et ſenſum internum tantopere excitari acuique, ut infinitam peccatorum multitudinem eorumque foeditatem ac turpitudinem multo ſubtilius intelligant Chriſtiani, et multo vehementius deteſtentur, quam ſoleant alii. Inde ſit, ut nullam calamitatem immitti ſibi exiſtiment plane immerentibus, quodvis autem incommodum peccatorum priſtinorum memoriam in ipſis renovet, et triſtitia quadam animum repleat. Sed hoc non impedit, quominus etiam culpae detractione miſeris proſit Chriſtiana religio. Primum enim *evellit falſas opiniones culpae*, profectas a ſuperſtitione, et ab erroribus aliis; nam accurata legum divinarum ſcientia, qua auget omnes, quos imbuit doctrina ſua, corrigitur perverſum iudicium de rebus, quae ſunt in offi-

---

229) Conf. §. XXI.

cio, et vana criminis suspicio tollitur. Iam cum eiusmodi opiniones falsae nonnunquam vehementer angant afflictos: evellendis his erroribus non parum levat miseros Christiana religio. Multo maius autem gravisque illud est, *quod peccatorum omnium venium pollicetur, eiusque adipiscendae viam ac modum ostendit solatii plenissimum.* Ante enim conscientia scelerum vexata mens placide conquiescere non potest, quam ipsi facta fuerit fides, Deum reis quoque favere, et condonare peccata velle. Eius autem voluntatis favorisque documentum maximum cum per *Christum* dederit Deus: quanto solatio Christiana religio esse poterit omnibus, qui male oppressi, simul sentiunt angores conscientiae! Sed haec consolatio quoniam pertinet ad eas, quae sunt religioni Christianae propriae, ac de quibus infra dicendum copiosius est, hanc rei gravissimae expositionem hic praetermittimus.

LIX. Augeri vehementer solet malorum vis, si existimant miseri, *in officio esse*, ut doleant, ut affligant se, doloris que sensum intendant. Quare supra iam monuimus, hoc errore liberandos esse maestos, atque sic quoque minuendam mali cogitationem (130). Qui Christiana religione utuntur recte, eiusque doctrinam ita tenent, uti traditur

(130) Conf. §. XXII.

in libris sacris, nunquam incident in hanc opinionem, nunquam existimabunt, se hoc debere Deo, ut animi dolores studiose alant et augeant, ut tormentorum et castigationis generibus variis discrucient corpus, et quovis modo significent atque declarent maerorem maximum. Constat quidem, Christianos multos omni tempore magnam vere pietatis partem in ista voluntaria aegritudine posuisse; sed id factum est hominum, non religionis culpa. Nam quid alienius esse potest ab amore erga Deum, quem excitat doctrina Evangelii, coniuncto illo cum fiducia maxima, et cum laetissima spe, quam servilis metus, qui Deum iratum placare tentat satisfactionibus variis, et poenis ultro susceptis, quamprimum acciderit aliquid, quod vocent? Tantum enim abest, ut nos iubeat religio indulgere dolori, et augere tristitiam, ut eam compescere, dissipare, finire debeamus, quam fieri possit, celerrime, si voluerimus eius monitis obsequi. Sed quantopere avocet Christiana religio et abstrahat suos ab acerbis cogitationibus, docuimus iam supra. Sic autem deprimi vehementer etiam magnitudinem malorum, tam manifestum est, ut id longiori oratione non indigeat.

LX. Denique ad minuendam notionem mali, quae maerentis animo infixa est, commemorari solet hoc quoque *a necessitate quadam proficisci calamitatem, vitarique nullo modo potuisse.* Falli

ſumus ſupra, non male ſic diſſeri, ac tolerabilius ferri, quae mutari non poſſint [131]). Si vero intellexerimus, eam neceſſitatem non eſſe ſimplicem et abſolutam, quae caeco impetu nos ſecum abripiat, nec ullo modo poſſit leniri; ſed immutabilem potius continuationem ordinis a ſapientiſſimo rerum omnium auctore conſtituti eo conſilio, ut et ſingulorum privata, et publica omnium efficiatur felicitas: nonne multo magis imminuetur opinio mali; nonne ita mutabitur, ut incipiamus perſpicere, ſine incommodis, quae ſentiamus, ſine rebus adverſis, quibuscum conflictemur, ne teneri quidem poſſe veram ſalutem? Atqui ſic inſtituti, ſic imbuti eſſe debemus, ſi Chriſtianam religionem profitemur. Ταπεινώθητε, ait *Petrus* in epiſtola priori Cap. V, 6, ὑτὸ τὴν κραταιὰν χεῖρα τοῦ θεοῦ, *ſubmittite vos Deo, cui vanum eſſet reſiſtere velle.* Docet igitur apoſtolus, eorum, quae fieri patitur Deus et immittit, neceſſitudinem tantam, ut vis humana in impediendo conſilio Dei fruſtra laboret. Sed quorſum tendit illa fatalis et immutabilis eventorum continuatio? ἵνα ὑμᾶς ὑψώσῃ ἐν καιρῷ addit apoſtolus; *ut, cum ipſi viſum fuerit, ad meliorem conditionem vos evehat.* Salutaris igitur eſt omnis illa neceſſitas, et ita conſtituta, ut a recta felicitatis via nos aberrare nullo modo ſinat. Sic autem quantopere deprimitur,

131) Vid. §. XXIII.

quantopere elevatur cogitatio malorum omnium! Nam nec de eventu amplius solliciti esse debemus; non opus est, ut circumspiciamus anxie tollendae calamitatis praesidia. Cum enim Deus ita copulaverit omnia, ut alterum ex altero aptum sit, et necessario consequatur: ipse nos expediet, ipse modum elabendi, ipse viam ad meliorem conditionem praeparavit iam atque munivit. Quare addit apostolus eo, quem excitavimus loco: *πᾶσαν τὴν μέριμναν ὑμῶν ἐπιῤῥίψατε ἐπ' αὐτόν, ὅτι αὐτῷ μέλει περὶ ὑμῶν.*

LXI. Nullum igitur esse genus solatii veri, quo possint vel religiones aliae, vel philosophiae praecepta recreare miseros, quod non derivari queat a fonte religionis Christianae, ab eoque manet multo uberius: id quamquam satis iam intelligitur ex iis, quae hactenus disseruimus de *obscuranda* mali, quod maerentes angit, et *minuenda* notione; tamen nulla re alia magis confirmatur, quam illo consolandi genere, quod est in *confutanda funditusque tollenda* calamitatis cogitatione. Ponit, qui hanc consolationem adhibet, omnem operam in eo, ut efficiat rationibus idoneis atque perspicuis, aerumnas, quas sustinere sibi videantur miseri, *habere naturam indolemque boni, et coniunctas esse cum ipsorum salute.* Vidimus autem supra [132]), mutari corrigique mae-

132) Conf. §. XXIV.

rentium opinionem poſſe *tribus* modis; partim ſic, *ut verborum ornatu et ſuavitate translationum acerbis cogitationibus concilietur quaedam iucunditas;* partim *exſtirpandis erroribus, qui opinata mala veris annumerant;* partim denique *oratione, quae oſtendat, nec vera mala carere commodis, ſed habere, quae proſint.* Transferemus nunc, quae ſupra diximus univerſe de hoc conſolandi genere, *ad religionis Chriſtianae disciplinam*, ut planum fiat, quantum in hoc quoque valeant eius praecepta. Nobis quidem omnem mali cogitationem evellere videtur ex animis afflictorum is demum feliciter poſſe, qui his praeceptis recte utatur, quod hac in re et omnis philoſophia, et religiones reliquae doctrinae Chriſtianae gravitate, ubertate et efficacia longiſſime ſuperantur. Quod, ne quis temere a nobis dici putet, age, de modis confutandi opinionem urgentis mali, quos commemoravimus, deinceps breviter agamus.

LXII. Certum igitur eſt, ut ſuus quemque ſenſus docet, multa, quae, cum proprie dicuntur, animum vehementer affligunt, molliri quaſi, et asperitatem amittere, *ſi dicendo condiantur, et conſpergantur imaginum, translationum ac ſimilitudinum iucundarum veluti floribus.* Sed inani ſpecie decipit miſeros haec conſolandi ratio, *niſi veritatis habuerit rationem*, et uſa fuerit

ornamentis aptis, ipsam mali, quod vexat, illustrantibus indolem sic, *ut adiuncta ei commoda clariora fiant*, ac subiiciantur paene sensibus ipsis. Plena sunt eorum, qui consolandi causa aliquid scripserunt, libri, inprimis carmina poetarum, talibus condimentis, ut sciunt omnes. Sed in infinita illa translationum, imaginum et sententiarum copia, quibus mitigatur malorum cogitatio, haud paucae sunt *inanes*, quarum infucata vitia adhibito indicio facile deprehenduntur. Quae enim ex hoc genere *vel ab errore quodam manant, vel in errorem inducunt*, ea repudianda sunt, quod non vincunt dolorem, sed deludunt. Christiana religio etsi de malis huius vitae saepe praecipit, ut apostolorum scripta docent, adhibitis verbis translatis et imaginibus iucundis: tamen in tanta figurarum ac similitudinum varietate inveneris nullam, quae vana dici possit, vel cum errore coniuncta; omnes non modo suaves sunt, et ad diluendam molestiam aptae, verum etiam tam accurate conveniunt cum ipsa malorum indole, ut bona, quae latent in quovis incommodo, et a maerentibus vulgo negliguntur, paene in conspectu animi ponant, et illustrent egregie. Commemorare liceat, ne exempla desint, translationes nonnullas, *quibus calamitates huius vitae universe describere solent apostoli.*

LXIII. Παιδείαν igitur appellant, quicquid hominibus piis accidit, et moleſtiam creat, Hebr. XII, 4-11. Hac autem appellatione quid quaeſo verius eſt, quid iucundius? Si *disciplinae et caſtigationis paternae* vim habent calamitates huius vitae; primo quidem licet *earum ſenſu affici, licet modeſte de iis conqueri*; πᾶσα γὰρ παιδεία πρὸς μὲν τὸ παρὸν οὐ δοκεῖ χαρᾶς εἶναι, ἀλλὰ λύπης. Chriſtiana religio non poſtulat ἀπάθειαν, quam graviter quidem ſed parum accommodate ad humanam imbecillitatem, commendare ſolebant *Stoici*. Sed quot et quanta doloris mollimenta continet haec una calamitatum denominatio! Principio quidem admonet nos, cum in aegritudine ſumus, a *Deo* immitti, quae nobis accidant, et quidem conſulto, nec proficisci a temeritate quadam fortunae. Deinde *ſummi ac benigniſſimi patris* notionem nobis obiicit, τοῦ πατρὸς τῶν πνευμάτων, a quo accepimus, quicquid praeſtans in nobis eſt et excellens; atque ſic cogitatio Dei, quae miſeris haud raro terrorem incutere ſolet [133]), omnem amittit acerbitatem, et ſuavitate ſua dolentem animum mulcet. Simul nos excitat, ut *dignitatis noſtrae memores* colligamus vires. Neque enim *animalia* ſumus miſera et neglecta, quorum curam non agit Deus; ſed *filii*, ὡς υἱοῖς προσ-

133) Vid. § XXII.

φέρεται ὁ θεὸς, et quidem *cari*, quos diligenter erudire solet et formare pater optimus maximus, εἰς τὸ μεταλαβεῖν τῆς ἁγιότητος αὐτοῦ, ut participes fiamus perfectionis summae, qua excellit ipse, 2 Petr. I, 4, et ad aliquam cum ipso similitudinem enitamur. Atque sic intelligitur, *ad utilitatem nostram pertinere*, quae nos affligant; neque enim ut humani patres, qui πρὸς ὀργὴν αὐτοῖς castigare liberos solent, incertas coniecturas, vel turbulentas animi commotiones sequitur Deus; ἐπὶ τὸ συμφέρον παιδεύει, disciplinam adhibet omni ex parte salutarem, quae nos emendet, quae medeatur animi morbis ac vitiis, et ad praeclara quaeque nos impellat. Si autem disciplinae naturam habent mala, quae sentimus: quis non videt, *neminem iis carere posse*, qui severa lege proficere, ac liberaliter educari velit. Τίς γάρ ἐστιν υἱὸς, ὃν οὐ παιδεύει πατήρ; nonne omnes, quos amore paterno prosecutus est Deus, experti sunt castigationes; num ab *ignominia spuriorum*, qui negliguntur, differret nostra conditio, si indulgenter tractaremur et molliter? Accedit, *ne diuturnam quidem fore hanc severitatem; πρὸς ὀλίγους ἡμέρας* hoc modo castigamur; cum adolevimus, cum huius vitae infantiam excipit futurae maturior aetas, cum haec disciplina nobis attulit τὸν καρπὸν εἰρηνικὸν τῆς δικαιοσύνης, ut satis exercitati videamur et conformati, nihil amplius erit, quod summae

felicitatis sensum impediat. Haud scio, an ulla inveniri et excogitari translatio possit, quae calamitatis utilitatem et bona verius, plenius, et ad recreandos miseros, ad excitandam spem atque fiduciam, ad confirmandam denique patientiam accommodatius proponat hac παιδείας notione, quae est, ut omnes fatentur, *religioni Christianae propria*. Quae cum ita sint, nemo mirabitur, aerumnas huius vitae ab apostolis interdum appellari suavissime χάριν, *beneficium*. Sic *Paullus* Philippenses dicit συγκοινωνοὺς τῆς χάριτος, quam ipse acceperit cap. I, 7. Docent autem adiecta, et interpretes optimi in eo consentiunt, de *malis* loqui Paullum, quae sint religionis causa perferenda. Nam et infra v. 29 utitur formula simili, ἐχαρίσθη ὑμῖν τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ πάσχειν, et quos antea συγκοινωνοὺς χάριτος dixerat, eos Cap. IV, 14 συγκοινωνήσαντας τῇ θλίψει nominat. Quam recte autem et quam commode *beneficii* verbum ad mala, quae pios affligunt, transferat apostolus, planum est ex iis, quae paullo ante disputavimus. Neque enim maius homini atque divinius beneficium tribui potest educatione liberali ac disciplina, quae naturam eius emendet, perficiat, et ad maiora praeparet. Quis autem est, qui non libenter corrigendum se atque formandum tradat sapientiae divinae, parenti et educatrici optimae? Quis non moderate ferat, quicquid acciderit, si intellexerit,

id ad suam utilitatem pertinere, et habere vim beneficii maximi?

LXIV. Non minor est et veritas, et evidentia translationum earum, quibus *singula malorum genera* designantur passim in libris sacris, ut facile possemus ostendere, si tantam copiam admitterent huius libelli fines. Sufficiat, unum posuisse eius rei exemplum, idque perspicuum et illustre. Vidimus igitur supra, quam sollers fuerit omnis antiquitas in mitiganda cogitatione *mortis*, et quot, quam iucundas, quam aptas translationes in hac causa adhibuerit [134]). Sed ingenium et facultas dicendi veterum longe superatur copia, suavitate ac vi verborum, quibus libri sacri circumvestiunt et exornant istam notionem, et quidquid unquam vere ad erigendas mentes, mortis terrore perculsas, dici potuit, id non modo continet Christiana religio, sed auget etiam et magis illustrat. *Christi* quidem sermo, quem imminente iam atrocissimo supplicio habuit apud *Iohannem* Cap. XIII-XVII. quantopere quaeso verborum et imaginum vi praestat iis, quae *Socrates* et *Cyrus* paullo ante mortem dixisse feruntur, et quae nos e *Platone* et *Xenophonte* commemoravimus supra! *Crux* comparabatur Domino, crux inquam, hoc est teterrimum et ignominiosissimum

134) Conf. §. XXVI.

genus ſupplicii. Sed quamquam, quid impendeat, plane ſcit, et accurate praedicit ipſe: tamen nulla vox ei excidit funeſtior, tamen tanta verborum lenitas, tanta translationum ſuavitas dominatur per eum ſermonem, ut nihil cogitari fingique poſſit in eo genere perfectius. A *mortis* verbo plane abstinet; de *itinere et reditu* loquitur, ὑπάγω, ait, περίυομαι, ἀφίημι τὸν κόσμον, ὁ κόσμος με οὐκ ἔτι θεωρεῖ. Simili modo *Socratem* et *Catonem* loquentes induci a Platone et Cicerone, monuimus quidem ſupra. Sed in ſermonibus Domini ducta illa a diſceſſu et a migratione translatio vim accipit longe maiorem, quod fere ſemper addit, *ad patrem* proficisci ſe, laetiſſimum iter a ſe ſuſcipi. Quid enim exoptatius eſſe poteſt reditu in domum paternam, et quidem beatiſſimam, in qua μοναὶ πολλαί εἰσιν? In cogitandis autem cruciatibus atque moleſtiis, cum iſto reditu coniunctis, non haeret; praecipit potius tota mente laetiorem conditionem, ad quam nunc transiturus eſt, eaque iam frui ſibi videtur. Οὐκ εἰμὶ, inquit, ἐν τῷ κόσμῳ, Cap. XVII, 11, ita enim eloquitur, quod propriis verbis dicendum fuiſſet: *morti iam ſum proximus.* Atque in deſcribendo iſto exitu non tantum lenibus utitur formulis, ſed etiam talibus, quae ſpem liquidamque laetitiam exprimunt. Se iam δοξασθῆναι ait, Cap. XIII, 31. 32 et XVII, 1. 2; *ſibi nunc aditum ſieri ad gloriam*

felicitatemque summam: huncque discessum et sibi, et suis, atque omnino universo generi humano utilissimum fore, copiose demonstrat Cap. XIV, 28. Ac ne quid praetermittatur, quod imminentis supplicii atrocitatem minuat, eique acerbitatem omnem demat, *ne longinquum quidem* inter se suosque discessum digressumque fore docet; se enim propediem ad ipsos rediturum, idque allaturum ipsis esse laetitiam longe maximam Cap. XVI, 16-22. Denique tempus fore ostendit, quo et ipsi ex hac turba et colluvione discessuri, et in caelestes a se sedes suscepti, secum versaturi sint. Cap. XIV, 3. Haud facile quemquam arbitramur fore sensus tam expertem, quin intelligat, mortis tristitiam maiori verborum lenitate, et exquisitiori aptissimarum translationum copia mitigari non posse, quam hic sit factum. Iam cum pleraque, quae de suo exitu disseruit Dominus, commode transferri possint ad mortem piorum omnium: nemo negaverit, rem alioquin funestissimam induere boni naturam, et optabilem fieri, si hoc modo cogitetur.

LXV. Nec silentio praetermittenda sunt, quae ex hoc genere in reliquis apostolorum scriptis occurrunt. Saepe igitur mitis illa *discedendi et abeundi* formula de morte legitur, humanis quoque scriptoribus frequentata; vid. Luc. II, 29. Matth. XXVI, 24. Phil. I, 23, quem ultimum

locum egregie illuſtrat *Perizonius* ad *Aeliani Var. Hiſt.* l. IV. c. 25 moriendi autem tempus καιρὸς τῆς ἀναλύσεως dicitur, 2 Tim. IV, 6. h. e. *tempus abeundi ex hoc diverſorio in patriam.* Simili fere modo μεταθέσεως verbum uſurpatur de *Henochi* diceſſu, Hebr. XI, 5. coll. Sap. IV, 10. Adhibent etiam apoſtoli notam illam corporis humani cum *tentorio*, in quo ad tempus habitet animus, comparationem, qua primum uſos eſſe conſtat *Pythagoricos;* ab his ad *Platonem* et ſcriptores alios transiit, et tandem paene vim verbi proprii accepit, inprimis in libris medicorum. Locos, qui huc pertinent, collegerunt multi, quos commemorat *Wolfius in curis* ad 2 Cor. V, 1 exempla praecipua ad eundem locum congeſſit *Wetſtenius.* Sed praeclare hac quoque figura mitigatur in libris ſacris cogitatio mortis. *Petrus* in epiſtola altera Cap. I, 14 mortem ſuam, proxime inſtantem, commode τὴν τοῦ σκηνώματος ἀπόθεσιν appellat, *migrationem atque diceſſum ex hoc corporis diverſorio;* quare iſtam ἀπόθεσιν paucis interiectis ἔξοδον nominat. Multo autem copioſior in illuſtranda hac ſuavi mortis imagine *Paullus* eſt 2 Cor. V, 1-8. Nam ut doceat, mortem tantum malum non eſſe, quantum vulgo putetur, corpus appellat οἰκίαν ἐπίγειον τοῦ σκήνους, *domicilium fragile et vile*, σκῆνος γεῶδες ut eſt in libro *Sapientiae* c. IX, 15; mortis autem naturam in

eo esse dicit, ut haec caduca animoque saepe satis molesta domus *destruatur;* istam vero dissolutionem, negat, metuendam esse, cum transferendi simus *in sedem multo meliorem*, et migraturi in corpus caeleste et augustum, a Deo destinatum nobis et praeparatum. Fatetur quidem, cum relinquenda sit haec vilior corporis aedicula, quod ἐκδύεσθαι appellat, nonnihil molestiae sentiri; sed nihilo minus bono animo esse debere Christianos, cum sciant, τοὺς ἐνδημοῦντας ἐν τῷ σώματι, *versantes adhuc in hoc corpore*, ἐκδημεῖν ἀπὸ κυρίου, *remotos esse a consuetudine Domini, ac veluti peregrinari.* Optabile igitur esse putat, e corpore migrare, et versari cum Domino. Quis non videt vehementer leniri mortis acerbitatem, si mori nihil aliud sit, quam amittere vile parumque commodum aedificium, quod nos excludat ab aspectu et iucundissima consuetudine Christi? — Foedam autem putrescentis corporis dissolutionem, quam tantopere perhorrescimus, *Cyrus* apud *Xenophontem*, ut supra vidimus, ita tegit ac veluti dissimulat, ut misceri terrae, quae pulcra quaevis proferat et alat, ut huius almae matris gremio excipi, iucundum esse dicat et optabile. Sed in his verbis, si verum fateri volumus, praeter inanem quamdam speciem nihil inest; sensu enim carent dissoluti corporis partes, nec cum illo reditu in gremium telluris coniuncta esse potest

ulla voluptas. Quanto verior et ad depellendos mortis terrores efficacior eſt *Paulli* hac de re disputatio, 1 Cor. XV, 35 ſqq. Aptior quidem, translatio laetiorque hac in re non poteſt excogitari, quam quae ducitur *a iacto ſemine.* In hac enim inſunt omnia, quae vim aliquam habent ad mitigandam rei triſtitiam, et ad excitandam ſpem. Non *perit* corpus, quod ſeminis inſtar creditur terrae, ſed ſolvitur, *ut iterum efflorescat.* Ioh. XII, 24. *Non plane idem* prodibit, quod nunc geſtamus; ſed ut e ſemine nascitur planta ei diſſimilis, ſic habebimus aliquando corpus ab hoc, quo nunc utimur, *diverſum.* Igitur non vitioſum, caducum et fragile recuperabimus ex iſto cadaveris noſtri veluti ſemine, ſed novum, pulcrum, perfectum, et ſedibus aptum caeleſtibus: σπείρεται σῶμα ψυχικὸν. ἐγείρεται σῶμα πνευματικὸν. Omnino longe ſuaviſſima eſt, et ad commovendum animum accommodatiſſima *ſementis*, eique adiuncta *meſſis* cogitatio; quare ab ea facile duci poſſunt translationes aliae multae, quibus egregie molliuntur, quae in notione mortis aspera ſunt et moleſta, ſpes autem futurae reſuſcitationis excitatur et alitur. Qui vel unius *Klopſtochii* carmina cognoverit, mirabitur copiam et varietatem paene incredibilem, quae locum habet in uſurpanda hac imagine, et laegris miſerorum mentibus dulciſſima ſolatia praebet. Sed haec hactenus;

neque enim licet, omnia persequi. Fatentur, qui libris sacris animo pio utuntur, omnes, se nullius libri humani lectione tantopere commoveri, quam oraculis scriptorum divinorum. Hoc profecto non fieret, si orationis in ea re plane nulla vis esset. Qui attendere volet, animadvertet facili negotio, quantopere translationum copia, veritate et evidentia legentes percellantur, ut saepe breve aliquod scripturae dictum miseros multo magis confirmet et recreet, quam longa aliorum oratio.

LXVI. Veniamus ad *alterum* modum, quo confutari tollique potest urgentis mali cogitatio. Is est, ut supra docuimus, in *exstirpandis erroribus, qui opinata mala veris annumerant.* Horum autem alia *plane commenticia sunt et vana terriculamenta;* alia *naturam habent innoxiam, sed cui perperam adiunxit hominum opinio atrocia multa, efficientia dolorem et metum;* alia denique *etsi non sunt omnis molestiae expertia, tamen longe maiorem afferunt utilitatem, essentque, si recte iudicarent homines, in bonorum numerum referenda* [135]). His omnibus melius certiusque non potest occurri, nisi sic, ut *veri videndi cupiditas in hominibus excitetur, superstitionis ludibria tollantur, animus denique Deo confidere discat*, et, quidquid acciderit, bene sperare de eius sapientia et favore. Etenim quo magis trahuntur

135) Vid. §. XXVII.

homines cognitionis ac scientiae cupiditate, eo facilius liberantur foedis erroribus, et contemnere incipiunt opinionum commenta. Quo alieniores sunt a superstitione, eo magis res infinitas, quae reliquis funestae, periculosae, atroces videntur, vel innocuas esse intelligunt, vel salutares adeo. Quo firmior denique laetiorque fiducia est, quam in Deo ponunt, eo minus commoventur, et animo summisso sunt, cum aliquid fit, quod plurimi abominantur ac perhorrescunt. Iam si docuerimus, veri videndi studium nulla re magis incendi, quam praeceptis religionis Christianae; si effecerimus, eandem religionem inimicissimam esse superstitioni, et hanc pestem delere funditus; si denique ostenderimus laetissimam firmissimamque fiduciam de Deo nasci in animis eorum, qui accommodate ad doctrinam Christi sentiant et agant: neminem, arbitramur, fore, qui neget, adversus opinata mala ab hac religione peti posse remedia optima, et munitum contra vanos terrores ac septum esse, qui ei obtemperet.

LXVII. Homines igitur *ad inquisitionem veri nulla re magis excitari, quam praeceptis religionis Christianae*, facile potest doceri. Fuerunt quidem, qui id negarent, quique contenderent, praeter fidem caecam, quae acquiescat in auctoritate scripturae sacrae vel praecipientis ecclesiae, a Christianis nihil fere postulari. Sed hac opinio-

ne quid quaeso iniquius esse potest, quid vanius? Inprimis Christiani proprium esse debere integerrimum veritatis studium, nonne libri sacri ubique clamant? Primum enim reprehendunt errorem eorum, qui naturam continere putant *res multas immundas ac detestabiles*, a quarum usu ac veluti contagione religioso homini abstinendum sit; quae Deus condiderit, ea et pura esse docent, et utilia recte utentibus, 1 Tim. IV, 4. 1 Cor. X, 26 sic autem non leve tolli investigandae veritatis impedimentum, quis non intelligit? Deinde diligenter commendant *contemplationem naturae*, et per considerationem earum rerum, quae incurrunt in sensus, eniti nos iubent ad contuendam maiestatem Dei, qui haec omnia condiderit ac sapienter administret, Matth. VI, 26-31. Rom. I, 19. sq. Act. XIV, 16. 17. XVII, 24-36. Omnino autem *temeritatem in assentiendo*, quae res parum exploratas arripit, luditurque vana specie, manifeste damnant, eamque Christiano, cui examinanda sint omnia, ac tenenda tantum optima quaeque, plane indignam esse declarant, 1 Thessal. V, 21. Phil. I, 10. Matth. VII, 15-20. 1 Ioh. V, 1. Nec multam operam *in res obscuras, easdemque non necessarias*, conferre nos sinunt; ea nos iubent amplecti, quae vitae prosint, quibus reddamur aptiores ad exercendam virtutem, et ad augenda commoda publica. Nam quod *Paul-*

lus Christianis exploranda esse dicit τὰ διαφέροντα Phil. I, 10: id nihil aliud significat, *quam eos ubique spectare debere utilia, et investigare, quae conducant;* ita enim hanc formulam a scriptoribus aliis usurpari crebro, interpretes ad hunc locum iam satis docuerunt. Ad nugas difficiles et inanem scientiam Christianos *nec caritas illa ac benivolentia* delabi patitur, quam ingenerat Christiana religio, et quae, ubi semel suscepta est, animum ita regit, ut etiam in studiis scientiae cognitionisque ad utilitatem communem omnia referat. Iam si is, qui religionis Christianae praecepta sequitur, tanto studio fertur ad inventionem veri; si quotidie aliquid addiscere avet ac perspicere melius, si nescire, errare, decipi et malum, et turpe ducit; num commovebitur inanibus terriculamentis, quibus interdum misere angitur imperita multitudo; nonne quotidie magis dissipabit tenebras erroris et inscientiae, quibus opinatorum malorum ingens efficitur multitudo; nonne undiquaque aliquid colliget, quod ad rectius iudicandum habeat aliquam vim? Quem ipsa religio impellit, ut in cognoscendis rebus curam et operam ponat; qui ita institutus est, ut in officio esse putet, in dies maiora capere incrementa sapientiae: is magis magisque liberabitur erroribus, et contemnere discet commenta, quibus imperiti vehementer perturbantur.

LXVIII. Accedit, *religionem Christianam inimicissimam esse superstitioni, eamque delere funditus.* Cernitur autem superstitio nimia credulitate, quae, nullo adhibito iudicio, probat et sequitur, quod experientia confirmare videtur, eventorum vero causas naturales et consuetas rationis ope indagare nec vult, nec potest. Haec autem causarum ignoratio, quae necessario oritur e neglecto rationis usu in iudicandis rebus, quae fiunt et accidunt, fons est turpissimorum errorum, et vanissimis formidinibus replet vitam humanam. Qui enim, si quid evenit, quod mirationem facit, et aliquo modo pertinere videtur ad ipsorum salutem, de naturalibus causis parum solliciti, haerent in insolentia rei, et, quod rationis luce carent, phantasiae ludibria sequuntur: hi ubique deprehendunt occultam quamdam efficaciam daemonum; hi in somniis, in casibus quotidianis, in mutationibus quibusque leviss imis signa quaerunt instantis mali; hi rebus multis vel innocuis, vel salutaribus adeo temere affingunt vim nocendi; hi inprimis tum, cum calamitatibus repentinis vel ipsi, vel integrae gentes opprimuntur, punientis Dei, et humano more irascentis non obscura cernunt documenta, ac de satisfactionibus varii generis anxie cogitare incipiunt. Hoc malo tam atroci, quod perpetuis terroribus et inani metu vexat homines, Christiana religio liberat

omnes, qui eius praeceptis diligenter obtemperant. Nam ſuperſtitioni, quae nihil examinat, quid tam contrarium eſſe poteſt, quam *veri videndi cupiditas*, qua, ut paullo ante vidimus, Chriſtiani ducuntur; quae nunquam quiescit, et ad omnes pertinet cognitionis humanae partes; quae ſollertiſſima eſt cauſarum naturalium indagatrix, et expultrix opinionum? Quantopere contemnet et ridebit ſtrepitus phantasmatum, artes et fraudes daemonum, circulatoriam vanitatem praeſtigiatorum magorumque, ſagarum venena et carmina, divinantium denique nugas longe fallaciſſimas, quantopere, inquam, iſta omnia deſpiciet, qui religionis Chriſtianae auxilio recte cogitare didicit de providentia curaque divina, quae in adminiſtratione mundi leges ſequitur certas, easque ſapientiſſimas, conſtitutum autem a ſe ordinem nunquam patitur interrumpi, vel everti! *Paternum vero Dei erga homines amorem per Chriſtum* qui recte perſpicit, qui *virtutis ac pietatis Chriſtianae* veram indolem intelligit, poſitam illam in caritate Dei hominumque, qui ſibi comparavit accuratam *ſui*, *omninoque naturae humanae cognitionem*, cuius neceſſitatem nemo magis ſentire poteſt Chriſtiano: num is, ſi ſuborta fuerit aliqua de religione dubitatio, telis Satanae ſe putabit expoſitum; num perperam laborabit in exſtirpandis naturalibus corporis cupidi-

tatibus, et ſevera caſtigatione placare Deum inſtituet; num, ſi vel ſanguis corruptus fuerit, vel pituita ac bilis redundaverit, et nascentes corporis aegrotationes etiam animum conturbaverint, de tentationibus diaboli cogitabit, et inani se dedet triſtitiae; num deſertiones ſpirituales lamentabitur, ſi caruerit hilaritate et ſancto illo pioque gaudio, quod interdum eſt cum amore Dei coniunctum? Quo magis religionis Chriſtianae placitis ac praeceptis innutritus eſt animus, quo magis omnia didicit exigere ad normam librorum ſacrorum, eorumque lucem ubique ſequitur: eo magis diſſipantur nebulae, quas offundit ſuperſtitio, eo certius tollitur infinita multitudo malorum opinatorum, quae ſunt in aliis cauſae metus aegritudinisque perpetuae.

LXIX. Reſtat unum genus malorum opinatorum, quo continentur omnia, *quae asperitate ac moleſtia minime carent, ſed expetenda ſunt et ſuscipienda propter commodorum, quibuscum coniuncta eſſe ſolent, veritatem et magnitudinem.* Hic occurrit Chriſtiana religio ſic, ut excitet in animis ſuorum *laetiſſimam firmiſſimamque fiduciam de Deo*, et exſpectatione boni futuri aegritudinem omnem mitiget. Eſt autem fiducia, qua Chriſtiani confirmantur, certiſſima perſuaſio, nihil in mundo fieri ſine conſilio ac nutu providentis omnia et gubernantis Dei; hunc vero in rerum

omnium adminiſtratione nihil aliud ſpectare, quam ſalutem hominum, inprimis piorum; tantam denique ac tam benignam eſſe curam illam, ut nonniſi ea decernat, quae cuique maxime conducant, et cum in hac, tum in altera vita certiſſime proſint. Hac fide qui praeditus eſt, is labores, moleſtias, pericula, dolores, qui vitari non poſſunt, non modo libenter ſuscipiet, verum etiam animo feret aequo et magno. Cum enim in adminiſtrandis officii ſui partibus religioſiſſimus ſit ac diligentiſſimus, nunquam temere in mala ſe coniicit, ſed iis tantum premitur, quae ſalva pietate non poterat avertere. Qui autem officii cauſa moleſtias ac pericula ſuscipit, nonne is, cum vacet omni culpa, habeatque conſcientiam rectae voluntatis, libenter conquiescet in conſilio Dei, quo omnia fieri putat ſibique accidere; nonne laeto animo exſpectabit auxilium opemque divinam, quae recte agentes nunquam deſtituit; nonne praevidebit exoptatiſſimum laborum moleſtiaeque finem, cum ſciat, nihil ſibi nocere poſſe; nonne perſuaſio, per benignitatem divinam ſibi omnia feliciter eventura eſſe, ipſum impellet, ut de commodis eiusmodi malorum eo diligentius cogitet, ſive iam in promtu ſint ea commoda, ſive ſequantur tardius, ſive ad animum pertineant, ſive felicitatem augeant externam; nonne intellecta utilitatis magnitudo omnem fere moleſtiae

ſenſum absterget, et maiorem agendi alacritatem iniiciet? Sollicitus eſſe ſolet animus, cum gerendae ſunt res arduae plenaeque periculi, cum adeundum eſt munus grave, coniunctum cum multis et magnis occupationibus, cum ſuscipiendum eſt novum genus vitae, ingrediendum iter longum et ambiguum, atque omnino cum vel admittendum eſt, vel peragendum aliquid, quod, quamquam utiliſſimum eſſe poſſit, tamen eventus habet incertos. Sed iſta ſollicitudine Chriſtianos facile exſolvit fiducia, quae de Deo, eiusque providentia omni tempore ſperat optime; hoc enim tenent, hoc credunt firmiter, hoc, dum vivunt, extorqueri ſibi nulla ratione patiuntur, quomodocunque demum ceciderint, quae moliuntur et agunt, exitum ſibi ſalutarem fore, et cum veriſſimis commodis coniunctum. Rom. VIII, 28. Phil. I, 19. 20.

LXX. Sed quantum valeat Chriſtiana religio in eo conſolationis genere, cui propoſita eſt confutatio, maxime intelligitur tum, cum *veris malis* anguntur homines. Ita autem appellare ſolemus mala, in quibus nihil boni videtur ineſſe, et quorum utilitas non ita demonſtrari poteſt, ut maerentes intelligant, ſe dolendi cauſam habere plane nullam. Monuimus iam ſupra [156]), confutari cogitationem, eiusmodi calamitates aut imminere,

156) Conf. §. XXXI.

aut iam adeſſe, alio modo non poſſe, niſi ſic, ut oſtendatur, *eas non plane expertes utilitatis eſſe*; et, cum ſpectari poſſint a partibus diverſis, *protrahi debere eas potiſſimum illarum facies, quae placeant*, et perterritum affectumque animum recreent. Sed dici vix poteſt, quantum laboris, quantumque difficultatis iſta res interdum habeat, praeſertim tum, cum nulla eſt in animo maerentis adverſus dolorem idonea commentatio, vel malum pertinet ad genus eorum, quae ſpem omnem, huius vitae commoda percipiendi, penitus praecidunt. Qua enim ratione fidem miſero conſolator faciet, vel ea mala commodis non carere, quae damnum afferant nullo modo reparabile, quae vitam vel eripiant, vel efficiant, ut non amplius vitalis eſſe videatur, omnesque vivendi cauſae perditae ſint? Solent etiam hi, qui alieni ſunt a religione Chriſtiana, cum adverſus eiusmodi mala dicunt vel ſcribunt, fere nihil afferre praeter commemorationem *neceſſitatis*, ac praecipere, talia forti animo et imperterrito ferenda eſſe, quod vitari non poſſint. Sic autem non *confutatur* maerentis opinio, ſed *minuitur* tantum aliquo modo [137]). *Immutatio* iſtius cogitationis vera, quae vel in graviſſimis malis aliquam oſtendat utilitatem, dolorisque ceſſationem afferat, locum

137) Conf. §. XXXIII.

habere non nisi apud eos potest, qui *religionis Christianae placitis innutriti*, eiusque beneficio ad percipienda solatia modo, quem supra descripsimus, *praeparati sunt*. His enim nihil accidere potest tam miserum, tamque funestum, ut omni ex parte videatur malum. In calamitatibus maximis et quaerent aliquid, et invenient, quod optabile sit, et perturbationem animi placatione quadam abluat. Hoc quam verum sit, paucis nunc videamus.

LXXI. Primum igitur consolabilis Christianorum dolor, cum veris malis affliguntur, eam ob causam est, *quod de utilitate malorum, e quocunque tandem genere fuerint, nullo modo dubitant*. Atque aliis quidem, quibus de providentia divina, res humanas omnes complexa, ac de incredibili bonitate Dei, quae ad hominum salutem refert, quidquid instituit et agit, non satis constat, nemo facile persuaserit, vel tristissimos casus habere certa quaedam et magna commoda, nisi, qua in re posita sint ista emolumenta, accurate ac perspicue possit ostendi. Secus est in Christianis. Hi enim etsi saepe non intelligunt, nec ulla ratione possunt assequi, quam utilitatem vel sibi, vel aliis allatura sit quaedam calamitas, tamen hoc, eam fore salutarem, certissime sperant. Nam de magnitudine benignitatis divinae tam magnifice sentiunt, ut nullo modo credant, Deum immittere

mala posse, in quibus nulla sit habita ratio utilitatis ad homines inde redundaturae. In quo sequuntur auctoritatem scripturae, hac de re praecipientis graviter ac perspicue. Nam Deum favere hominibus omnibus, ab ea docetur saepissime; id autem dici non posset, si afflictionibus ac miseriis expositum esset genus humanum, nec ullos unquam laborum fructus perciperet. Piis autem πάντα συνεργεῖν εἰς ἀγαθὸν, in horum utilitatem et commoda cedere, quidquid acciderit, expresse *Paulus* affirmat Rom. VIII, 28, idque tam certum, tamque exploratum Christianis esse debere dicit, ut nefas sit, de veritate rei dubitare [138]). Quae cum ita sint, illud ipsum, quod in confutanda mali cogitatione vim maximam habere debet, nullam calamitatem expertem esse commodorum, Christiani non tantum libenter *admittunt*, *sed etiam ipsi ponunt ac sumunt*, nec est, quod quis argumentis id efficiat. Haec autem una res iam satis docet, facilius tolli opinionem mali non posse, quam placitis religionis Christianae.

LXXII. Quoniam igitur animis Christianorum ne incidere quidem solent dubitationes de vi malorum salutari, erunt profecto *in indagandis ac videndis afflictionum commodis multo diligentio-*

138) Conf. quae *Michaelis* in *animadversionibus theodiceae* ad hunc locum p. 83 sqq. hac de re commode monuit.

res multoque curiosiores aliis, atque facilius in ipsa cogitatione conquiescent. Qui dubius haeret et incertus, rerum malo, quo oppressus est, aliquid boni admixtum sit, nec ne: qui eiusmodi utilitatem ne suspicatur quidem: eius mens attonita torpebit, nec ullo modo a contenda calamitate poterit averti. Ista vera tarditas a Christianis longe alienissima est. Ipsa religio, ipsa pietas, qua Deum colunt, eos impellit, ut, cum in malis sunt, diligenter quaerant, quorsum pertineant, quae fieri passus est Deus, et quomodo cum humana salute cohaereant. Itaque curiose lustrabunt omnia, et aerumnas, quibuscum conflictantur, ab omni parte spectabunt, donec aliquid inveniant, in quo certa sint benigni ac sapientis consilii vestigia. Haec autem eo facilius deprehendent, quo maior esse solet eorum multitudo. Interdum igitur intelligent, se malo quodam vel liberatos a gravioribus esse, vel adversus eorum impetus munitos. Interdum multa prospicient ac sperabunt *futura commoda*, ad quae sine susceptis laboribus nullus patebat aditus. Interdum in ipsa luctatione cum dolore ac veluti pugna experiuntur *singularem quamdam opem divinam*, et fruuntur deliciis multis ac variis, quibus etiam perpessiones nostrae respersae sunt; haud paucis denique *bonis*, quibus olim parum affici solebant, nunc tam suaviter pascuntur ac recreantur, ut

minime aegre ferant, felicitatis sensum apud se hoc modo acui et intendi. Haec et multa alia, quae nunc figillatim commemorare nihil attinet, eo facilius animadvertent, quod, uti iam monuimus, in indagandis sapientiae benignitatisque divinae documentis diligentissimi esse solent, et quod curiose, etiam in aliorum hominum vita, talia observant. Suppeditabit igitur cum universa *historia*, tum *usus vitae quotidianae*, tot ac tam perspicua exempla eorum, qui exantlati labores magna tulere praemia, ut Christiani, qui talia diligenter conquirunt et colligunt, etiam in *suis* malis facile aliquid reperiant, quod eorum atrocitatem minuat, et beneficii speciem ipsis conciliet.

LXXIII. Atque hic inprimis considerandum illud est, quod fere primo loco commemorandum erat hac in causa, Christianis calamitatem nullam, quaecunque demum fuerit, expertem utilitatis videri posse propterea, *quod omnia referre soleant ad animum eiusque cultum, et quae hunc superiorem melioremque reddunt, ea ceteris commodis longissime anteponant.* Admonuimus supra, latissime patere locum de utilitate, quam omnia malorum genera praebeant in excolendis animi viribus, et augendis bonis internis, et hanc malorum faciem a consolatoribus diligenter demonstrandam

esse [139]). Sed hoc genere solatii nemo libentius utetur, et recreabitur certius, quam Christiani. Primum enim *perfectionis sensus*, qui est, ut supra vidimus [140]), in Christianis acerrimus, hanc habet vim, ut ea, quae vel cognitionem veri, vel virtutis honestatem augere, vel omnino ad amplificanda animi ornamenta pertinere possint, multo celerius et subtilius animadvertant, quam alii, et incredibili cupiditate arripiant. Iam cum nullum sit malorum genus, quod his, qui discendi studio tenentur, non afferat scientiam utilem, quod non suppeditet virtutis exercendae locum atque materiam, quod non prosit ei, qui in exstirpandis vitiis suis laborat: nonne Christiani, quibus nihil antiquius est, quam ut veram animi praestantiam omni modo augeant, in quavis calamitate aliquid invenient, quod vel erudiat, vel emendet, atque sic doloris mutationem efficiat? — Deinde placabit hoc genus solatii affectas Christianorum mentes inprimis hac de causa, *quod animi bonis nihil anteferre solent*. Etenim cum religionis suae disciplina ita instituti sint atque imbuti, ut ubique caelum spectent, seque nullam aliam ob causam in hoc terrarum orbe vivere putent, quam ut exercendis mentis viribus, et observandis legibus

139) Vid. §. XXXV.
140) Conf. §. L.

divinis, ad meliorem vitam se praeparent: tantum abest, ut afflictiones, calamitates, aerumnas extimescant, ut eas libenter suscipiant, si intellexerint, ad incrementa sapientiae ac virtutis eum laborem sibi profuturum. Quod enim homines vulgo non possunt adduci, ut malis huius vitae boni naturam tribuant, id inde fit, quod rebus, quae sensibus blandiuntur, veram felicitatem contineri putant, et quod sibi quisque eo videtur beatior, quo est corporis et externis bonis plenior. Ab hac opinione alienissimi sunt, qui religionis Christianae placitis obtemperant. Hi enim etsi divitias, gloriam, valetudinem, integritatem sensuum, resque similes minime contemnunt, sed in beneficiis divinis ponunt: tamen ista omnia eatenus tantum aestimatione digna censent, quatenus sunt instrumenta virtutis, et ita adhiberi possunt, ut animus consequatur bona, nunquam peritura. Haec autem interna ornamenta non recusabunt redimere iactura earum rerum, quae sunt extra nos positae, et caducae; atque sic mala tantum non omnia, cum semper habeant vim disciplinae, ac si quis iis recte utatur, et erudiant, et corrigant, speciem induunt beneficii, de quo gratulari sibi lactarique Christiani possint. — Cum denique doloris cessationem, ut supra docuimus [147]),

---

147) Vid. §. XXXIV.

etiam illud afferat, si ostendatur, in malis, quae vexent et angant, *conspicua esse signa quaedam prudentiae, virtutis atque omnino perfectionis nostrae:* nonne haec consolatio inprimis Christianos confirmabit, qui non tantum per omnem vitam in augendis his animi bonis laborant, sed etiam non raro hanc ob causam in malis sunt, quod virtutis et honesti custodes rigidique satellites esse solent? Conscientiae rectae voluntatis et integrae vitae recte putatur vehementer extenuare rerum incommodarum molestiam; quam igitur Christiani in ipsa calamitate placebunt sibi, cum in ea deprehendant ubique vel notas et signa virtutis suae, vel eius exercendae augendaeque locum et opportunitatem! In nemine haec cogitandi ratio magis conspicua fuit, quam in *Paullo*, qui gravissimos casus non solum aequo animo, sed laeto etiam tulit, quod omnia referre solebat ad praestantiam mentis internam, quam in illo perpetuo certamine cum adversa fortuna quotidie videbat incrementa nova capere. Διὸ οὐκ ἐγκακοῦμεν, sic ad *Corinthios* haec de re scribit in epistola altera Cap. IV, 16, *non cedimus, non succumbimus malis, religionis causa perferendis:* ἀλλ' εἰ καὶ ὁ ἔξω ἡμῶν ἄνθρωπος διαφθείρεται, ἀλλ' ὁ ἔσωθεν ἀνακαινοῦται ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ. Manifestum est, τὸν ἔξω ἄνθρωπον a *Paullo* dici *corpus, cum iis omnibus, quae externam eius conditionem efficiunt;* et verbo

διαθλίβεσθαι *incommoda, molestias, afflictiones, pericula* significari, quibus obnoxius erat apostolus, et quae paullo ante fusius commemoraverat v. 7-11. His autem omnibus *frangi se negat, vel magnopere commoveri;* nam ὁ ἔσω ἄνθρωπος ἡμῶν καὶ ἡμέρα. Internum hominem appellari *animum, religionis Christianae vi ad praeclara quaeris incensum, veraeque pietatis studiosum*, cum res ipsa loquitur, tum alii loci demonstrant, inprimis Rom. VII, 22. et Eph. III, 16. *Petrus* τὸν κρυπτὸν τῆς καρδίας ἄνθρωπον dicit in epistola priori Cap. III, 4. Ἀνακαινοῦσθαι autem quid quaeso in tali oratione aliud significare potest, quam *proficere, novis augeri praestantiae internae, sapientiae ac virtutis incrementis?* Ita hoc verbum etiam in epistola ad *Colossenses* Cap. III, 10 adhibet apostolus; τὸν ἀνακαινούμενον τοῦ νοός autem Rom. XII, 2 seu τοῦ πνεύματος Tit. III, 5. *de sensibus moribusque novis ac melioribus* ab eo usurpari, notum est. Quae cum ita sint, ruinam corporis omninoque fortunae suae aequo se animo ferre sit *Paullus, quod ita crescere intelligat quotidie opes internas, et verissima commoda comparari.* Hinc vero magnum et elatum animum qui habuerit, habere autem omnes debent, qui religionem Christianam profitentur; num is perturbabitur iactura rerum, quae ad *externum* hominem, fragilem illum, ac destinatum morti, per

tinent, et quem aliquando penitus exuet? Nonne mala, quae Deus immittit, in beneficiis numerabit, cum animi bona augeant, quae sola bona dicenda sunt? Nonne recte contendimus, ad confutandam penitusque tollendam malorum notionem nihil efficacius esse placitis, quibus suos imbuat Christiana religio?

LXXIV. Sunt autem Christiani, qui his placitis obtemperant, *etiam studiosissimi salutis publicae;* humani nihil a se alienum esse putant. Inde fit, ut et alio solatii genere, quo vehementer frangitur vis malorum, multo facilius multoque certius confirmentur, quam alii. Docuimus enim supra [142]), levationem doloris afferri, si malum, quod urget et angit, spectandum proponatur ab ea parte, qustenus cohaereat cum utilitate communi. Sed monuimus etiam, hanc consolationem inprimis aptam esse his, qui sua commoda posponere didicerint saluti generis humani et reipublicae, eaque ratione ita quemque maxime recreari, uti fuerit aliorum amantissimus. Iam quis nescit, quam late pateat, quantamque vim habeat caritatis ac benivolentiae sensus, quem in suis excitat et alit doctrina Christiana. Eo enim ducti οὐ τὰ ἑαυτῶν ζητοῦσιν, ἀλλὰ τὸ τοῦ ἑτέρου, 1 Cor. X, 24. XIII, 5. Aequabiliter igitur ferent mala

142) Conf. §. XXXVII.

quaeque, ſi viderint, eorum eſſe coniunctionem quandam cum utilitate publica. Salutem autem publicam non ponunt in ſolis rebus iis, quibus vulgo beata fieri putatur hominum conditio; ſed in iudicio de eo, quod publice profit, inprimis rationem habere ſolent *litterarum, morum et religionis*, ut maximam acceſſionem ad publica commoda fieri cenſeant tum, cum ſapientiores melioresque reddantur homines. Quare nulla fere calamitas erit, ſive *domeſtica* fuerit et privata, ſive *multos afflixerit ſimul*, quam non tolerabilius ferent propterea, quod eam vel nunc, vel in poſterum certe, intelligunt, fore ſalutarem. Iis igitur malis, quae *multis ſunt communia*, e quo genere ſunt bella, incendia, terrae motus, peſtes, rerum publicarum converſiones magnae et violentae, atque alia, his ſimilia, multiplicem et diſcendi et recte agendi opportunitatem adiunctam eſſe ſciunt. Nec ignorant, Deum eiusmodi funeſtis rerum omnium perturbationibus ſemper ita uſum eſſe, ut inde naſceretur maior cum ſingularum gentium, tum generis humani felicitas. Hoc autem ipſis magno ſolatio eſt, ut non tantum forti animo ſuſtineant caſus triſtiſſimos, ſed etiam in ſumma reliquorum hominum deſperatione proſpiciant laetiſſimos exitus. Ita certe *Dominus*, interitum reipublicae Iudaicae vaticinatus, et univerſi orbis Romani paene ruinam Luc. XXI, 20-27

suos bono animo esse iubet, *quod secutura sint meliora tempora, et multo facilior futura sit doctrinae Christianae propagatio*, v. 31. Similem spem in tristissimis rerum omnium conversionibus Christiani semper concipiunt, quoniam vident, sine vehementiori motu, ac veluti conquassatione magnos progressus nunquam fieri. Sed nec *privata* male penitus sunt ab aliorum utilitate seiuncta. Cum igitur intelligant Christiani, posse se *exemplo proposito* constantiae, fortitudinis, patientiae, animique magni, confisi Deō, et contemnentis omnem fortunae saevitiam, aliis prodesse; cum videant, suos casus saepe pertinere *ad monendos alios*, ut vel prudentius agere discant, vel cogitare de rebus multis, multaque rectius constituere et invenire; cum denique perspiciant, praeberi saltem suis incommodis hominibus aliis *virtutis exercendae materiam*: nullam sibi dimicationem cum adversa fortuna defugiendam esse putant, modo per eam aliqua ratione augeatur aliorum utilitas. Quanta autem sit in illa salutis publicae cogitatione rerum incommodarum consolatio, denuo licebit exemplo *Pauli* illustrare. Is quidem cum Romae in vinculis esset, *Philippensibus* scribit cap. I, 12-18, se nulla re alia magis confirmari, quam quod per ea, quae sibi accidant, *Christiana religio innotescere incipiat pluribus*, et quod Christianos multos exemplo suo

excitatos eſſe videat ad liberius proponendam Evangelii doctrinam. Nec ſibi moleſtum eſſe dicit, nonnullos id facere per invidiam, et eo conſilio, ut hoſtes ira vehementiori in apoſtolum incendantur. Τί γαὲ; addit v. 18 πλὴν παντὶ τρόπῳ, εἴτε προφάσει, εἴτε ἀληθείᾳ, Χριστὸς καταγγέλλεται καὶ ἐν τούτῳ χαίρω, ἀλλὰ καὶ χαρήσομαι. Nulla calamitas tam funeſta, tamque atrox eſſe poterit, quin is, qui hunc animum habuerit, tantoque ſtudio laboraverit in augendis commodis publicis, aliquid in ea deprehendat, quod ſit optabile, et aegritudinem mitiget.

LXXV. Accedit denique *ſpes praemiorum longe maximorum*, quae Chriſtiana religio pollicetur omnibus, qui in tolerandis huius vitae moleſtiis animum demonſtraverint fortem, pium, conſtantem, nec ullo modo a dignitate virtutis diſceſſerint. Confutatio opinionis, quae angit miſeros, locum habere non poteſt, ſi ſperandam eſſe negant vitam poſt mortem, omnemque felicitatem ventre metiuntur, et huius vitae commodis. Etenim qua ratione perſuadebimus ei, qui ſummum bonum ſic inſtituit, ut cohibeatur huius vitae anguſtiis, nec ea mala metuenda eſſe, quae vel cum interitu coniuncta ſunt, vel omnem voluptatis fructum auferunt? Hanc ignaviam tollit Chriſtiana religio. Negat enim, veram et homine dignam felicitatem contingere nobis in hoc

terrarum orbe posse; ad aliam et meliorem vitam suos erigit, in eaque his, qui e certamine cum malis omnibus victores discesserint, amplissima ostendit praemia. Dici vix potest, quantum valeat ad extenuandas molestias haec mentis ad futuram vitam, et maiora bona conversio. Nihil humile, nihil abiectum cogitant, qui ita sentiunt, et facile obliviscuntur rerum, quarum iacturam alii gravissime dolent; nam probis meliora servari sciunt, eaque sempiterna. Hunc elatum, et casus humanos despicientem animum bene *Paulus* expressit Phil. III, 14. Τὰ μὲν ἐπίσω ἐπιλανθανόμενος, inquit, τοῖς δὲ ἔμπροσθεν ἐπεκτεινόμενος, κατὰ σκοπὸν διώκω ἐπὶ τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως τοῦ θεοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Huic intenti praemio nihil extimescunt Christiani, et gravissimas afflictiones leves esse putant, si comparentur cum infinita magnitudine et copia bonorum, quibus olim pios remuneraturus sit Deus. Fingamus igitur calamitatem, cui nihil admixtum sit boni, cuius nulla pars demonstrari possit, quae ad utilitatem huius vitae pertineat: num desperabunt, qui praeceptis imbuti sunt religionis Christianae, et excitari se passi sunt ad spem, quam alit atque confirmat? Nonne illo *Paulli* utentur: τὸ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως ἡμῶν καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρος δόξης κατεργάζεται ἡμῖν, μὴ σκοπούντων ἡμῶν τὰ βλεπόμενα, ἀλλὰ τὰ μὴ βλεπόμενα

2 Cor. IV, 17? Nonne manifeſtum eſt, Chriſtianis, quicquid acciderit, ſemper aliquid in promtu eſſe, quod ad diſſipandam triſtitiam aptum ſit, quod opinionem, male cum ipſis agi, refellat, et calamitatem quamque oſtendat ab aliqua parte, qua videatur prodeſſe, et habere naturam beneficii?

LXXVI. Vidimus quoque ſupra, non parum mitigari atrocitatem malorum, ſi quid contineant, *quod riſum moveat, et contemtum excitet* [143]). De quo remedio etſi expreſſis verbis nihil praecipiunt libri ſacri, tamen facile poteſt doceri, non alienum a dignitate Chriſtianorum eſſe hoc genus ſolatii, immo hos fere ſolos eo recte et commodo uti. Atque ridere quidem, ſi nec indecens riſus fuerit, nec ineptus, conceſſum Chriſtianis eſſe, nemo dubitaverit. Eſt enim in ea re ſignum rationis, qua reliquis animantibus antecedimus, et ferimur ipſa natura ad edendum riſum, ſi quid animadvertimus, quod vel acute ac venuſte, vel ſtulte et inſipienter dictum eſt et factum. Iam cum Chriſtianis hoc propoſitum ſit et eſſe debeat, uti rem quamque veritati convenienter cogitent: etiam ea, quae commode dicuntur et hilare, vel in quibus eſt deformis quaedam ſignificatio ſtultitiae, eiusque innoxiae, non aliter accipient, quam

143) Egimus hac de re §. XXXII.

uti ſunt, et ſequentur impetum naturae, quo fit, ut talia ſeveritatem triſtitiamque relaxent. Habebunt autem ea, quae ridicula ſunt, ad exhilarandos Chriſtianos vim eo maiorem, quo tranquilliores in ipſis ſunt appetitus vehementiores, et quo magis carent perturbationibus animi. Qui enim placida quietaque conſtantia utuntur, etiam acriori praediti ſunt urbanitatis ſenſu, et inprimis ea, quae venuſta ſunt et iucunda, facilius arripiunt. Nemo autem hoc genere cautius utetur, quam Chriſtiani; partim quod indecentes riſus et cachinnationes plane vitant, partim quod perfectionis ſenſus, qui in ipſis eſt, ut ſupra docuimus, longe maximus, omnesque regit vitae partes, non poteſt non impedire, quo minus vel ex turpi re voluptatem capiant, vel iocus dignitate careat, et a gravitate abhorreat [144]). Quae cum ita ſint, effeciſſe iam videmur nobis, quod ſupra ſumus polliciti, *nullum eſſe genus ſolatii veri, quo vel philoſophia, vel religiones ceterae confirmare maerentes poſſint, quod non derivari queat a fonte religionis Chriſtianae, et ab hoc manet multo uberius.* Nihil enim praetermiſimus, quod ad

144) Habebat hoc *Lutherus*, ut caſus acerbiſſimos interdum iocando mitigaret. Exemplo eſſe poſſunt, quae de peſtilentia, quae anno 1535 Vitebergam invaſerat, ad ipſum Electorem ſcripſit: conf. *Keilii* librum: *Luthers merkwürdige Lebensumſtände*, part. III. §. 568. pag. 71.

diſſipandam triſtitiam commemorari ſolet, locosque ſupra deſcriptos, quibus continetur univerſa conſolandi ratio, breviter enumeravimus. Quos cum doctrina Chriſtiana complectatur omnes, et quidem ſic, ut, ſi eius decreta adhibeantur, ab iis peti poſſint et plura, et maiora ſolatia: quis demum negaverit, hanc religionem conſolatione maxima permulcere aegras hominum mentes et afflictis optime conſulere?

LXXVII. Sed veniamus ad *ultimam* disputationis noſtrae partem, ad quam iam dudum feſtinat oratio[145]). Nulla igitur re alia magis planum fit, quod hic ſuscepimus demonſtrare, religionem Chriſtianam eſſe optimum adverſorum ſolatium, *quam conſolationibus, huic religioni propriis, quae tam excellentes ſunt ac tam divinae, ut nihil cum ipſis comparari, nihil excogitari poſſit, quod maiorem afferat levationem.* Eſt autem horum remediorum multitudo longe maxima, et quoniam omnia ſigillatim perſequi in hac ſcriptionis brevitate non licet, ſatis habebimus, *ea cogere in ſua genera*, ut intelligatur, quam varia ſint, et qua in re poſita. Primum igitur *placita quaedam, quibus Chriſtiana religio a reliquis differt, ſunt pleniſſima ſolatii*, et ad confirmandos homines miſeros vim habent plane

145) Vid. §. XLV.

divinam. Deinde *instituta disciplinae Christianae non pauca continent, quae nos aptiores reddant ad sortiter ferenda huius vitae mala*, et fractam mentem erigant. *In vita denique rebusque Domini tot insunt, ac tam largi solatiorum fontes*, ut, qui ex iis haurire didicerit, semper habeat, quo fessum animum recreet. Placet, de hoc genere triplici deinceps breviter disserere.

LXXVIII. Sunt igitur *placita quaedam, religioni Christianae propria, a quibus uberrima manent solatia*, et quidem talia, quae aliunde derivari non possint. Atque hic primo loco commemoranda est doctrina *de adipiscenda peccatorum venia omninoque salute per fidem in Christum, sine ullo nostro merito*. Monuimus iam supra [146]), et res ipsa loquitur, haud exiguam maeroris levationem in eo esse, *si detrahatur culpa*. Sed id fieri raro potest. Etenim pauciſſimi, quos oppressit magna quaedam calamitas, culpae sunt expertes; plurimi cruciantur magnis angoribus conscientiae, quod intelligunt, haud immerentibus accidere, quae ferenda sint; et quod verentur, ne Deus, iustissimus malorum vindex, immittat graviora. Pauca sunt, eaque admodum incerta, quae ad consolandos miseros, conscientiae stimulis vexatos, suppeditat philosophia. Pa-

146) Relegenda sunt, quae §. XXI continet.

rum movetur ſubtilibus philoſophantium concluſiunculis, qui ſcelere malisque cogitationibus agitatus, poenam ſemper ante oculos verſari putat; maius aliquid atque firmius deſiderat, qui ita angitur ac terretur; *promiſſione ipſius Dei*, pollicentis peccatorum veniam, et promiſſione quidem tali, *quae certa ſit et evidens*, et dubitationem omnem excludat, opus eſt aegrae menti, ſi plane debeat conquiescere. Talem vero promiſſionem Evangelio contineri, quis nescit? In eo enim religionis Chriſtianae doctrina maxime differt a religionibus ceteris, quod ſic inſtitutum tradit a Deo eſſe, ut et ſalus univerſa, et peccatorum remiſſio non ſit ſuspenſa ex ullo noſtro merito, vel ex obedientia, legi divinae praeſtita, ſed contingat κατὰ χάριν, *beneficio ac dono*, et quidem *propter Chriſtum*, qui hanc ob cauſam vixerit in his terris et ſupplicium paſſus ſit, ut ſpem ſalutis et compararet, et ſtabiliret in omnibus, qui probaturi eſſent hoc benignitatis divinae conſilium, tantumque beneficium per fidem accepturi, Rom. III, 23-26. IV, 15-25. V, 15-21 cet. Haec autem ratio, haec ſalutis conſequendae via ita comparata eſt, ut ad conſolandas aegras hominum mentes nihil efficacius eſſe poſſit, nihil aptius. Nam ſic primum *amoventur omnes de benignitate divina dubitationes*, quae malorum ſibi conſcios maxime vexare ſolent; ipſum enim Dei filium eam ob cau-

ſam vident eſſe mortuum, ut illuſtraret magnitudinem amoris divini, complexi homines omnes, et ad dandam delictorum veniam paratiſſimi, Ioh. III, 16. Rom. V, 8-11. VIII, 32. Deinde non parva vis ad reddendam anxiis peccatorum animis tranquillitatem ineſt *in conditione, promiſſioni divinae adiuncta.* Si obedientia perfecta, legibus divinis praeſtita, conditio veniae atque ſalutis eſſet, cui quaeſo liceret, talem ſpem conſpicere? Si poſtularetur, ut, quantum quisque per vires naturales poſſit efficere, tantum praeſtet, quid quaeſo certi eſſet in ſpe veniae atque ſalutis? Ecquis vel de uno die certo ſcire poteſt, ſe nihil commiſiſſe, quod vitandum fuiſſet, nihil omiſiſſe, quod facere et debuiſſet, et potuiſſet? Si denique cuiusvis arbitrio relictum eſſet, ſatisfacere Deo, et amoliendae culpae modum invenire, quas ineptias, quas caſtigationes, quae genera tormentorum excogitaret ingenium humanum! Iam cum *credenti* promiſſa ſit ſalus et peccatorum remiſſio, hoc eſt ei, qui in conſilio Dei, propter Chriſtum beantis homines, placide conquieverit; omnis dubitatio, omnis anxietas, omnis ſatisfactio propria excluſa eſt, animoque reſtituta vera tranquillitas. Nam velle ſe ſalvum fieri propter Chriſtum, placere ſibi probarique modum et rationem conſequendae ſalutis, a Deo patefactam, id vero certiſſime ſcire quisque poteſt. Cum igitur nihil

a nobis postuletur, praeter hunc consensum, praeter hanc oblati beneficii gratam acceptionem: quis non intelligit, quam exoptata, quam plena solatii menti sollicitae, suaeque indigentiae sibi conscíae, sit haec religionis Christianae doctrina? — Erigit autem et confirmat aegros peccatorum animos etiam propterea, *quod simul excitat sensum amoris erga Deum*, tribuentem sine ullo nostro merito et labore beneficium tantum ac tam excellens, atque sic oritur *pax illa Dei*, quam *Paullus* tantopere celebrat Rom. V, 1, et cuius sensu etiam gravissimorum malorum molestia vehementer minuitur.

LXXIX. Non minus efficax ad consolandum illud est, *quod divina vi adiuvari nos docet Christiana religio in perferendis malis huius vitae omnibus.* Ac primo quidem *in corrigendis animi vitiis* contingere nobis divinum quoddam auxilium, scriptura tradit perspicue; et graviter inculcat. Ope autem divina nec eos destitui, *qui sint obnoxii periculis, afflictionibus atque omnino malis, quibus affici frangique corpus solet*, apostoli saepe docent, idque se expertos dicere affirmant. *Paullus* quidem amplissimis verbis celebrat vim divinam, qua ita sustentari se et confirmari ait, ut nullum pertimescat malorum impetum, sed in perpetuo certamine cum calamitatibus maximis victor discedat. Πάντα ἰσχύω, inquit

Phil. IV, 13. ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με θεῷ. Et *Corinthiis* ſcribit 2 Cor. XII, 10, ſe *delectari* adeo contumeliis, perſecutionibus, miſeriis, Chriſti cauſa perferendis; ὅταν γὰρ, addit, ἀσθενῶ, τότε δυνατός εἰμι. Haec ſpes auxilii divini, mirifice confirmantis afflictorum imbecillitatem, quis non videt, quot conſolationes Chriſtianis afferat in omni malorum genere? Demonſtravimus ſupra, vehementer minui dolorem, ſi intelligatur, id, a quo proficiſcatur, *facile tolerari poſſe* [147]). Hanc vero fiduciam quid quaeſo magis et excitare poteſt et alere, quam firma perſuaſio, *Deum ipſum* nobis adeſſe, ſuaque vi nos adiuvare? Num igitur animo deficiet, num inani ſe triſtitiae dedet, qui ſentit, quot et quantae difficultates coniunctae ſint cum emendatione morum ac vitae? Nonne diligenter perficiet, quae inchoavit, cum ſciat, ſibi nunquam defore ſpiritus divini vim adiutricem, quae ſenſim ſenſimque tollat virtutis impedimenta, veramque ſanctitatem in animo producat? Num fortunae cedet, vel ſuccumbet, num deſperabit unquam, cum ſentiat, ſe non ſuis tantum viribus reſiſtere malis poſſe, ſed maioribus inſtrui ab ipſo Deo? Notum eſt, nulla re magis excitari mentes hominum, et ad audendas res longe maximas incendi, quam opinione, impelli ſe inſtinctu

147) Vid. §. XX.

quodam caelesti, et instigari efflatu divino. A quo furore fanatico etsi alienissimi sunt Christiani, hoc tamen sciunt, frui se amica quadam et familiari consuetudine cum Deo, Deum suis benevole adesse, et pium quemque usurpare illud ipsius *Domini* posse: *οὐκ ἀφῆκέ με μόνον ὁ πατὴρ, ὅτι ἐγὼ τὰ ἀρεστὰ αὐτῷ ποιῶ πάντοτε.* Ioh. VIII, 29. Quam vero contemnet, quam despiciet casus omnes, qui hunc animum habuerit, hancque fiduciam! Is cum *Paullo* negabit audacter, in universa rerum natura vim ullam esse, quae metuenda sit, quae possit pios amore Dei privare, Rom. VIII, 37-39.

LXXX. Nec praetermittenda est religionis Christianae doctrina *de restituendis hominum mortuorum corporibus, et ad novam, eamque meliorem vitam excitandis;* nam et haec plurimum affert solatii partim iis, qui *fragilitatem communis naturae* cum dolore sentiunt, et perpetuis affliguntur morborum tentationibus; partim his, qui nimis commoventur *terrore mortis ac perhorrescunt corporis dissolutionem;* partim denique *lugentibus, qui molestе ferunt obitum suorum.* Et illos quidem, quos corporis et virium imbecillitas deprimit, quique vexantur morbis longinquis, duris, periculosis, non parum recreabit spes, fore, ut corpus, quod nunc gestant, *φθαρτὸν, ἄτιμον, ἀσθενὲς, ψυχικὸν*, olim sit *ἄφθαρτον, δεδοξασμένον, δυνατὸν, πνευματικὸν*, 1 Cor. XV, 42-44.

ſe olim indutos immortali corpore, Chriſto fore ſimiles, Phil. III, 21. Eadem ſpe mitigari mortis ipſius cogitationem, et ſupra monuimus[148]), et res ipſa docet. Neque enim nimis perturbabitur diſſolutione naturae, qui ſciverit, moriendi neceſſitate ne corporis quidem interitum afferri, ſed ſementis inſtar mandari terrae haec membra fragilia, ut aliquando laetius efflorescant. Qui autem ſuos ſibi vident eripi, et ex obitu hominum, qui ipſis fuere cari, luctum percipiunt, eos non magnopere moveri ceteris ſolatiis, ſatis conſtat; ſed *hoc* dolorem minuit, hoc fractos, mutos, abiectos erigit, quod religio pollicetur eorum, quos amiſerunt, reſtitutionem, et quod intelligunt, haud ita diu ſe ab iis fore ſeiunctos. Id ipſum, quod ſuos novo corpore et immortali indutum iri ſperant, hanc habet vim, ut luctui poſſint inſeri cogitationes aliae multae, mensque lugentium, a ſepulcri tenebris abſtracta, convertatur ſenſim ad tempus illud laetiſſimum, quo omnes, quos hic dilexerunt et coluerunt, iterum convenient ac videbunt. Hanc igitur religionis Chriſtianae doctrinam qui tenet, eum non conficiet luctus, ſed tum quoque ſolatiis abundabit, cum *οἱ λοιποὶ, μὴ ἔχοντες ἐλπίδα* deſperare ſolent.

LXXXI. Sed praeter doctrinas, Evangelio proprias, in quibus ineſſe vidimus uberrimos ſola-

148) Conf. §. LXIV.

tiorum fontes, *instituta quoque disciplinae Christianae non pauca continent, quae tristitiam dissipent*, et miseros confirment. Huc pertinet primo quidem *precandi officium*, tantopere commendatum in libris sacris, ut iubeantur Christiani, precari perpetuo, Luc. XXI, 36. Eph. VI, 18. 1 Thess. VI, 17. 18. Phil. IV, 6. Habet autem exercitatio precandi, si instituta bene fuerit et ad usum vitae Christianae, praeter cetera commoda, quae nunc nihil attinet enumerare, vim plane mirificam ad exhilarandos et tranquillandos afflictorum animos. Constat enim, iam in eo esse aliquam maeroris levationem, si *libere effundere*, quae nos vexant, et in sinu hominis amici deflere possumus. Quantum igitur ad mitigandam molestiam valebit necessitatum nostrarum, atque omnino malorum, quibus oppressi sumus, commemoratio ad Deum delata, apud quem licet omnia profiteri libere, ea quoque, quae hominibus aperire vel pudor prohibet, nel necessitas. Sed solatiis recreare miseros precatio inprimis solet propterea, quod iis potissimum *cogitationibus* constat, et *sensus* excitat eos, quibus noti mali, quae vexat, facillime *obscuratur*, *minuitur* et *consutatur*. Nam conversio mentis ad Deum, quae fit in precibus, eam sensim *abducit* a contuendis malis, et impedit, quo minus in iis maneat defixa. Deinde quid quaeso magis *minuet*

magnitudinem mali, quam cogitatio maieſtatis divinae, ad quam nihil eſt, quidquid magnum et grave videtur hominibus? Quid magis reprimet quaerendi libidinem, quam quod cuilibet venit in mentem, qui ſanctitatis et iuſtitiae divinae memor eſt, ſe graviora meritum eſſe, nec ullam ſibi fieri iniuriam? Quid denique magis detrahet urgentis mali atrocitati, quam animi grati ſenſus, qui in precibus, ad Deum fuſis, excitari ſolet facile, quo etiam ferimur ad conſideranda beatae vitae praeſidia et ad reputanda innumera Dei beneficia, quibus adhuc fruimur? Ad *confutandam* vero opinionem mali preces plurimum conferunt. Precari enim e formula ac disciplina religionis Chriſtianae quid eſt aliud, quam ſerio cogitare de Deo optimo maximo, qui propter Chriſtum amore paterno complectitur homines, et ipſis benigne proſpicit, in omnibus autem, quae agit et inſtituit, nihil aliud ſpectat, quam noſtram ſalutem? Haec qui ſecum meditatur, nonne in promtu habet omnia, quae opinionem, ſe veris malis affligi, tollunt et exſtirpant? Nonne cogitatio patris benigniſſimi, ad benefaciendum paratiſſimi, ſed caſtigantis ſuos et ad vitam meliorem educantis, animum impellet, ut tam ſalutari imperio manſuete obediat, ut ad fiduciam ſe erigat, ut ſpem concipiat laetiſſimam, ut vires omnes colligat, a dignitate vero hominis, ipſi Deo cari, et ad res

magnas deſtinati, nullo modo discedat? Multi ſciunt experti, ſe, cum eſſent in aegritudine, nulla re alia tantopere reſici potuiſſe, quam delatis per preces rebus ſuis ad Deum. Huius rei cauſa in eo eſt, quod precanti obverſantur tantum non omnia, quae ullo modo ad conſolandum apta ſunt. Quis igitur mirabitur, diſſipari hac ratione triſtitiam, et perturbationem animi placatione ablui? Augetur adhuc iſta precationis efficacia, ſi *carminibus aptis* uſus fuerit maerens, et *cantum adiuverit ſociata nervorum concordia.* Afficimur enim mirifice, ſi ad ea, quae ſuppeditat religio, quaeque ſunt per ſe ad commovendum ſatis idonea, acceſſerit ſuavitas carminis et modorum.

LXXXII. Inſtitutis, quibus Chriſtiana religio miſeris conſulit, etiam *cultus Dei publicus* adnumerandus eſt. Vehementer hortantur apoſtoli ad aſſiduitatem et pietatem in obeundis ſacris publicis Eph. V, 15-21. Col. III, 16. Hebr. X, 25 et recte quidem. Quantum enim cum ad augendam virtutem, tum ad confirmandam rerum difficilium patientiam valeant conventus religioſi, exemplum docuit veterum Chriſtianorum, qui calamitates maximas ac perpetuas, quibus erant obnoxii, tam fortiter non tuliſſent, ſi communi illa piaque cohortatione in eccleſia caruiſſent. Sunt autem omnia, quae in conventibus Chriſtianorum publicis peraguntur, ita comparata, ut miſerorum

triſtitiam lenire varie ac minuere poſſint. Prodeſt interdum maerentibus, *mutare locum*, prodire in publicum, frui adſpectu hominum, intereſſe rebus, quae excitent attentionem, et animum abducant a cogitanda moleſtia [149]); ſic autem allici, qui ſacra publica frequentent, quis neſcit? Accedunt cultus divini *partes ipſae*, in quibus vel utilis eſt *inſtitutio*, quae afflictorum aegritudinem levat, quod eos avellit ab acerbis cogitationibus, et ad conſiderandas res alias convertit; vel *cohortatio ad virtutem* et officiorum commemoratio, quae ad praeclara quaeque incendit, et miſeros de conſervanda hominis Chriſtiani dignitate admonet, ut fortunae nec cedant, nec ſuccumbant; vel denique *conſolatio* eorum, qui ſunt oppreſſi malis, e libris ſacris depromta, et haud raro neceſſitatibus eorum, qui talibus conventibus interſunt, longe accommodatiſſima. Omnino, quae de mirifica vi precum paullo ante monuimus, quae diximus de cantionum ſacrarum ſuavitate, vel triſtiſſimas mentes exhilarante, ea inprimis locum habent in conventibus publicis, ut ſciunt omnes, qui iſtas exercitationes animo pio ſuſceperunt [150]).

---

149) Conf. §. XIV.

150) Iam gentiles ſuis ſacris vim ineſſe putabant exhilarandi animum, omnemque triſtitiam ſedandi; conf. *Plutarchus* in libello: *non poſſe ſuaviter vivi ſecundum Epicurum*, p. 531. ed. *Reiske*. Multo rectius hanc vim

Aperuit igitur Chriſtiana religio hoc quoque modo miſeris fontem, a quo dulciſſima peti poſſunt ſolatia, et ad quem aditus patet omnibus, iis etiam, qui aliis remediis carent.

LXXXIII. Sed in partibus cultus publici, quae conſolari et abſtergere dolorem poſſunt, non ultimum locum occupat *ſacra coena*. Huius quidem uſus dici non poteſt quam ſalutaris ſit miſeris, qui in magnam aliquam aegritudinem inciderunt. Non admitti ſolatia, niſi adſit *mollitudo* quaedam animi atque teneritas, quae facile flecti poſſit et commoveri, iam ſupra monuimus [151]). Relinquit enim acerbior caſus quisque quosdam veluti tumores, qui ita indurescunt, ut vim medicamenis non recipiant. Praeparat igitur ſanationem, ac vehementer lenit dolores, quidquid efficere poteſt, ut mollescat animus, quidquid ei detrahit asperitatem, cum ſenſu magnae moleſtiae coniunctam. Qua in re haud ſcio, an recte dixerim, eucharistiae uſum omnium maxime prodeſſe. Primum enim *avocat* ſe paulisper a cogitanda moleſtia, et mentem ad res alias dirigit, qui uti vult hoc epulo ſacro. Hoc fieri ſolet eo ſtudioſius, quo magis inſtituti ratio et ſanctitas poſtulat, ut fruentes iſta coena mente tota complectamur ea,

---

tribui ſacris, a religione Chriſtiana inſtitutis, quis non videt?

151) Conf. §. XLVI.

quorum nos memores esse voluit Dominus ipse. Id vero quid quaeso aliud est, quam animum occupatum habere in contemplanda morte ignominiosa et cruenta, quam amore generis humani ductus suscepit Dominus, et quae nobis multis modis longe salutberrima est. Sed ita cogitatio rei gravissimae, *coniuncta cum caerimonia publica*, nonne *motus excitabit pios et aegritudini contrarios?* Nonne sensum calamitatis propriae minuet diligens consideratio tormentorum, quae Christus pro nobis tulit? Nonne affectus amoris et grati animi in Christum, nonne spes salutis, per eum partae, nonne caritas humani generis, apud hos, qui sacra coena recte utuntur, vehementer aucta, nonne mentis ad caelum, et ad vitae melioris beatissimam conditionem erectae incredibilis alacritas, nonne haec omnia mitigabunt asperitatem acerbitatemque, a molestiarum sensu profectam, animumque reddent mitem, mollem, mansuetum, et in admittendis quibusque solatiorum generibus facilem? Quid multa; sciunt, qui ad coenam sacram accedere solent, uti decet, hoc est, mente casta et pia, et bene memores Christi eiusque beneficiorum, quantum valeat ritus ille ad confirmandos et recreandos homines, tristissimos quoque; ac potest omnino hoc totum multo magis sensu percipi, quam exprimi verbis, et oratione explicari.

LXXXIV. Ceterum haec mirifica vis euchariſtiae ad commovendos homines, pendet, ut omnes vident, inprimis ab accurata conſideratione eorum, quae Chriſtus moriturus pro nobis fecit ac paſſus eſt. Etenim quo magis proponit ſibi fruentis animus memoriam et imaginem Chriſti, quo acrius eam concipit, et quo diligentius effingit: eo magis excitantur motus reverentiae, admirationis, amoris et ſpei, eo magis exardescit incredibilis quaedam magnitudo benivolentiae erga homines reliquos, eo magis ſenſu ſanctiſſimi gaudii omnis triſtitia mitigatur. Atque hoc in iis, qui diligenter recolunt memoriam Domini, et in eius *vitam* intueri ſolent acri animo et intento, fieri tum quoque ſolet, cum ſacra coena non fruuntur. *In vita enim rebusque Domini tot inſunt ac tam largi ſolatiorum fontes, ut, ſi ex iis haurire didicerimus, habeamus ſemper, quo ſeſſam animum recreemus.* Qua de re, ut ſupra propoſitum eſt, nonnulla dicemus. Primum igitur *ipſe ortus Domini* eſt pleniſſimus ſolatii, ab eoque peti poſſunt egregia malorum remedia. Conſtat enim, in iſto ortu eſſe *incarnationem filii Dei*, qui ſecum coniunxerit humanam naturam, et paraverit ſibi domicilium, in quo praeſens adeſſet ſingulari modo, et quo tanquam inſtrumento uſus, nos quaſi manu ad immortalitatem felicitatemque perduceret, Ioh. I, 14. 1 Tim. III, 16. Hebr. II, 14.

Haec autem tanta res, quae longissime superat exspectationem humanam, quam digna Deo est, quam apta ad leniendam omnem aegritudinem! Atque ea quidem *manifestior facta est et amabilior cum omnis perfectio divina;* est enim Christus adspectabilis quaedam Dei inter homines imago, in qua expressae sunt accommodate ad intelligentiam nostram infinitae Dei virtutes Col. I, 15. Ioh. XIV, 9; tum *illustratur ac paene sensibus ipsis admovetur incredibilis magnitudo benignitatis et amoris divini erga genus humanum,* Rom. VIII, 32. Luc. II, 14. Iam cum ab hoc amore repetenda sint vera solatia paene omnia, quid exoptatius humano generi, et inprimis his, qui malis vexantur, contingere potuisset hoc illustri et longe maximo bonitatis divinae documento? Deinde *dignitati ac praestantiae humanae naturae per incarnationem filii Dei tanta lux tantusque splendor allatus est*, ut huius rei cogitatione facile possint erigi, in quibus animus fuerit abiectior. Habet quidem hoc aegritudo, ut efficiat infractionem quamdam animi ac demissionem, ut miseros taedio ac displicentia sui repleat, ut contemtum excitet humanae naturae, quae nobis, cum in aegritudine sumus, neglecta videtur, et ad omne genus miseriae depressa. Sed quam ipse se noscet, quam ad caeli quasi cognationis domicilliique futuri conspectum se eriget, quam

aliquid ſentiet ſe habere divinum, qui cogitaverit, naturam humanam non indignam eſſe habitam, quam induere ipſe filius Dei, eamque admiſſam eſſe ad coniunctionem intimam cum ipſa divinitate! Minime vilis eſſe poteſt, quidquid ipſi nunc accidat, ea natura, quae tam cara Deo eſt, quam angelis praetulit Dei filius, *οὐ γὰρ δήπου ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, ἀλλὰ σπέρματος Ἀβραάμ*, Hebr. II, 15. 16. Quantum autem illud eſt, et quam honorificum nobis, quod propter naturae communionem *fratres* et appellat nos, et habet Dei filius, Hebr. II, 11 ne iis quidem excluſis, qui infimi putantur ac miſerrimi, Matth. XXV, 40. 45, et quod ita ſumus cum eo coniuncti, ut eius dicamur *membra*, Eph. V, 30. 1 Cor. XII, 27. Nonne tanto Dei munere dignum aliquid et ſentire et facere incipiet is quoque, qui in ſumma calamitate fuerit, et omnia tentabit, ut dignitatem naturae ſuae conſervet? Nonne paupertatem, obſcuritatem, contumeliam et cetera conditionis humanae mala moderate feret, cum videat, ipſum Dei filium omni illa vanitatis humanae pompa caruiſſe, ac praetuliſſe eum vitae ſtatum, in quo nihil eſſet nec ab genere, nec ab opibus, nec ab honoribus, quod dignitatem ipſi conciliaret? Nihil cogitari poteſt, nihil fingi, quod hos, qui depreſſos et ſtratos ſe ſentiunt aliqua calamitate, magis excitare, confirmare et augere viribus pos-

sit, quam memoria in lucem editi filii Dei. Quis est, qui hanc rem gravissimam diligenter considerans, non ipse cohortetur se sibique dicat: *aude — contemnere opes, et te quoque dignum finge Deo?*

LXXXV. *Vita autem Domini in his terris ipsa* non minorem utilitatem affert his, qui solatiis indigent, et aliquam sentiunt molestiam. Nullum enim fere genus miseriarum humanarumque vexationum est, quod non expertus sit Christus. In quo si vel maxime putaremus praeter *exemplum* nihil inesse, tamen magno solatio ea res foret miseris. Cum enim exempla eorum, qui idem passi sunt, non parvam efficiant, ut supra docuimus, aegritudinis levationem [152]): nonne plurimum valebit ad minuendam tristitiam exemplum hominis optimi, eiusdemque filii Dei, e quo intelligi non tantum illud potest, splendore visibili honorum, potentiae, divitiarum facile carere veram virtutem, sed etiam optima sustinendae calamitatis ratio discitur, quam imitari et possumus, et debemus? Nonne hi, qui sentiunt, quanta sit cum excolendis animi viribus coniuncta molestia, et quam lente in ea re proficiatur, confirmatiores erunt, si legerint, ipsum Dei filium nonnisi sensim profeciſſe, Luc. II, 52. Nonne pauperes et obscuri egestatem et contumeliam modera-

152) Vid. §. XX.

tius ferent, ſi cogitaverint, Chriſtum ipſum non habuiſſe, ubi caput ſuum reclinaret, Matth.VIII, 20 et usque ad triceſimum aetatis annum nulla re memorabili inclaruiſſe? Nonne hi, quorum conſilia ſaluberrima carent ſucceſſu, multumque laboris ac difficultatis habent, reficientur mirifice, ſi perpenderint, quot et quanta impedimenta ſuperanda fuerint Domino, et quot ille ſuſceperit labores? Nonne hi, qui hominum peſſimorum invidia premuntur, famamque ſuam laedi vident fictis rumoribus, placide conquiescent, ſi audiverint, quot obtrectatores invenerit Chriſtus, quot ſit laceratus conviciis? Nonne omnes, qui aliorum perfidia decepti ſunt, et ingratorum hominum iniquitate violati, dolebunt levius, ſi animadverterint, in ipſo apoſtolorum grege fuiſſe proditorem, et Iudaeos Chriſtum, optime de ſe meritum, in crucem egiſſe? Sed haec perpeſſionum ſimilitudo etſi iam per ſe multum ſolatii afferre poteſt miſeris: tamen ad exempli vim accedit hic res alia, eaque multo gravior. Libri ſacri manifeſte docent, eumdem Chriſtum, qui, dum in his terris viveret, obnoxius fuerit malis atrociſſimis, *abiiſſe in caelum, ac praeeſſe nunc rebus humanis;* in calamitatibus autem, quas expertus ſit, fuiſſe *diſciplinam quandam utilem*, quae futurum generis humani dominum et rectorem ad clementiam et manſuetudinem formaret.

redderetque miſericordem. Ὄφειλεν, inquit *Paullus* hac de re Hebr. II, 17, κατὰ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς ὁμοιωθῆναι, ἵνα ἐλεήμων γένηται καὶ πιστὸς ἀρχιερεὺς τὰ πρὸς τὸν θεὸν, *eam ob cauſam expertus eſt conditionis humanae moleſtiam, ut miſereri laborantium et afflictorum disceret, eorumque commodis omni modo apud Deum conſuleret.* Iam quid exoptatius miſeris eſſe poteſt, quidve iucundius, quam patronum habere apud Deum, qui ſe medium interponat, et ipſorum cauſam agat; patronum vero talem, qui non modo ſumma poteſtate ſit inſtructus, et ſuccurrere poſſit ſuis, verum etiam ipſe habeat miſeriae ſenſum, et expertus ſciat, quid ſit malis angi et exerceri caſibus adverſis? Nonne eo conſidentiores ad ipſum ſe convertent, quo ipſis olim fuit ſimilior? Nonne de talis domini benignitate et miſericordia ſperabunt optime? Nonne maximam conſolationem ipſis afferet, quod ibidem *Paullus* addit: ἐν ᾧ πέπονθεν αὐτὸς πειρασθεὶς, δύναται τοῖς πειραζομένοις βοηθῆσαι?

LXXXVI. Sed conſolandi vis longe maxima ineſt *in exitu Domini, et in iis, quae eum conſecuta ſunt.* Non hic iterum commemorabimus, qua iam dicta ſunt, mortem Chriſti eſſe cauſam ſalutis noſtrae, et anxiis hominum animis levationem afferre, quod nobis propter eam contingat venia peccatorum. Sunt in ipſa iſtius mortis

hiſtoria, et in univerſa mutatione rerum Domini, quae per eam facta eſt, tot ac tanta ſolatia, ut fere nullum ſit calamitatis genus, cuius non aliqua inde peti poſſint remedia. Qui igitur, ut exemplis utamur, *corporis doloribus* cruciantur, moderatius ferent incommoda ſua, ſi cogitaverint, quos cruciatus ſuſceperit ipſe Dei filius, et quidem nihil tale meritus, ſed ſola generis humani caritate ductus; ſi intellexerint, quem animum, quam conſtantiam, quam incredibilem paene fortitudinem in eo certamine cum doloribus maximis demonſtraverit, et quam ſalutem hoc modo nobis omnibus pepererit. Qui *fraudibus et malitia hoſtium* circumventi, famae, bonorum omninoque felicitatis ſuae iacturam fecerunt, nulla re alia magis recreari poterunt, quam accurata meditatione eorum, quae adverſus Dominum auſi ſunt homines peſſimi ac nefarii. Non parum levabitur aegritudo eorum, quos hominum iniquitas oppreſſit, ſi viderint, quo odio flagraverit Chriſtus, quantumvis innocentiſſimus; qua ignominia affectus fuerit publice, quamquam dignitate ac virtute homines omnes ſuperaret; quod denique ſupplicium paſſus ſit, quamquam criminis ne ſuſpicione quidem adſpergi poſſet. Qui perturbantur et anguntur, quod vident, *malis ſaepe bene eſſe, bonis male;* qui haeſitantes timentesque dubitare incipiunt, utrum virtuti propoſita ſint

praemia, et providentia divina administrentur res humanae: his nonne scrupulum omnemque dubitationem eximet mors Domini, et quae eam proxime consecuta sunt? Nunquam enim manifestius demonstratum est, quam irriti sint conatus hominum pessimorum, in opprimendis bonis laborantium; quot commoda, et quantam utilitatem afferat humano generi admirandum spectaculum boni et constantis viri, cum mala fortuna compositi; quam sapienter ex atrocissimis hominum sceleribus prosperrimos eventus eliciat providentia divina; quo denique honore, quibus praemiis, quo sempiterno splendore decoretur verus, iustus et honestus labor, susceptus et ad finem perductus animo pio et salutis humanae studioso. *Mortis autem metu* qui commoventur, et perhorrescunt naturae suae interitum, nonne verissima solatia capient, si perspexerint, a virtutis dignitate non plane alienos esse istos horrores, quippe quos senserit ipse filius Dei, Matth. XXVI, 42. Luc. XXII, 43. 44. Hebr. V, 7, si exemplo illustri confirmatam viderint spem immortalitatis, et Domini reditu in vitam tam certam, tamque indubitatam redditam, ut ad faciendam fidem nihil amplius desiderari possit; si denique intellexerint, eundem Christum, qui mortem passus sit ipse, ad tantum esse maiestatis et gloriae fastigium evectum, ut nunc vitam suis sua vi tribuere, et sempiter-

nae ſalutis auctor datorque eſſe poſſit? Sed deſinendum eſt; neque enim licet omnia perſequi. Putamus autem, vel hic, quae breviter diſputavimus de argumento graviſſimo, planum eſſe factum, quod volebamus effici, *religionem Chriſtianam eſſe optimum adverſorum ſolatium, idque eo rectius, eoque ſubtilius perſpici, quo accuratius explicata fuerit ipſa conſolationis natura.*

18.

Epitomes doctrinae Christianae fragmentum.

Institutionum divinarum
Liber I.
De religione universa.

Cap. I.
De natione religionis generatim.

1. Hominem praeclara quadam conditione generatum esse, cum sit rationis particeps, qua nihil est neque in ipso homine, neque in omni terra divinius, facile dabunt omnes, qui non hanc ipsam rationem cum sensu eiuraverint. Est etiam natura ad hominum commoditates et usus tantam rerum ubertatem largita, ut minime obscurum sit, esse Deum, cuius vi, ratione, potestate, numine regantur omnia, et qui non modo procreaverit homines, figuramque corporis habitam, aptamque ingenio dederit, sed conservet etiam, curet, et omni tempore beneficiis maximis ornet.

2. Quoniam vero Deus animantia reliqua abiecit ad pastum, et ventri obedientia finxit, hominem solum erexit, et ad caeli *conspectum* excitavit, ut disceret sursum tendere, et ratione uti:

facile intelligitur, homines omnem operam, curam, cogitationem, mentem denique omnem in eo debere figere et locare, ut, unde orti sint, recordantur, et ad Deum sese erigant [1]). Ex quo efficitur, *ut homines omnes ad religionem nati sint* [2]).

3. Sed religio, seu animi in Deum pietas, duabus rebus constat, *cognitione* et *cultu*. Primo enim *agnoscendus* est Deus, hoc est, credendum, esse Deum, qui praesit rebus humanis, videndumque, qualis sit, quidve ab homine fieri velit [3]). Deinde *colí* debet Deus, quod nihil aliud est, nisi meritam Deo gratiam iustis honoribus et memori mente persolvere, et legibus, ab ipso latis, obtemperare. Quare religio, quae inest in cuiusvis hominis animo, est *notitia Dei, quam quisque sibi comparavit, et studium, ipsi placendi* [4]).

4. Quod autem homines diximus ad religionem esse natos (§. 2), id non ita accipi debet, quasi solius Dei causa suscipienda sit religio, sine ullo utilitatis nostrae respectu. Quis enim non videt, naturae divinae, quae condidit omnia, et in lucem adspectumque produxit, tantam esse prae-

---

1) Act. XIV, 17. XVII, 26-28.

2) De hoc verbo vid. Excursus I.

3) Hebr. XI, 6.

4) Religio *subiective* spectata.

ſtantiam, ut noſtro cultu, noſtraque opera minime indigeat, nec ulla poſſit ad ipſius felicitatem per nos acceſſio fieri [5]? Tanta potius eſt, ac tam ineffabilis Dei benignitas, ut propterea cognosci a nobis colique velit, quod alio modo non poteſt teneri noſtra felicitas, et ut tum demum gloriam ſuam illuſtratam putet, omnibusque patefactam, cum homines benivolentiae ſuae demonſtratione ad beatam vitam perduxiſſet. Ex quo fit, ut *finis*, ad quam in religione referantur omnia, ſit *Dei gloria, per hominum et in hac, et in futura vita felicitatem conſpicua* [6].

5. Inde porro ſequitur, ut cognitio Dei, ſine qua nulla religio eſt, non eſſe poſſit vana ſcientia, quae nec voluntatem inclinet, nec vitam regat. Efficiet potius, ſi vera eſt, et ſupremae naturae conveniens, in nobis tria; primum hoc, ut concipiamus dignos maieſtate divina *ſenſus* [7]; deinde ut *vitae honeſtatem* colamus, et demonſtremus in omni actione *integerrimum virtutis ſtudium* [8]; denique ut *animi tranquillitate* fruamur, et ſimus *fiducia* in Deum, *ſpeque* laetiſſima pleni [9]. Eſt igitur religio vitae dux et magiſtra, vitiorum expultrix, et effectrix beatae vitae.

---

5) Act. XVII, 25. Pſ. L, 8-15.
6) Luc. III, 16. 17.
7) Matth. V, 48.
8) Eph. IV, 22-24. Phil. IV, 8.
9) Phil. IV, 4-7.

6. Huic autem religioni duo ſunt contraria, ac veluti adverſantur opinionum genera, *impietas*, (ἀθεότης) et *ſuperſtitio*. Atque impietas quidem eſt *error*, vel potius inſania furorque eorum, *qui negant, eſſe Deum, omnemque religionem everſant*. Hi, qui Graeco vocabulo dicuntur *athei*, ſive ſint opinionis errore et contortis concluſionibus ita perturbati, ut naturam Dei tollant; ſive facinoroſae vitae illecebris capti, moleſtas ſibi Dei cognitiones ex animo ſtudeant evellere; omnem rebus lucem eripiunt, virtutis igniculos exſtinguunt, ſolatiis denique, ac tanquam fomentis dolorum, miſeros privant.

7. Haud paullo minus malum *ſuperſtitio* eſt, ſeu *perverſa Deum cognoscendi colendique ratio*. Huius dici non poteſt quam multiplex et varia forma ſit, et quot religiones falſas, quot inania caerimoniarum ſpectacula, quot opiniones vel ridiculas, vel deteſtabiles et peſtiferas, quot denique facinora et caedes omni tempore procreaverit, ediderítque. Quae cum ita ſint, quid eſſe poteſt vel tam pulcrum ad agnitionem animi, vel ad moderandam vitam tam neceſſarium, quam *recte de Deo ſentire*, eumque ita colere, ut in tanta hominum de re graviſſima diſſenſione nec impiorum erroribus inficiamur, nec anili ſuperſtitione obligemur.

8. Ne igitur mens temere ruat in religione, vel phantaſiae ludibriis impellatur, homines probi et intelligentes omnium temporum in eo elaborarunt, ut omnem Dei rite colendi ac deveneraudi rationem perſpicue, diſtribute, apteque exponerent, ut haberet animus, quod ſequi poſſet, et argumentorum vi ac pondere motus amplecteretur. Inde factum eſt, ut ad hanc doctrinam de religione traduceretur ipſum religionis verbum, acciperetque vim ac poteſtatem aliam. Nam ſaepe ſignificat *ipſum módum cogroscendi colendique Deum, diſtincte expoſitum atque deſcriptum* [**]).

9. Cum igitur nobis hoc propoſitum ſit, ut in hoc libello perſcribamus, et concludamus breviter, quae cum de Deo ipſo eiusque conſiliis, cum de homine, eius indole, ac felicitatis verae tenendae modo praecepere Chriſtus, et ab ipſo miſſi ad genus humanum oratores: facile intelligitur, nos hic verbo religionis eam potiſſimum poteſtatem tribuere, quam ultimo loco poſuimus, ut *brevibus ſententiis comprehenſam notitiam Dei, cultusque divini rationem* eo nomine appellemus. Sed praecepta ea, quibus conſtat *Chriſtiana* religio, antequam poſſunt exponi: paullo altius repetendae ſunt omnis religionis origines; qua de re iam deinceps agamus.

[**]) Religio *obiective* ſpectata.

Cap. II.

De notione religionis revelatae.

10. Cum igitur caelum, terras, maria, omnemque rerum naturam perſpicit homo, et incredibilem mundi pulcritudinem et ornatum cognoscit: fieri non poteſt, quin in hac magnificentia rerum, et in hoc naturae conſpectu, *Deum* videat, auctorem omnium, ipſumque moderantem haec omnia et regentem paene manu prehendat. Nec facile quisquam erit, qui, naturam hoc modo ducem nactus, et rationis beneficio recte uſus, ad aliquam pietatem in Deum et ad vitae honeſtatem non poſſit pervenire. Eſt igitur *naturalis quaedam religio*, hoc eſt, *cognoscendi Deum et colendi modus, qui humana ratione poteſt e contemplatione mundi effici* [11]).

11. Sed haec religio multis de cauſis *imperfecta* eſt. Primo enim *magnis eſt impedita difficultatibus*, nec ſatis apta omnium ingenio. Nam etſi damus hoc, non eſſe dubium, quin ad aliquem rationis uſum pervenientibus, et conſiderantibus hanc pulcerrimam rerum omnium compagem, ſtatim occurrat hoc, eſſe aliquam naturam oportere, quae haec omnia produxerit: tamen qualis ſit illa natura, ſitne unus Deus, an plures, et quo tandem ſatis digno modo colenda ſit divina mens, intelligi accurate et explicari non

11) Rom. I, 19 sq. Act. XVII, 26-28. Rom. II, 14. 15.

poteſt, niſi ab his, qui ſint litterarum ſtudiis exculti, et aſſequantur disciplinae ſubtilitatem, artemque disputandi teneant. Quare naturalis religio disiuncta eſt ab intelligentia ſenſuque multitudinis, quae non capit ratiociniorum ſubtilitatem, nec ad videndum verum ſatis eſt exercitata. — Deinde dici non poteſt, quam *incerta* ſit haec Dei cognitio, et quot erroribus obnoxii fuerint in hac cauſa vel ii, qui ſubtiliter quaerere didicerant, quid ſit in quavis re verum. Docent hoc antiquorum philoſophorum de religione ſententiae, quae tam variae erant ac tam discrepantes, ut multis, veluti Academicis, in re tam incerta penitus cohibenda videretur aſſenſio. Per gentes autem ipſas fuſa olim turpiſſima ſuperſtitio oppreſſerat omnium animos, hominumque imbecillitatem in errores maximos induxerat. — Eſt denique naturalis religio *imperfecta* quoque et *manca*. Sunt enim nonnulla, quae vel penitus ignoret, vel in quibus nihil poſſit tradere, quod quaerentibus ſatisfaciat. Quid enim habet, quod poſſit de conſiliis divinis, de origine mali, de modo impetrandae peccatorum veniae, ac de immortalitate animi docere? Praecepta virtutis autem, quae proponit, fuerunt, ut uſus docuit, ſemper ita comparata, ut vel multis gravibusque ſceleribus locum relinquerent, vel officiorum fines, paullo longius, quam natura vellet, proferrent.

12. Cum igitur tanta ſint ac tam manifeſta religionis naturalis vitia, quid optatius poteſt humano generi contingere, quam *ipſius Dei in re graviſſima ſingularis quaedam et extraordinaria inſtitutio*, quae ingenii humani imbecillitatem adiuvet, et perſpicuam ſapientiam, certam et erroris expertem, plenam denique et perfectam nobis ſuppeditet? Quod ingens beneficium quoniam tribuit humano generi Deus, et per oratores quosdam, vi ſua excitatos, proponi iuſſit publice: exorta eſt *revelata religio*, ſeu ea, *quam Deus extraordinario modo hominibus conceſſit.* Continentur autem illa oratorum divinorum oracula libris iis, qui vulgo dicuntur ſacri, ut infra docebimus. Ab horum igitur lectione et intellectu manare, tamquam a fonte, debet omnis revelatae religionis cognitio.

13. Nec audiendi ſunt, qui negant, talem religionem *neceſſariam* hominibus eſſe, vel omnino *fieri poſſe, ut Deus humano generi extraordinaria quadam ratione ſe patefaciat.* Nam aegre carere homines ſingulari illa inſtitutione, ſatis demonſtrant vitia religionis naturalis, de quibus paullo ante diximus (§. 11), et quae tam manifeſta ſunt, ut omnium temporum omniſque hiſtoriae teſtimonio confirmentur. Quod vero de religione nonnulla rectius praecipit philoſophia *recentior*: id ipſum debet religioni revelatae, e

qua multum lucis in tenebras derivavit ſuas, ut ingrata ſit, ſi repudiare vel contemnere velit magiſtram, a qua accepit praeclara multa. Illorum autem oratio, qui dubitant, utrum ſingulari modo patefacere ſe *poſſit* Deus humano generi, facile poteſt refelli. Primo enim nemo dixerit, eam rem propterea non poſſe fieri, quod repugnantiam habeat; nihil enim eſt in tali efficacia Dei, quod ſibi repugnet, ut res ipſa loquitur. Deinde cum Deus potuerit per hanc immenſam rerum univerſitatem nobis innotescere, ac tantam mundi machinam, tamque artificioſam condere, ut ſui aliqua ſcientia imbueret hominum mentes: quidni et alio modo, eoque, ut videtur, faciliori, qui tantam molitionem ac veluti apparatum non poſtulet, efficere poſſit in animis nonnullorum hominum cognitiones quasdam, utiles humano generi, eique ab his tradendas; praeſertim cum ipſe ſit humanae mentis auctor, ſciatque modos ac vias omnes, per quas affici poſſit, et motionibus quibusdam augeri. Nec metuendum eſt, ut reliquis hominibus de revelatione, quae nonniſi paucis contigit, ſatis conſtet, ac fraudes malaeque artes caveri ſatis poſſint. Neque enim temere fides habenda eſt iis, qui, divino ſpiritu impulſi, aliquid nuntiare videntur. Si autem facta ediderint, vim humanam ſuperantia; ſi rerum futurarum praeſenſione demonſtraverint, ſe

vi divina inſtigari; ſi vita ipſa morumque ſanctitate eluxerint, nullamque iuſtitiae, laborum, moleſtiarumque mercedem quaerant; ſi denique eam doctrinam afferant, quae tota ſit ad generis humani felicitatem comparata; quis quaeſo tam hebes fuerit et quaſi plumbeus, vel tam iniquus et cupidus, ut tot ac tantis documentis, et huic ipſius Dei veluti voci, fidem auſit derogare?

14. Sed quoniam ſupra vidimus, omnem religionis naturam ad efficiendam hominum ſalutem maxime referri (§. 4); facile intelligitur, in hac *utilitate* etiam ineſſe certiſſimum ſignum revelationis divinae. Neque enim quidquam a Deo proficiſci poteſt, quod ſit inutile et vanum, vel detrimentum inferat humano generi, cui tot ac tanta munera iam per naturam largitus eſt ſupremus rerum arbiter. Eam igitur divinitus patefactam recte putabimus religionem, quae primo quidem mentem *ſalutari cognitione* imbuat, nobisque aperiat ea, quae in naturali religione ſupra oſtendimus deſiderari (§. 11); quae porro nihil doceat, niſi quod *ad excitandos, et alendos ſenſus ac motus animi pios, et ad emendandos mores*, vitamque regendam pertineat; quae denique *levationem habeat aegritudinum*, formidinum, cupiditatum, ipſosque mortis terrores minuat ac depellat.

15. Ac tali tamque praeclara religione inde ab antiquiſſimis temporibus conſuluit humano generi Deus, nec unquam commiſit, ut homines hac ſalutari disciplina penitus carerent. Sed ut nihil eſt in univerſa rerum natura, in quo deſiderentur ſapientiae divinae conſilia: ſic etiam in patefacienda religione ita diſpoſuit omnia Deus, ut hominibus *ſenſim ſenſimque* maior lux affulgeret, et religio revelata cum hominum ratione, et intelligendi facultate adoleſceret quaſi, ac perficeretur. Quare non male praecipiunt ii, qui temporum rationem, rerumque geſtarum ordinem ſecuti, divinae revelationis *gradus* quosdam diſtinguunt, iisque nomina diverſa imponunt.

16. Ac primo quidem *religionem patriarchalem* eam eſſe dicunt, quae *rudimenta religionis, hominibus ante Moſen divinitus patefactae*, contineat. Per hanc Deus primas quaſi lineas duxit religionis olim perficiendae, et hominibus largitus eſt ea, quae antiquiſſima illa imbecillitas aſſequi, et ad uſum commode transferre poſſet. Illuſtrat autem hanc religionem ac perſequitur Moſes in Geneſi.

17. Secuta eſt *religio Moſaica*, ſeu *cognoscendi colendique Deum ea ratio, quam Deus per Moſen patefecit populo Israelitico*. In hac facile animadverteris adumbrationem quamdam et expreſ-

ſiorem religionis praeſtantioris ſpeciem; praeſertim inde a Davidis tempore. Nam per hunc regem, et prophetas, qui ſecuti ſunt, reliquos, vehementer crevit et aucta eſt rerum divinarum ſcientia. Sed nihilo minus ad perfectionem multa adhuc deerant[12]), inprimis illud, quod Moſaica religio non erat per orbem terrarum fuſa, ſed uni populo, eique parvo ad reliquam hominum multitudinem, propria.

18. Acceſſit denique manus ultima, quae omnia ad exactam venuſtatem expoliret quaſi ac perficeret, per Chriſtum, et ſic exorta demum eſt *Chriſtiana religio*. De qua cum propoſitum ſit nobis, conquiſitius et copioſius quaerere, age, ipſam eius *notionem* iam paullo diligentius illuſtremus.

Cap. III.

De notione religionis Chriſtianae.

19. Chriſtiana religio *nomen* ab auctore Chriſto traxit, de cuius perſona ac beneficiis, quae contulit in genus humanum, infra dicendum erit. Eſt igitur Chriſtiana religio *cognoscendi Deum et colendi perfectiſſima ratio, per Chriſtum et magiſtros, ab ipſo profectos, hominibus tradita. Perfectiſſimam* autem appellamus tribus de cauſis. Primo quidem propterea, *quod longe Moſaicae religioni antecellit*. Huic enim praeſtat

12) Gal. IV, 9.

tum multo uberiori de rebus conſiliisque divinis doctrina; tum ſaluberrimis praeceptis de moribus omnique virtute. Abrogata enim caerimoniarum inani et ſumtuoſa pompa, internam animi ad honeſta quaevis conformationem unice ſuadet, et unde vires ad veram vitae correctionem petendae ſint, oſtendit [15]). Eſt denique ita comparata, ut minime ſit unius populi angustiis cohibita, ut illa fuit; ſed poſſit univerſo generi humano prodeſſe.

20. Atque in hoc ipſo eſt altera cauſa, cur ſit perfectiſſima dicenda Chriſtiana religio. Nam *univerſalis eſſe* et ex auctoris mente *debet*, et per indolem ſuam *poteſt*. Chriſtus enim ſaepe ac varie docuit et profeſſus eſt, ſe religionem tradere, quae per omnem terrarum orbem dimanare debeat [14]); et cum in eo eſſet, ut ſublimis abiret in caelum, ſuos inſſit ſalutari doctrina omnes omnino gentes imbuere [15]). His magiſtri mandatis apoſtoli ita obtemperarunt, ut Chriſtiana religio non tam ſerperet ſenſim ſenſimque latius, ſed mira celeritate per gentes plurimas diffunderetur [16]). In quo maximopere eluxit *Paulli* ſtu-

---

13) Col. II, 16, 17.

14) Matth. X, 18. XIII, 37. 38. Luc. XIII, 28-30. Ioh. X, 16.

15) Matth. XXVIII, 19. 20. Marc. XVI, 15.

16) Act. XXI, 19. 20.

dium, cui ſaepe cum his, qui Iudaeis ſolis vindicare vellent ſaluberrimam religionem, non tantum contentio fuit, ſed paene dimicatio [17]). Atque eſt profecto ea Chriſtianae religionis indoles, qua hominibus, terris, et rerumpublicarum formis omnibus apta ſit, ac poſſit ab omnibus, quicumque demum ſint, et intelligi, et ad corrigendum, tranquillandum, excitandum animum adhiberi.

21. Perfectiſſima denique etiam propterea dicenda eſt Chriſtiana religio, *quod non alia praeſtantiori abrogabitur*, ut ipſa olim ſucceſſit Moſaicae, ſed *perpetua erit*, ac durabit, dum homines in terra vivent. Etenim cum ita comparata ſit, ut hominum omnium neceſſitatibus abunde ſatisfaciat, alia, ac meliori, non opus eſt, cum melior, ut nunc ſunt res, ne eſſe quidem poſſit. Deinde Chriſtus ipſe hoc ſaepe praedixit, fore, ut religionis ſuae ſectatores nunquam penitus intereant; ſe enim praeſenti auxilio ſuos ſemper adiuturum eſſe [18]). Paullus autem hanc religionem appellat τὸ μένον [19]), et τὰ μὴ σαλευόμενα, βασιλείαν ἀσάλευτον, hoc eſt, perennem conſtitutionem, quae non amplius ſit abroganda [20]).

17) Rom. I, 13-16. Eph. II, 11-22. Col. I, 19-23.
18) Matth. XVI, 18. XXVIII, 20.
19) 2 Cor. III, 11.
20) Hebr. XII, 27. 28. coll. Cap. VII, 15-25.

22. Sed *tradendae* Chriſtianae religionis, aliisque proponendae duplex ratio ac via eſt. Ac primo quidem Chriſtus ipſe et apoſtoli religionem docuere ſimplicem et apertam, nullo uſi artificio, nec in explicandis, demonſtrandis et copulandis doctrinae ſuae placitis, nec in elocutione ac ſermonibus, ſuper ea habitis. Ipſa igitur *religio* tam perſpicua eſt, ut ingenio omnium, etiam puerorum, apta ſit, et accommodata. Hanc ſimplicitatem qui retinent, nec quidquam tradunt, niſi quod a Chriſto et apoſtolis perſpicue propoſitum eſt, ac facile poteſt e libris divinis diſci; ii *ipſius religionis* vim ac naturam exponunt.

23. Sed quoniam doctrinae Chriſtianae partes explicari etiam ſubtilius poſſunt, et in artis ac disciplinae formam redigi: alter modus tradendae religionis eſt is, quam vulgo *theologiam* appellant. In hac enim, quae mature exorta eſt, cum viri docti Chriſtianae religioni nomen dediſſent, adhibenda eſt via quaedam diſſerendi, ſubtiliter anquirendae ſunt rerum cauſae et initia; modus etiam, quo quidque fiat, vel poſſit fieri, probabiliter indicandus; addenda denique multa alia ex omni hiſtoria, ac docendum, quae tum publica fuerit ſingulorum coetuum, tum privata hominum doctorum de religione ſententia. Quare theologia virorum eruditorum eſt, nec niſi ab

his discenda, qui doctam religionis cognitionem ſibi comparare voluerint [21]).

24. Nos in exponendis religionis Chriſtianae praeceptis *mediam quamdam viam tenebimus*, quae non nimis recedat ab illa antiqua ſimplicitate, nec ſit impedita difficultatibus, et obſita quaſi ſpinis iis, quae non poſſunt a theologia penitus abeſſe. Sed ne quid ſumamus, quod non ſit legitima disputatione confectum, et ne videamur in excitando religionis tamquam aedificio vel plane nulla, vel admodum infirma fundamenta ponere: age, iam paullo accuratius cum *de veritate religionis Chriſtianae*, tum *de fonte*, a quo manare debeat eius cognitio, diſſeramus.

Excurſus I. ad § 2.
De religionis appellatione.

Religionis nomen apud Latinos unde ſit ortum, non ſatis conſtat, et viri docti de ea re certant. Cicero a *relegendo* ducit, ut ſit *diligens tractatio eorum, quae ad cultum divinum pertinent*; de Nat. Deor. l. II. c. 28. Adverſus hunc copioſe disputat *Lactantius* Div. Inſtit. l. IV. c. 28, qui a *religando* appellatam eſſe religionem, cenſet, et indicare *pietatis vinculum*, quo ſimus obſtricti Deo, fere ut *Lucretius religionis nodos* uſurpavit, de Rer. Nat. l. I. v. 931. Parum

21) Vid. Excurſ. II.

refert, quam sententiam amplectamur, etsi Ciceronis ratio, qua religio proprie *scrupulosam diligentiam* significat, videatur probabilior. Hoc certum est, religionis nomen a Latinis, cum ad res alias multas; conf. *Ernesti* in Clave Ciceron. de hoc verbo, et *Gellius* Noct. Atticar. l. IV. c. 9, tum ad reverentiam et cultum esse traductum, qui debetur naturae supremae. Graeci multis de religione verbis utuntur, quorum est fere eadem potestas. Dicitur enim religio θρησκεία, θεοσέβεια, θεραπεία θεοῦ, ἐναγισμὸς, ὁσιότης, κ. λ. ac de eius notione *Plato* quaerit in eo sermone, qui Euthyphron inscriptus est. Hebraei denique, quorum dicendi consuetudo etiam ad Novum Testamentum dimanavit, solent et ipsi religionem diversis nominibus appellare. Ac primo quidem dicitur יראת יהוה, reverentia, cultus Iehovae; vid. Ps. XIX, 10. Prov. I, 7. IX, 10, et verbum ירא de his usurpatur, qui pietate in Deum reguntur, de *religiosis;* vid. Ios. IV, 24. Ps. CXII, 1. Mal. III, 20. Quare Φόβος etiam in N. Test. sic adhibetur; veluti 2 Cor. VII, 1. Eph. V, 21. Rom. III, 18. — Deinde etiam דעת יהוה appellari solet religio, quod verbum non modo *notitiam* Dei, sed etiam *amorem et cultum* indicat; vid. Ies. XI, 2 et 9. Hos. IV, 1. Prov. II, 5, similique ratione verba γνώσεως et ἐπιγνώσεως ab apostolis dicuntur, veluti Phil. III, 8. 2 Petr. I, 8. III, 18.

Hebraei porro religionem dicunt דרך יהוה, h. e., modum, rationem, qua ſit colendus Deus; Ieſ. II, 3. Pſ. LXVII, 3. XVIII, 22. Hinc ἡ ὁδὸς τοῦ θεοῦ in N. T. idem ſignificat, vid. Matth. XXII, 16. Marc. XII, 14. Luc. XX, 21, atque inprimis de Chriſtiana religione legitur Act. IX, 2. XVIII, 25. XIX, 23 et 2 Petr. II, 2. Paſſim etiam verbum תורה hoc modo accipitur; vid. Pſ. XIX, 8 quoniam lex Moſaica erat omnis religionis fons apud Israelitas; unde factum eſt, ut etiam religio, ſeu doctrina a Chriſto propoſita, eo nomine appellaretur, ac diceretur νόμος; vid. Gal. II, 19. VI, 2. Rom. VIII, 2. Iac. I, 25. De religioſis autem, qui colunt Deum ac devenerantur, idque faciunt maxime *victimis et operoſo caerimoniarum ritu*, vulgo uſurpatur verbum עבר, vid. Exod. X, 26. Ieſ. XIX, 21. Mal. III, 18. In N. T. eadem conſuetudine ponitur verbum δουλεύειν Matth. VI, 24. Luc. XVI, 13. 1 Theſſ. I, 9, quod tamen in libris N. T. non tam de miniſterio *corporis*, quam de officio *mentis* accipi debet, atque intelligi. Pari modo etiam verba σέβεσθαι ac θρησκεύειν uſurpantur; vid. Matth. XV, 9. Act. XVII, 25. XVIII, 13. De verbis aliis, quae occurrunt rarius, copioſius dicere, iam nihil attinet.

Excurſus II. ad § 23.

Iam antiquiſſimis temporibus θεολογίας nomen uſurpatum legitur vel de *doctrina*, vel de *ſcriptis*

eorum, qui in rebus divinis *ultra vulgus ſapere*, aliosque inſtituere poſſe videbantur. Habuit igitur hoc nomen Pherecydis Syrii quidam de natura Deorum liber, quem veteres ſaepe memorant; vid. Clemens Al. Strom. l. V. p. 676. edit. Pott. Diogenes Laert. l. I. ſegm. 122, et Ioſephus contra Ap. l. I. §. 2. *Poetae* autem veteres, qui *theogonias* conſcribebant, et *phyſici*, qui de origine rerum omnium quaerere ſolebant, vulgo ob doctrinam uberioremque rerum divinarum ſcientiam dicebantur *theologi*; ut is ipſe *Pherecydes*, vid. Diogenes Laert. l. I. ſegm. 119. *Orpheus*, vid. Clemens Al. Strom. l. V. p. 676. *Homerus*, *Linus*, *Muſaeus*, alii; conf. Cicero de Nat. Deor. l. III. c. 21 et Sextus Empir. Adv. Mathem. l. IX. §. 192. Quare etiam *opiniones* virorum eruditorum, et *placita de natura Deorum*, omniumque rerum origine a veteribus appellari ſolebant *theologia*; vid. Athenagoras Legat. pro Chriſtian. cap. 20. Euſebius Praep. Ev. l. I. c. 10, aliique plures, nihil enim eſt hac notione verbi tritius apud veteres. — A ſcriptoribus igitur vetuſtiſſimis acceptum hoc nomen *patres*, quos appellant, *eccleſiae* traduxerunt cum ad *eruditam ſcientiam doctrinae de Deo univerſe*, tum ad ſubtiliorem expoſitionem eorum, quae *de Trinitate* poſt Arii errores praecipi ſolebant accuratius; vid. Athanaſius Orat. II. contr. Arian. Opp. Tom. I. p. 523.

Interdum etiam *doctrinam de divina natura ac dignitate Christi*, copiosius expositam subtiliusque defensam, eo nomine appellabant, atque sic distinguebant ab οἰκονομίᾳ, hoc est, iis, quae subtilius de humana eius natura, rebusque in hoc orbe ab eo gestis, vulgo solebant tradi; vid. Eusebius Hist. Eccles. l. I. c. 1, et quae ad eum locum observavit Valesius. Cum postea omnis de religione institutio sensim sensimque artis formam acciperet, et subtilitatem disciplinae, cuius rei initia facta sunt extremo seculo VI. per *Isidorum Hispalensem*, qui scripsit Sententiarum libros tres, et maxime seculo VIII. per *Iohannem Damascenum*, cuius ἔκθεσις ὀρθοδόξης πίστεως iusti systematis formam habet; haec igitur cum facta mutatio esset, etiam theologiae nomen coepit patere latius, et transferri *ad eruditam totius religionis tractationem*, quae haberet subtilitatem artis, et accuratam disciplinae descriptionem. Manifestum igitur est, theologiae nomen omni tempore significasse doctam et subtilem rerum divinarum scientiam, qualis esse debet in doctoribus religionis, quos non modo rudem et imperitam multitudinem instituere decet, verum etiam defendere religionem adversus doctas saepe subtilesque adversariorum reprehensiones. Quare cavendum est, ne religio, quae debet omnibus communis

esse, cum theologia, quae est virorum doctorum, temere commisceatur.

Liber II.

De Christiande religionis veritate, ac de eius fonte.

Cap. I.

De veritate religionis Christianae eiusque origine divina.

25. Fuerunt omni tempore et apud plurimas gentes homines multi, qui divina quadam excitatione instigari se dicerent et impelli, et cum futura praenuntiarent, cum multa de metu caerimoniaque Deorum publice praeciperent. In his quoniam fuerunt nonnulli, qui lucri, gloriae, imperii, tyrannidis cupiditate ducti, auctoritate divina culpam suam praetexerent; alii etiam, qui fanatico furore correpti, tum se, tum reliquos deciperent, vanaque specie luderent: age, iam ostendamus, Christianam religionem neque a fraudibus hominum, neque a superstitione profectam esse, sed ipsius Dei beneficio humano generi concessam.

26. Est autem argumentorum, quibus confirmari potest Christianae religionis origo divina, genus duplex; alia enim externa sunt, alia interna illa quidem a factis Christi, eorumque ducuntur, qui ipsum sectati sunt; tum a celeritate mirifica, qua religio Christiana per orbem terrarum dimanavit; denique ab eius conservatione, quae,

niſi a Deo, non potuit effici. Interna autem argumenta in ipſius inſunt religionis praeſtantia, quae eſt tanta, ut facile intelligatur, Deum, ſi voluerit homines ipſe inſtituere, vix potuiſſe patefacere alia, quae vel ipſius maieſtati, vel hominum ſaluti magis eſſent accommodata. Sed haec, quae iam anguſte diximus, nunc deinceps dilatabimus, et ſigillatim perſequamur.

27. Ieſum igitur, Chriſtianae religionis auctorem, vixiſſe in Palaeſtina, imperantibus Anguſto ac Tiberio, inter Iudaeos per aliquot annos publice docuiſſe, ac tandem popularium invidia extremo ſupplicio affectum eſſe, ita conſentientis antiquitatis auctoritate traditum tenemus, ut de alia re nulla certius conſtet. Sed nemo res eius accuratius perſcripſit, quam nonnulli ſectatores eius ac discipuli, qui vulgo dicuntur Evangeliſtae, fueruntque eorum, quae fecit ac paſſus eſt, ſpectatores ac teſtes. Hoc in commentariis iis, quos de eius vita reliquerunt, et quos nunc maxime ſequemur, incorruptam fidem demonſtraſſe, facile poteſt et evidenter demonſtrari.

28. Etenim in his, quae de vita rebusque geſtis Ieſu providerunt, nec voluere decipere alios, nec, ſi voluiſſent, fraudis ac mendacii locus fuiſſet; quare ne potuere quidem. Ac primum quidem illud, hos ſcriptores noluiſſe corrumpere rerum geſtarum fidem, multis rationibus efficitur. Fue-

runt enim homines probi et honeſti, in quibus ne inimici quidem acerrimi invenire potuerunt, quae reprehenderent vel accuſarent. Nec erant his hominibus propoſita fraudis quaedam praemia. Ipſi enim nec honores et gloriam, nec divitias et opes, nec voluptatem denique et commoda vitae quaeſiverunt ſibi eo teſtimonio, nec omnino ullam rem aliam ſectati ſunt, quae ſolet aliorum fidem corrumpere, et ſuſpectam facere. Suorum potius teſtimonio de Ieſu tam immane et crudele excitarunt in ſe odium, ut non modo pauperem, miſeram, periculis laboribusque pleniſſimam vitam traherent, ſed etiam hac ipſa de cauſa ſupplicium paterentur tantum non omnes. Accedunt multa alia integritatis et innocentiae ſigna, ipſorum libris impreſſa. Quorſum pertinet ſermo ſimplex, nullo colore, nulla arte excultus, eorumque multis in rebus, quas etiam alii ſcriptores prodiderunt, cum his mira conſenſio; nec praetermittendum illud eſt, quod in inimicos peſſimos nunquam invehuntur acerbe et contumelioſe; ſuos vero errores, inſcitiam, et vel timide, vel perperam geſta, nec diſſimulant, nec excuſant.

29. Sed potuerunt etiam veritatem ſcire, eamque vel diſſimulandi vel adulterandi nullam habuerunt opportunitatem. Quae enim memoriae prodiderunt, ſubiecta ſenſibus erant, poterant-

que facile, etiam ab indoctis, et percipi, et commemorari. Ipſi etiam Chriſto vel uſi erant familiariter, eiusque fuerant perpetui comites; vel, quae tradiderunt, acceperant ab his, qui ipſe viderant omnia; ex quo intelligi poteſt, eos, quid geſtum ſit a Chriſto, ſcire potuiſſe planiſſime. Nec poterant quicquam vel diſſimulare, vel corrumpere mendaciis. Etenim quae ſuscepit Ieſus et geſſit, ea non ſunt clanculum facta, remotis arbitris, et in locis abditis; ſed publice, in multorum hominum conſpectu, et plurima longeque graviſſima Hieroſolymis, in ipſa gentis metropoli. Statim igitur detecta fuiſſet fraus, ac potuiſſet refelli publice, ſi voluiſſent quicquam vel diſſimulare, vel augere ingenio, et coloribus pigmentisque exornare. Idque fieri eo magis debebat, quo maiorem invidiam cum Ieſus ipſe, tum ſectatores eius omnes, non quidem apud plebem, quae facilius falli potuiſſet, ſed apud ipſum totius populi ſenatum hominesque doctiſſimos callidiſſimosque, et verbis et factis collegerant. Tales igitur ac tam potentes inimici, qui plurimum auctoritate, gratia, conſilio valebant, cum inſidiarentur hisce viris, et nocendi locum diligenter circumſpicerent: quis non videt, omnem excludi fraudis ſuspicionem, quae ſi vel leviſſima fuiſſet, nec incolumes eſſe potuiſſent ipſi ſectatores Ieſu primi, harumque rerum teſtes; nec tantam aucto-

ritatem conſequi, ut ingens hominum multitudo, nulla commodorum ſpe, nullis allecta praemiis, Chriſtianam religionem amplecteretur.

30. Hi igitur teſtes, digniſſimi fide et integerrimi, multa commemorant, tum ab ipſo Ieſu, dum viveret ac publice doceret, tum ab eius amicis et ſectatoribus, poſtquam ipſe erat ex hominum conſpectu ſublatus, edita publice, ſpectantibus ſaepe multis hominum millibus, miracula. Ieſus enim ſaepiſſime verbo reſtituit aegrotis ſanitatem, caecis viſum; ſurdorum aperuit aures, mutorum linguam ſolvit; mortuos, cum iam efferrentur, cum iam per aliquot dies in ſepulcro conditi iacuiſſent, revocavit in vitam, fecitque alia multa, quae vim humanam plane ſuperarent. Atque hanc vim, res maximas, et alienas ab omni naturae conſuetudine, verbis efficiendi, communicavit, quod magis mireris, etiam cum ſuis, qui ea ita ſunt uſi, ut dignos ſe tanto magiſtro omni tempore praeſtarent. Quae autem in libris Novi Teſtamenti hisce de rebus leguntur, ea non eſſe commenticia, partim illa docent, quae de fide Evangeliſtarum paullo ante monuimus; partim ſcriptores alii, alieni a disciplina Chriſti, eique infenſi, ſuo teſtimonio confirmant, veluti Iudaei, Celſus, Iulianus imperator, alii. Iam cum tanta ſint facta Chriſti, ut non potuerint ſine conſilio vique divina perfici, Deus autem mendacia non

poſſit maximis miraculis confirmare, quibus nihil eſſe ſolet ad faciendam hominibus fidem et extorquendum aſſenſum efficacius: ſequitur, ut Chriſtus, quem tantis rebus commendaverit Deus humano generi, et auctoritatem conciliaverit plane inſignem, ea docuerit, quae divino conſilio accommodata eſſent, hoc eſt, religionem propoſuerit, ab ipſo Deo hominibus conceſſam.

31. Saepe etiam res futuras cecinit Chriſtus, eaſque tales, quas nulla poterat prudentia praecipere, nulla hominis vel ſapientiſſimi coniectura aſſequi. Qua de re etſi facile poſſemus plura disputare, ſufficiat tamen paucis attingere ea, quae de vaſtatione Hieroſolymorum, ac de religionis, a ſe conditae, perpetua duratione praedixit. At urbis quidem primariae per Romanos exſcidium tam clare praenuntiavit, ac tam accurate, ut et tempus eius rei, et hoſtes, et omnem rerum gerendarum ordinem definiret, ac paene hiſtoriam quandam proponeret. Etenim ita omnia eveniſſe, uti dudum ante ſuis praedixerat Chriſtus, id non quidem domeſticorum ſcriptorum teſtimoniis illuſtramus, quae poſſent eſſe ſuſpecta, cum Chriſtianorum nemo iſtius vaſtationis hiſtoriam perſcripſerit; ſed auctoritatibus *Taciti*, *Suetonii* et *Ioſephi*, quorum ultimus in libris de Bello Iudaico commentarium fere reliquit, in ea, quae Chriſtus de extremo urbis tempore vaticinatus erat.

Hi autem cum non ſcripſerint eo conſilio, ut confirmarent exiſtimationem Chriſti, a quo fuerunt alieniſſimi, ita illuſtrant vel inviti eius praedictionem, ut paene inſanus ſit, qui eius veritatem noluerit agnoscere. Ea vero, quae ſaepe profeſſus eſt Chriſtus, conditam a ſe religionem fore perennem, nec unquam ſibi defuturos eſſe ſectatores cultoresque, ita evenerunt, ut, cum hodieque ſit longe maxima multitudo eorum, qui Chriſto nomen dederint, uberiori demonſtratione non indigeat. Iam cum res tales ac tantas praevidere nemini ſit datum, niſi quem ipſe Deus adiuvet, ſuoque ſpiritu excitet et impellat: efficitur, ut Ieſus auctoritate divina munitus ſit, nec aliam, niſi caeleſtem poſſit originem habere Chriſtiana religio.

32. Atque vis illa divina, quae in ipſis initiis Chriſtianae religionis manifeſte eluxit, nec ulla potuit hoſtium vel aſtutia, vel crudelitate reprimi, etiam in propagatione eius conſpicua eſt. Ii enim, quos ad genus humanum miſerat Chriſtus, et qui hac de cauſa dicuntur apoſtoli, non erant homines eruditi, diſerti, gratioſi, potentes; ſed viri de plebe, rudes, pauperes, obſcuri, qui ſua opera non prodeſſe poſſe religioni novae videbantur, ſed eam contemtui hominum expoſituri. Docere autem iuſſi erant talem religionem, quae homines a ſuperſtitione et impietate abduceret,

corrigeret mores, voluptatis illecebras et blandimenta damnaret, ſanctitatem poſtularet omnibus numeris abſolutam, rerum humanarum contemtionem efficeret, hominesque formaret continentes, malorum patientes omnium, nec paupertatem, nec cruciatus et exſilia, nec ſupplicia recuſantes, atque omnino contra fortunam ita armatos paratosque, ut aliunde non penderent, nec extrinſecus aut bene aut male vivendi ſuſpenſas haberent rationes. Quod quam difficile ſit, ac paene ἀδύνατον, cum in paucis eſt efficiendum ab his, qui omnem curam in pernoscendis et tractandis hominum animis poſuerunt, omnes vident. Atqui apoſtoli, homines illi rudes et inculti, per hanc doctrinam non paucos, ſed multa hominum millia emendarunt. Nec multum temporis in ea re conſumſere. Tam celeriter enim per orbem Romanum dimanavit Chriſtiana religio, ut, a tenui profecta initio, praeter opinionem urbes omnium terrarum florentiſſimas occuparet, nec poſſet ulla re impediri et cohiberi. Sed iſta celeritas nihil haberet, quod mirum videri poſſet, ſi apoſtoli in proponenda meliori doctrina vi et armis uſi eſſent; ut Muhammedem conſtat ſuos errores obtruſiſſe hominibus et obtrudi iuſſiſſe. Ab illa autem ratione cum fuerint apoſtoli omni tempore alieniſſimi, a nemine potuit feliciſſimus ille conſiliorum omnium ſucces-

ſus proficiſci, niſi a Deo, cuius vis ſi unquam fuit in adiuvandis inſtitutis quibusdam conſpicua et manifeſta, certe fuit in his, quae omni alia ope penitus erant deſtituta.

35. Sed eadem Dei providentia conſervavit quoque religionem Chriſtianam, et effecit, ut ad noſtra tempora perduraret, et innumerabili hominum multitudini prodeſſet. Quae res tanta eſt, ac tam manifeſta, ut nihil fere ſit, quod religionis Chriſtianae originem divinam magis illuſtret. Habuit enim ex illo tempore, quo innotuit terrarum orbi, multos et externos hoſtes, et domeſticos illa religio. Quis enim nescit, quantus fuerit antiquiſſimo tempore et Iudaeorum et Romanorum furor in vexandis, opprimendis penitusque exſtirpandis Chriſtianae religionis ſectatoribus. Qua in re cum nihil intentatum reliquerint hoſtes, ſed vi, crudelitate, fraudibus, praemiorum propoſita ſpe, blanditiis, doctrina, ingenio denique pugnaverint: ſtare Chriſtiana religio non potuiſſet, niſi ipſius Dei voluntate ac Numine adverſus tot ac tam graves impetus eſſet defenſa. Exſtiterunt etiam ex ipſa eccleſia, et ex eius veluti ſinu prodierunt hoſtes alii, non minus metuendi. Fuerunt enim inde a primis temporibus, qui ſaluberrimam Chriſti doctrinam corrumperent commentis humanis, ſectatores Chriſti in factiones et partes diſtraherent, alerentque

bella inteſtina ac veluti civilia. Acceſſit medio aevo ingens barbaries, effectrix ſuperſtitionis, quae omni tempore graviora vulnera religioni inflixit, quam tyrannorum crudelitas. At haec omnia, quae figillatim videbantur evertere poſſe Chriſtianam religionem, coniuncte nihil adverſus eam valuere, vel potius adverſus Deum ipſum, qui hoc beneficium ipſe tutatus eſt et conſervavit.

34. Haec autem omnia, quae non ſunt ab ipſa religionis indole petita argumenta, ſed extrinſecus accedunt, nullam habitura vim eſſent, niſi interna religionis Chriſtianae praeſtantia eſſet tanta, ut una poſſit aequis iudicibus fatisfacere, et caeleſtem eius originem illuſtrare. Etenim cum ſint ſigna quaedam et notae, quibus veritas revelatae religionis poſſit agnosci, ut iam ſupra obſervavimus (§. 14): et ſine quibus nemo ſanus ad eius auctoritatem ſe contulerit: Chriſtiana religio illas revelationis partes omnes ita implet, ut nihil plane deſideretur.

35. Primum enim ea, quae de rebus divinis tradit, tam manifeſtas habent veritatis notas, ut, ſimulac rite intellecta fuerint, vi quadam ad aſſenſum cogant, animoque humano mirifice placeant. Nec ſunt profecto intellectu difficilia; tanta potius eſt et perſpicuitas doctrinae Chriſtianae, et brevitas, ut nemo ſit tam imbecillis, nemo tam hebes et imperitus, quin tantum poſſit discere et

aſſequi, quantum ad bene beateque vivendum, et ad conſequendam felicitatem futurae vitae, ſcire debet. Et in tanta praeceptionis brevitate tamen corrigit ea vitia omnia, quibus ſupra diximus laborare religionem naturalem. Quae enim haec ignorat, ea ita exponit Chriſtiana religio, ut iam omnes ſciant, quae ſint Dei de humano genere decreta, unde exorta ſint mala, quibus affligi videmus homines, quomodo et per quem tolli debeant, quae ſint in omni vita vel ſequenda, vel fugienda, quid denique poſt mortem homines omnes maneat. In explicandis rebus hisce longe graviſſimis tantopere ſuperat Chriſtiana religio omnium philoſophorum decreta, ut facile appareat, eam continere caeleſtem aliquam divinamque ſapientiam.

36. Sed haec inprimis in ea parte conſpicua eſt, quae pertinet ad mores, et ad regendam vitam. Etenim praecepta religionis Chriſtianae de moribus primo quidem veriſſima ſunt et omnibus numeris abſoluta. Nihil enim continet, in quo praecipere videatur remiſſius; nihil ultra modum imperat; nihil praetermittit, quod dignum ſit homine, et ad beatam vitam utile. Deinde haec omnia perſequitur tanta perſpicuitate, ut a quovis poſſint intelligi. Complexi enim ſunt Chriſtus et apoſtoli in libris ſuis ea, quae de moribus tradiderunt, ſententiis brevibus ac perſpi-

cuis, quae non modo facillime poſſunt arripi ab his, qui memores fuerint, ſed etiam hoc habent, ut in vita ipſa occurrant ſua ſponte, et ubique ac ſtatim deſiderata praeſto ſint; quod profecto in exercenda virtute graviſſimum eſt. Inprimis autem tenendum illud eſt, quod fere primo loco memorandum erat, Chriſtianam religionem omnia munire auctoritate divina, et ad exemplar ipſius Dei et Chriſti longe perfectiſſimum excitare homines et erigere. Sic enim incipit humana mens dignos ſua praeſtantia concipere ſenſus, et, cum vel mollitia quadam, vel praeſentium voluptatum illecebris corrupta, propenſior ſit ad deſerendum officium, illa ipſa auctoritate divina, quam ubique prae ſe fert Chriſtiana religio, coercetur et in officio continetur. Accedit denique illud, quod etiam ipſius Dei vim, quae in colenda virtute adiuvet imbecillitatem humanam, et pollicetur haec religio, et his, qui eam deſiderent, vere ſuppeditat. Quae omnia tanta ſunt, ac tam divina, ut non poſſint niſi a ſupremo patre proficisci, qui et ipſe ſanctiſſimus eſt, et a ſanctis et probis coli vult et adorari.

37. Eſt denique Chriſtiana religio etiam pleniſſima ſolatii, et ad levandam aegritudinem aptiſſima. Nam id ipſum, quod Deum per Chriſtum eſſe patrem docet longe benigniſſimum, qui ſua providentia complectatur omnia, regat et admi-

niſtret, id ipſum, inquam, quantum eſt et quam efficax ad tranquillandum animum, et ad excitandam ſpem fiduciamque laetiſſimam. Quod vero docet, quae ſit vera vis malorum et ipſius adeo mortis; quod oſtendit, in omni calamitate ſalutarem eſſe ſupremi patris disciplinam, cuius ſeveritate conformentur homines et acuantur ad ſapientiam veram, et ad felicitatem perducantur; quod denique pollicetur ac proſpicere iubet vitam poſt hanc longe meliorem, ac ſempiterna virtutis praemia proponit, ipſamque corporis poſt mortem reſtitutionem praenuntiat: in eo tot ac tanta malorum ſolatia dolorumque fomenta ſuppeditat, ut, qui eam ſectantur, moderate ferant, quicquid acciderit, nec mortem ipſam amplius perhorrescant.

38. In hac Chriſtianae religionis praeſtantia, cuius hic non niſi lineas duximus, qui noluerit agnoscere originis divinae manifeſta documenta: is profecto aut imperitus plane ſit et ſtupidus neceſſe eſt, aut cupidus et iniquus. Neque haec omnia a nobis iactantur tantum, et verbis augentur. Quis enim vel ignorat, vel negare auſit, innumerabilem paene hominum multitudinem omni tempore expertam eſſe et adhuc percipere vim illam Chriſtianae religionis, et per eius disciplinam ad virtutem animique tranquillitatem eſſe perductam. Ac profecto ſi quis ipſe voluerit rei

tantae periculum facere, et obtemperare praeceptis, quae propoſuit Chriſtiana religio, ipſo facto ſentiet, quam divina ſit, eamque perſuaſionem magis magisque apud animum ſuum confirmari videbit et crescere. Quae cum ita ſint, accedamus iam ad ipſam Chriſtianae religionis expoſitionem; in qua ut recte verſemur, iam deinceps agamus de fonte, a qua manare debet omnis rerum divinarum cognitio.

Cap. II.

De ſcriptura ſacra, Chriſtianae religionis fonte.

39. Corpus igitur eorum librorum, qui ob auctoritatem, qua pollent, divinam ſentiendi de religione et recte vivendi certiſſima norma putantur, κατ' ἐξοχήν appellatur ſcriptura, h. e. praeſtantiſſima ſcriptio, omniumque librorum optima et utiliſſima. Conſtat autem iſta collectio duabus partibus, vetere et novo Teſtamento. Illud eſt corpus librorum, quos populus Israeliticus iam ante Chriſtum ſacros habuit; hoc autem eorum, qui a primis Chriſtianae religionis doctoribus, apoſtolis et prophetis ſcripti ſuperſunt. Veteris Teſtamenti auctores prophetae dicuntur, quod vi quadam Dei extraordinaria inſtructi docebant et ſcribebant. Apoſtoli autem appellantur duodecim ab ipſo Chriſto deſignati et ad genus humanum miſſi religionis Chriſtianae doctores primarii; quamquam illud nomen interdum

etiam latius patet. Evangeliſtas denique auctores vitae ac rerum Domini vocamus, eorumque libros Evangelia.

40. Sed Scripturae in cauſa religionis duae ſunt veluti partes. Primo enim ab ipſa peti debet omnis notitia earum rerum, quae in religionem admittendae ſunt; ut ſcriptura ſit initium et fons, a quo omnia ducantur ac deriventur. Deinde res ipſae, quas continet, vim magnam habent ad commovendos, corrigendos et confirmandos hominum animos, ut eadem ſit praeſidium virtutis ac felicitatis humanae longe efficaciſſimum. Nos hic ſcripturam ab illa potiſſimum parte conſideramus, qua eſt magiſtra religionis, et una poteſt, quid ſit de rebus divinis ſentiendum, definire ac declarare. Quae autem ſit eius vis ad producendam virtutem, veraeque pietatis ſenſus excitandos et alendos, infra videbimus alio loco.